

PROF. DR. DARCY CARVALHO.FEAUSP. SAO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN: LATINITAS ITALICA MEDII AEVI

EXPOSITIONES ET GLOSAE SUPER COMEDIAM DANTIS AUCTORE CAJETANUS DALLA PIAZZA CUJUS VITA LEGITUR IN ANNEXO

http://ww2.bibliotecaitaliana.it/xtf/view?docId=bibit001498/bibit001498.xml&doc.view=print&chunk.id=0&toc.depth=1&toc.id=0

Expositiones et glose super Comediam Dantis

Guido da Pisa

[Prologus]

EXPOSITIONES ET GLOSE SUPER COMEDIAM DANTIS FACTE PER FRATREM GUIDONEM PISANUM, ORDINIS BEATE MARIE DE MONTE CARMELI, AD NOBILEM VIRUM DOMINUM LUCANUM DE SPINOLIS DE IANUA.

Scribitur *Danielis*, quinto capitulo, quod cum Baltassar rex Babillonie sederet ad mensam, apparuit contra eum manus scribens in pariete: *Mane*, *Thechel*, *Phares*. Ista manus est noster novus poeta Dantes, qui scripsit, idest composuit, istam altissimam et subtilissimam Comediam, que dividitur in tres partes: prima dicitur Infernus, secunda Purgatorium, tertia Paradisus. His tribus partibus correspondent illa tria que scripta sunt in pariete. Nam *Mane* correspondet Inferno; interpretatur enim *Mane* <numerus>; et iste poeta in prima parte sue Comedie numerat loca, penas et scelera damnatorum. *Thechel* correspondet Purgatorio; interpretatur enim *Thechel* <appensio> sive <ponderatio>; et in secunda parte sue Comedie appendit et ponderat penitentias purgandorum. *Phares* autem correspondet Paradiso; interpretatur enim *Phares*<divisio>; et iste

poeta in tertia parte sue Comedie dividit, idest distinguit, ordines beatorum et angelicas ierarchias. Igitur *manus*, idest Dantes; nam per *manum* accipimus Dantem. *Manus* enim dicitur a *mano*, *manas*, et Dantes dicitur a *do*, *das*; quia sicut a manu manat donum, ita a Dante datur nobis istud altissimum opus.

Scripsit dico in pariete, idest in aperto et publico, ad utilitatem omnium: *Mane*, idest Infernum, cuius penas et loca numeravit; *Thechel*, idest Purgatorium, cuius penitentias appendit et ponderavit; *Phares*, idest Paradisum, cuius situm ab infimis elevatum esse monstravit, et cuius beatitudines ordinate distinxit. Omnia enim ista, secundum quod scribitur in Libro Sapientie VIIII, posuit iste egregius poetarum in numero, pondere et mensura. Posuit namque iste poeta Infernum in numero, quia peccata et penas numerat; Purgatorium in pondere, quia penitentias ponderat et appendit; Paradisum in mensura, quia mensurat celos et distinguit ordines beatorum. Ad istum certe poetam et ad suam Comediam potest referri illa visio, quam vidit Exechiel propheta; de qua visione sic scribit idem propheta: «Ecce manus missa ad me in qua erat liber scriptus intus et foris: et scripta erant in eo Lamentationes, Carmen, et *Ve*». Ista manus est iste poeta. Liber istius manus est sua altissima Comedia, que ideo scripta dicitur intus et foris, quia continet non solum licteram, sed etiam allegoriam. Scripta sunt autem in isto libro tria, scilicet Lamentationes, Carmen, et *Ve. Ve*, quod est interiectio dolentis et desperantis, refertur ad Infernum. *Ve* enim in Sacra Scriptura eternam damnationem notat, ut dicunt sancti super illo verbo: «Ve homini illi per quem filius hominis tradetur»; et est sensus: peribit eternaliter. Lamentationes, que sunt note voluntarii et assumpti doloris, ad Purgatorium referuntur. Carmen vero, quod idem est quod <laus> et <iubilatio>, ad Paradisum refertur.

Ista re vera Comedia figurari potest etiam in archa Noe, que fuit tricamerata. In inferiori enim camera erant animalia silvestria et serpentes; in media erant animalia domestica atque mitia; in superiori vero erant homines et aves. Per primam cameram possumus accipere Infernum, in quo sunt animalia silvestria et inmitia, idest homines damnati et serpentes, idest demones. Per secundam cameram possumus accipere Purgatorium, in quo sunt animalia mitia, idest anime mites, que patienter sustinent passiones. Per tertiam vero cameram possumus accipere Paradisum, in quo sunt homines et aves, idest sancti et angeli in gloria sublimati. His visis, sex in ista Comedia breviter indagemus: primo subiectum, idest causam materialem; secundo formam, idest causam formalem; tertio auctorem, idest causam agentem; quarto finem, idest causam finalem; quinto genus philosophie, idest sub quo genere philosophie ista Comedia comprehendatur sive decurrat; sexto et ultimo libri titulum, idest quo titulo liber iste debeat intitulari. Circa primum nota quod subiectum huius operis est duplex, scilicet licterale et allegoricum. Si enim accipiatur licteraliter, dico quod subiectum huius operis est status animarum post mortem simpliciter sumptus; qui quidem status dividitur in tres partes, prout conditio animarum est triplex. Primus status sive conditio est illarum animarum que eternaliter sunt damnate, et que in penis habitant sine spe aliqua evadendi ex illis; et ista pars appellatur Infernus. Secundus status sive conditio est illarum animarum que voluntarie stant in penis, ut Deo satisfaciant de commissis, et sunt in ipsis penis cum spe ad gloriam ascendendi; et ista pars Purgatorium appellatur. Tertius status sive conditio est illarum animarum que sunt in beata gloria, ipsi summo et eterno bono eternaliter, hoc est sine fine, coniuncte; et ista pars appellatur Paradisus. Et sic patet quomodo subiectum huius operis est status animarum post mortem, simpliciter sumptus. Nam de illo et circa illum totius huius operis versatur processus. Si vero subiectum accipiatur allegorice, dico quod subiectum sive materia est ipse homo prout merendo vel demerendo per arbitrii libertatem, iustitie premiandi et puniendi obnoxius est, propter quod meritum sive culpam tribuitur ipsi homini gloria sive pena. Nam de pena sive gloria ipsi homini attributa nobis narranda sive manifestanda intentio versatur autoris. Et sic patet quod est subiectum in hoc opere, sive causa materialis. Circa secundum vero, idest circa causam formalem, nota quod causa formalis in hoc opere est duplex, scilicet forma tractatus et forma tractandi. Forma tractatus est triplex, secundum triplicem divisionem quam recepit sive continet liber iste. Prima divisio est qua totum opus dividitur in canticas, et iste sunt tres. Secunda, qua quelibet cantica dividitur in cantus: nam prima cantica dividitur in cantus XXXIIIIor; secunda in cantus XXXIII; et tertia in totidem. Et sic totum opus continet centum cantus.

Tertia autem divisio est qua quilibet cantus dividitur in rithimos. Est autem rithimus quoddam genus versuum, quorum fines ad invicem copulantur, et concordibus sillabis concorditer colligantur. Et iste est unus ex tribus dulcissimis sonis qui magis delectant et mulcent animum auditoris; et oritur ex musica, cuius partes sunt tres, scilicet armonica, rithimica et metrica, sicut dicit beatus Ysidorus tertio Ethimologiarum libro. Tria sunt vero quantum ad presentem Comediam genera rithimorum. Primum est illud cuius rithimus continet tantummodo decem sillabas; et iste est ille cuius ultima sillaba est longa et accentuata, ut ibi: «d'Abel su' fillio et quella di Noe»; item ibi: «Abraham patriarca et David re»; item ibi: «Et con Rachele, per cui tanto fè»; item in tertia cantica: «Osanna sanctus Deus Sabaoth». Isti enim rithimi non recipiunt nisi decem sillabas. Secundum genus est cuius rithimus habet XII sillabas, et iste est ille cuius penultima sillaba est brevis, ut ibi: «ch'era ronchioso, stretto et malagevole»; item ibi: «Parlando andava per non parer fievole»; item ibi: «a parole formar disconvenevole». Tertium vero genus est cuius rithimus habet XI sillabas; et iste est ille cuius penultima sillaba est longa, ut communis usus demonstrat, sicut ibi: «Nel mezzo del cammin di nostra vita».

Adhuc nota, Lucane de Spinolis, cui istam expositionem ascribo, quod rithimi primi generis in una tantum debent sillaba sive lictera concordare, hoc est in ultima; secundi vero debent concordare in tribus sillabis, idest in penultimis et ultimis; et tertii in duobus, hoc est in duobus ultimis, ut in lictera manifestissime demonstratur. Et sic patet que est forma tractatus. Forma vero sive modus tractandi est poetivus, fictivus, descriptivus, disgressivus et transumptivus; et cum hoc diffinitivus, divisivus, probativus, improbativus et exemplorum positivus. Et sic patet que est forma sive modus tractandi.

Circa tertium vero, idest circa causam agentem, nota quod agens sive autor huius operis est Dantes. Fuit autem Dantes natione florentinus, nobili et antiquo sanguine natus, descendens de illis gloriosis Romanis qui civitatem Florentie, destructis Fesulis, fundaverunt; moribus insignitus et multis scientiis clare fultus, et maxime scientiis poetarum. Ipse enim mortuam poesiam de tenebris reduxit ad lucem. Et in hoc fuit imitatus Boetium, qui philosophiam mortuam suo tempore suscitavit. Circa quartum, idest circa causam finalem, nota quod autor istud opus composuit ad hunc finem principaliter, licet et multi alii possint assignari fines. Est autem principalis eius intentio removere viventes a statu miserie, relinquendo peccata, et sic composuit Infernum; reducere ad virtutes, et sic composuit Purgatorium; ut sic eos perducat ad gloriam, et sic composuit Paradisum. Fines vero alii qui possunt assignari in hoc opere sunt tres: Primus, ut discant homines polite et ordinate loqui; nullus enim mortalis potest sibi in lingue gloria comparari. Re vera, potest ipse dicere verbum prophete dicentis: «Deus dedit michi linguam eruditam»; et illud: «Lingua mea calamus scribe velociter scribentis». Ipse enim fuit calamus Spiritus Sancti, cum quo calamo ipse Spiritus Sanctus velociter scripsit nobis et penas damnatorum et gloriam beatorum. Ipse etiam Spiritus Sanctus per istum aperte redarguit scelera prelatorum et regum et principum orbis terre. Secundus finis est ut libros poetarum, qui erant totaliter derelicti et quasi oblivioni traditi, in quibus sunt multa utilia et ad bene vivendum necessaria, renovaret, quia sine ipsis ad cognitionem sue Comedie accedere non valemus. Tertius finis est ut vitam pessimam malorum hominum, et maxime prelatorum et principum, exemplariter condemnaret, bonorum autem et virtuosorum, per exempla que ponit, multipliciter commendaret. Et sic patet que est causa finalis in hoc opere.

Circa quintum, sub quo scilicet genere philosophie ista Comedia decurrat, nota quod istud genus est morale negotium, sive ethyca, quia non ad speculandum, sed ad opus inventum et fictum est totum et pars. Nam etsi in aliquo loco vel passu pertractatur ad modum speculativi negotii, hoc non est gratia speculativi negotii principaliter, sed operis, quia, ut ait Philosophus, secundo Methaphysice: «Ad aliquid et nunc speculantur pratici aliquando». Et sic patet sub qua philosophia comprehendatur ista altissima Comedia. Circa sexto vero et ultimum, hoc est circa titulum, nota quod libri titulus est iste: *Incipit profundissima et altissima Comedia Dantis, excellentissimi poete*. Que quidem Comedia in tres canticas est divisa: prima dicitur Infernus, secunda Purgatorium, et tertia Paradisus. Profundissima dicitur quia tractat de inferis; altissima vero quia tractat de superis. Comedia autem ideo dicitur quia in principio est horribilis, sed in fine delectabilis. Ad cuius maiorem et clariorem evidentiam te volo scire, Lucane, quod IIIIor sunt genera poetarum, quorum quodlibet genus propriam habet scientiam. Quidam enim dicuntur poete lirici, qui in operibus suis omnes carminum varietates includunt; et dicuntur lirici *apotulirin* greco, idest a varietate carminum; unde et lira dicta que habet varias cordas. Hoc genere carminum usus est David in componendo Psalterium. Unde Arator, Sancte Romane Ecclesie Cardinalis, super Actus Apostolorum ait: «Psalterium lirici composuere pedes». Quidam dicuntur satirici eo quod pleni sunt omni facundia, sive a saturitate vel copia. De pluribus enim rebus simul loquuntur, et dicuntur satirici sive satiri a quadam scientia poetica que dicitur *satyra*, sicut dicit quedam glosa super Persium: «Satyra est lauta mensa multis generibus frugum repleta, que consuevit offerri Veneri in sacrificio». Et ista de causa istud secundum genus poetice narrationis dicitur satira, quia abundat reprehensione vitii et commendatione virtutis; vel satyra dicitur a Satyro, deo silvarum. Satyri enim sunt quedam animalia ab umbilico supra formam hominis habentia, sed ab umbilico deorsum habent formam caprinam; in capite habent duo cornua, et nasum uncinatum. Sunt autem isti satyres leves et saltatores, nudi et dicaces, et omnium subsannatores. Sic ista scientia poetarum est levis, quia cito saltat de vitio in virtutem et de virtute in vitium; nuda et dicax dicitur, quia aperte vitia reprehendit; subsannatrix est quia deridet vitiosos.

Quidam dicuntur tragedi, et eorum scientia dicitur tragedia. Est autem tragedia quedam poetica narratio, que in principio est admirabilis et grata, in fine vero, sive exitu, est fetida et horribilis; et propter hoc dicitur a *tragos*, quod est <hircus>, et *oda*, quod est <cantus>; inde tragedia quasi <cantus hircinus>, idest fetidus ad modum hirci, ut patet per Senecam in suis tragediis. Vel, ut dicit beatus Ysidorus octavo libro Ethymologiarum: «Tragedi dicuntur eo quod initia canentibus premium erat hircus, quem Greci tragos vocant». Unde et Oratius: «Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum». Quidam vero dicuntur comici, et eorum scientia comedia. Est autem comedia quedam narratio poetica que in principio habet asperitatem alicuius miserie; sed eius materia prospere terminatur, ut patet per Terrentium in suis comediis. Dicitur autem iste liber Comedia quia in principio sue narrationis sive descriptionis habet asperitatem et horribilitatem, quia tractat de penis Inferni, in fine vero continet iocunditatem et delectationem, quia tractat de gaudiis Paradisi. Inter poetas liricos, Boetius et Symonides obtinent principatum; inter satyros, Oratius et Persius; inter tragedos, Homerus et Virgilius; inter comicos autem, Plautus et Terrentius. Dantes autem potest dici non solum comicus propter suam Comediam, sed etiam poeta liricus, propter

diversitatem rithimorum et propter dulcissimum et mellifluum quem reddunt sonum; et satyricus, propter reprehensionem vitiorum et commendationem virtutum quas facit; et tragedus, propter magnalia gesta que narrat sublimium personarum. Et hoc demonstrant duo versus sui epytafii, quos ad suam memoriam fabricavi:
Hic iacet excelsus poeta comicus Dantes,
Necnon et satirus et liricus atque tragedus.
Et sic patet libri titulus.

Postquam manifestata sunt illa sex que in quolibet doctrinali opere sunt querenda, est sciendum quod ista Comedia continet quatuor sensus, quemadmodum et scientia sacre theologie. Currit enim in hoc poesia cum theoiogia, quia utraque scientia quadrupliciter potest exponi; imo ab antiquis doctoribus ponitur poesia in numero theologie. Scribit enim beatus Augustinus VII libro De Civitate Dei quod Marcus Varro tria genera theologie esse posuit: unum scilicet fabulosum, quo utuntur poete; alterum naturale, quo utuntur philosophi; tertium vero civile, quo utuntur populi. Primus namque intellectus sive sensus quem continet Comedia dicitur hystoricus, secundus allegoricus, tertius tropologicus, quartus vero et ultimus dicitur anagogicus. Primus dico intellectus est hystoricus. Iste intellectus non se extendit nisi ad licteram, sicut quando accipimus Minoem iudicem et assessorem Inferni, qui diiudicat animas descendentes. Secundus intellectus est allegoricus, per quem intelligo quod lictera sive hystoria unum significat in cortice et aliud in medulla; et secundum istum intellectum allegoricum, Minoes tenet figuram divine iustitie. Tertius intellectus est tropologicus sive moralis, per quem intelligo quomodo me ipsum debeo iudicare. Et secundum istum intellectum, Minos tenet figuram rationis humane, que debet regere totum hominem, sive remorsus conscientie, qui debet malefacta corrigere. Quartus vero et ultimus intellectus est anagogicus, per quem sperare debeo digna recipere pro commissis; et secundum istum intellectum Minos tenet figuram spei, qua mediante penam pro peccatis et gloriam pro virtutibus sperare debemus. De illis autem personis quas ibi ponit hoc accipe, quod non debemus credere eos ibi esse, sed exemplariter intelligere quod, cum ipse tractat de aliquo vitio, ut melius illud vitium intelligamus, aliquem hominem qui multum illo vitio plenus fuit, in exemplum adducit. His omnibus visis, ad aliqualem expositionem lictere accedamus. Ista Comedia, ut dictum est, dividitur in tres canticas: prima dicitur Infernus, secunda Purgatorium, et tertia Paradisus. Sed primo de prima, cuius titulus talis est: *Incipit prima cantica Comedie Dantis*.

Inferno

I

INCIPIT PRIMA CANTICA COMEDIE DANTIS.

In ista prima cantica autor tractat de peccatoribus et peccatis, et in ea secundum rationem humanam penas peccatis adaptat. Continet autem ista prima cantica XXXIIIIor cantus; cuius primi cantus titulus talis est: *Incipit primus cantus prime cantice Comedie*.

In isto primo cantu autor prohemizat ad totem universaliter et generaliter Comediam, et ponit in hoc cantu principaliter duo: Primo, quomodo ipse volens ad montem virtutum ascendere, fuit a tribus vitiis impeditus, scilicet a luxuria, superbia et avaritia; que quidem vitia figurantur et designantur per tres feras que sibi apparuerunt, scilicet per lonzam, leonem et lupam. Secundo, ponit quomodo Virgilius, maximus poetarum, in auxilium suum venit, qui tenet typum et figuram rationis humane, qua mediante promittit sibi ostendere Infernum et Purgatorium. Sed quia ad divina et celestia contemplanda humana ratio non potest attingere, ideo promittit ei non per se, sed per celestem ductorem sive ducem, ostendere Paradisum. Viso titulo, licteram indagemus. Sed nota quod non est mea intentio procedere in hoc opere in omni passu vel loco more sermocinalis, seu naturalis, seu moralis scientie, singulariter et multipliciter dividendo, sed insistere circa licteram cuiuslibet scilicet cantus, summam summarie declarando, et demonstrando per quemlibet cantum qualem viam autor descendendo vel ascendendo facit, quot historias, quot questiones ac etiam prophetias cum occurrerint, et quot comparationes sive similitudines ac etiam notabilia ponit.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-3

Anno enim Domini MCCC, quo scilicet anno fuit Rome generalis remissio omnium peccatorum, sedente in Sacrosancta Sede Romana Bonifatio papa VIII, sacro autem Romano vacante Imperio, de mense Martii, die veneris sancti, hoc est illa die qua mortuus fuit Christus, in aurora iste poeta

more poetico fingit se istam Comediam, hoc est universa que continentur in ea, in visione vidisse. Unde ait in textu: *Nel mezzo del cammin di nostra vita*

Medium namque vite humane, secundum Aristotilem, somnus est. Quod autem in aurora suas ceperit visiones videre, patet per textum ibi: «Temp'era dal principio del matino».

vv. 37-39

Quod vero de mense Martii fuerit istud quod dicit, patet per illud quod immediate subsequitur:
e 'l sol montava su con quelle stelle
ch'eran con lui quando l'amor divino
mosse da prima quelle cose belle.

Amor enim divinus, quando in creatione mundi primum fecit celum et astra moveri, tunc sol erat in signo Arietis. Et in istud signum semper intrat quartodecimo Kalendis Aprilis, idest decimonono die mensis Martii, quo die creavit Deus celum et terram, secundum quod Romana tenet Ecclesia. Sed quod die veneris sancti, idest tali die qua Christus passus est, hanc habuerit visionem, demonstrat infra, cantu XXI, dicens:

Ier, più oltre cinque ore che quest'octa,

mille dugento con sesanta sei,

anni compiè che qui la via fu rotta.

Nam die veneris sancti, hora scilicet nona, qua Christus in cruce moriens expiravit, petre scisse sunt, ut sacra evangeliorum testatur ystoria. Incipiens autem universa que vidit per ordinem enarrare, dicit quod in medio itineris nostre vite, hoc est in somno, invenit se in una silva obscura, que mundi errores et vitia prefigurat. Et assignat causam quia a recto itinere deviarat, quod quidem rectum iter viam significat virtuosam.

vv. 4-6

Que autem et qualis fuerit ista silva, subiungendo declarat dicens:
Et quant'a dir qual era è cosa dura,
esta selva selvagia et aspra et forte
che nel penser rinnuova la paura.

Hoc est, dicere de ista silva quanta et qualis sit, est arduum et difficile. Sed tantum dico de ipsa quod adeo est aspra, silvestris et dura, quod quando recordor, etiam in illo cogitamine rennovat michi timorem pariter et pavorem.

vv. 7-9

Concludit autem omnia que in ista silva conspexit et sensit, que quidem enarrare non potest uno solo verbo, dicens:
Tant'è amara che poco è più morte;
ma per tractar del ben ch'i' vi trovai
dirò dell'altre cose ch'i' v'ò scorte.
Hoc est: tantum est amara ista silva, quod ipsa mors, que est amarior omni amaritudine, modicum amarior esse censetur. Sed ut enarraret nobis bona que elicere inde potuit, promittit se dicturum de aliis rebus quas ibidem esse conspexit.

vv. 10-12

Causam autem quare universa que vidit in ista silva narrare non potest assignat, dicens:
I' non so ben ridir com'i' v'entrai,
tant'era pien di sonno in su quel punto
che la verace via abandonai.
Hoc est, in illo punto in quo ego deserui viam rectam, tantum eram gravi sopore gravatus, quod ego nescio dicere mee principia visionis. Ambulans vero autor, sive potius devians atque errans per confusionem istius silve, tandem ad radicem unius collis devenit, ad quem habet terminum ista vallis, que timore horribili vulneraverat cor ipsius.

vv. 13-18

Et tunc oculos elevavit ad montem quem illius planete, qui omnem hominem per omnem callem via recta deducit, vidit radiis coopertum. Unde ait in textu:
Ma po' ch'i' fu' al piè d'un colle giunto,
là dove terminava quella valle
che m'avea di paura il cor compunto,
guardai in alto et vidi le sue spalle,
vestite già de' raggi del pianeta
che mena dricto altrui per ogni calle.

vv. 19-24

Et tunc ille timor, qui in lacu duraverat sui cordis, propter obscurum transitum quem de nocte fecit, que quidem nox nil aliud sonat quam horribiles tenebras que obscurant et horrificant illam silvam, quia ibi nullus dies, sed perpetua nox est, viso monte clarissimis radiis illustrato, fuit aliquantulum quietatus. Et nota quod dicit aliquantulum et non totaliter quia accidit sibi sicut solet accidere naviganti, qui postquam evasit pericula maris et ad ripam descendit, pre timore nondum digesto adhuc habet anelitum fatigatum. Et cum tali anelitu, statim quod de navi descendit, se vertit ad marina pericula que evasit. Unde ait in textu:
Allor fu la paura un poco queta
che nel lago del cor m'era durata
la nocte ch'i' passai con tanta pieta.
Et com'è quei che con lena affannata,
uscito fuor del pelago a la riva,
si volve a l'aqua perigliosa et guata,

vv. 25-27

Posito exemplo nautarum, dicit quod animus suus, qui adhuc illa pericula silvestria fugiebat, se retro convertit ad revidendum passum quem nunquam evasit persona aliqua certe vivens. Quasi dicat: Ego me verti ad considerandum et ymaginandum peccata et scelera que reliqui, que quidem nullus vivens evadere potest, quia non est qui vivat et non peccet. Ideo ait in textu:
Così l'animo mi' c'ancor fuggiva,
si vols'a dietro a rimirar lo passo
che non lasciò giammai persona viva.

vv. 28-30

Posita autor evasione silvana, ponit quod postquam ad radicem montis applicuit duo fecit: primum est quod aliquantulum fesso corpori pausam dedit; secundum est quod, corpore recreato, reincipit aggredi operibus illam viam deserte ripe, quam prius incipere animo cogitabat. Quem vero modum in ascendendo tenuerit, demonstrat dicens quod pes inferior firmior semper erat. Et hoc est quod ait in textu:
Poi ch'ei posat'un poco 'l corpo lasso,
ripresi via per la piaggia diserta,
sì che 'l piè fermo sempr'era il più basso.

vv. 31-48

Et ecce, dum sic gradiens versus illius montis se altitudinem autor sullevaret, in principio quasi ripe una lonza levis et compta multum, que tota diversis erat maculata coloribus, sibi apparuit a sua facie non recedens, imo tantum suum iter quod inceperat impedivit, quod ipse fuit pro

retrogradiendo pluribus vicibus fere versus. Sed quia iam noctis tenebre recedebant et aurora surgebat, videns illas prefulgidas stellas que in societatem Arietis ascendebant, cepit ex tali visione aliquantulum confortari, et contra illam bestiam vigore spiritus roborari. Et hoc est quod intendit in textu ibi:
Et ecco, quasi al cominciar dell'erta,
una lonza legera et presta molto,
che di pel maculato era coverta;
et non mi si partia dinanzi al volto,
anz'impediva tanto il mio cammino,
ch'i' fui per ritornar più volte volto.
Temp'era dal principio del mattino,
e 'l sol montava in su con quelle stelle
ch'eran con lui quando l'amor divino
mosse da prima quelle cose belle;
sì c'a bene sperar m'era cagione
di quella fiera la gaietta pelle,
l'ora del tempo, et la dolce stagione;

Quasi dicat: Sol qui iam ab inferiori emisperio ad nostrum superius emisperium ascendebat, et aurora, que ipsum preibat, michi contra illam feram deceptibilem et fraudulentam fiduciam ministrabant, sed non tantam quod timorem michi non daret etiam unus leo qui contra me cum capite elevato et fame rabiosa tam velociter veniebat, quod aer inde contremiscere videbatur. Ideo in textu inmediate subsequitur:

ma non sì che paura non mi desse

la vista che m'apparve d'un leone.

Questi parea che contra me venesse.

con la test'alta et con rabiosa fame,

sì che parea che l'aer ne temesse.

vv. 49-54

Positis autor impedimentis que a lonza sustinuit et leone, ad enarrandum tertium manum mittit, dicens quod una lupa, que onerata omni aviditate et fame in sua macilentia videbatur, et que multas gentes fecit iam vivere luctuosas, tantum sibi gravaminis irrogavit, quod ipse autor spem perdidit quam habebat ad illam altitudinem saliendi. Unde ait in textu:
Et una lupa, che di tutte brame
sembrava carca ne la sua magrezza,
et molte genti fè già viver grame,
questa mi porse tanto di gravezza
con la paura c'uscia di sua vista,
ch'i' perde' le speranza dell'altezza.

vv. 55-60

Qualiter autem ex visione illius lupe autor fuerit contristatus, exemplificando subiungit dicens quod, quemadmodum ille qui libenter lucratur, vel aliquid aliud voluntario et ardenti animo operatur, cum

tempus sue intentioni contrarium appropinquat in suo corde medullitus contristatur, sic eodem modo fuit ipse ad visionem illius bestie contristatus; et hoc totum quia illa bestia sine pace, sibi obviam veniendo, paulatim paulatim impellebat ipsum ad illam obscuram silvam, ubi splendor et presentia solis tacet. Et hoc est quod resonant verba textus:
Et qual è quei che volontieri acquista,
et giugne il tempo che perder lo face,
che 'n tutti i suo' pensier piange et s'attrista;
tal mi fece la bestia senza pace,
che, venendomi 'ncontro, a poco a poco
mi ripingeva là dove 'l sol tace.

vv. 61-66

Dum autem sic ruendo reverteretur ad yma, ante suos oculos quidam se obtulit, qui videbatur quod propter longum silentium esset raucus. Quem cum vidisset autor, suspirando clamavit: «Miserere mei, quicumque tu es, vel umbra vel homo certus». Unde ait in textu:
Mentre ch'i' ruinava in basso loco,
dinanzi alli occhi mi si fu offerto
chi per lungo silentio parea fioco
Quand'i' vidi costui nel gran diserto,
«Miserere di me», gridai a lui,
«qual che tu sii, od ombra od omo certo».

vv. 67-75

Rogatus iste qui apparuit ab autore, manifestat se esse Virgilium per quinque signa; sed primo respondit dubitationi autoris. Dubitabat enim autor utrum iste qui sibi apparuit esset verus homo in corpore vivens, an esset anima a corpore separata. Cui dubitationi respondens ait: «Non homo» – subaudi sum, quia homo componitur ex anima et corpore – «sed sum anima a meo olim corpore separata». Ideo sequitur: «Homo iam fui». Cuius autem anima fuerit, per quinque signa breviter manifestat: Primo, per locum ubi fuit genitus atque natus, quia in civitate Mantue, que est antiquissima et famosissima civitas in provincia Lombardie. Unde ait in textu: «Ambo mei parentes fuerunt lombardi, patria mantuani». Secundo, per tempus quando natus fuit, quia tempore Iulii Cesaris, dicens: «Natus fui sub Iulio, quamvis tarde»; tarde ideo dicit, quia prope mortem ipsius Iulii. Tertio, per locum ubi vixit, studuit et conversatus est, quia Rome, sub secundo imperatore Romano, Octaviano scilicet Augusto. Unde ait: «Et vixi Rome sub bono Augusto, tempore scilicet deorum mendacium atque falsorum». Quarto, per officium quo in mundo refulxit, quia poeta. Ideo ait: «Poeta fui». Sed quia multi poete fuerunt tempore illo, ideo quinto et ultimo, se manifestat per librum Eneydorum, quem de gestis Enee, Anchisis filii, composuit et descripsit. Ideo ait in textu: «Cecini de illo iusto filio Anchisis, qui venit a Troya postquam superbum Ylion extitit concrematum». Unde [ait] in textu:
Risposemi: «Non homo, homo già fui,
et li parenti miei furon lombardi,
mantuani per patria amendui.
Nacqui sub Iulio, ancor che fosse tardi
et vissi a Roma sotto 'l buono Augusto,
nel tempo delli dèi falsi et bugiardi.
Poeta fui, et cantai di quel giusto
filliuol d'Anchise che venne da Troya,
poi che 'l superbo Ylión fu combusto.

vv. 76-78

Postquam vero se manifestavit autori, Virgilius videns ipsum ex pugna ferarum ad ea que evaserat pericula remeare, ipsum autorem dulci locutione inducit ad duo: Nam primo incutit ei timorem, qui retrahit hominem a peccatis, dicens: «Sed tu quare reverteris ad tot et talia nocumenta de quibus» – supple Dei adiutorio – «evasisti?» Secundo, ipsum allicit ad amorem, qui facit hominem scandere ad virtutes, dicens: «Quare non ascendis delectabilem montem, qui est causa et principium omnis boni?» Et hoc est quod habetur in textu:
«Ma tu perchè ritorni a tanta noia?
perchè non sali il dilettoso monte,
ch'è principio et cagion di tutta gioia?».

vv. 79-90

Delectatus autor benigna visione Virgilii, et eius dulci colloquio confortatus, cum quadam admiratione et reverentia filiali incipit sibi loqui. In qua quidem locutione breviter tria facit: Nam primo, captat suam benivolentiam; secundo, exprimit suam miseriam; tertio, implorat suum adiutorium sive gratiam. Primum ibi: «Es tu nunc ille Virgilius et ille fons qui tam largum fluvium scientiarum expandis?» Et ibi: «O aliorum poetarum honor et lumen, tu es meus magister et meus autor; tu es solus ille a quo ego accepi illum pulcrum stilum qui michi fecit honorem». Secundum ibi: «Vide bestiam pro qua ego ad ea que reliqueram me converti». Tertium ibi: «Adiuva me ab illa, famose sapiens, que venas et pulsus contremiscere michi facit». Et hec tria patent in lictera.
«Or se' tu quel Virgilio et quella fonte
che spandi di parlar sì largo fiume?»
rispuos'i' lui con vergognosa fronte.
«O delli altri poeti honore et lume,
valliami il lungo studio e 'l grand'amore
che m'à fatto cercar lo tuo volume.
Tu se' lo mi' maestro e 'l mio autore,
tu se' solo colui da cu' io tolsi
lo bello stile che m'à fatto onore.
Vedi la bestia per cu'io mi volsi;
aiutami da lei, famoso saggio,
ch'ella mi fa tremar le vene e' polsi».

vv. 91-129

Postquam vero Dantes benivolentiam magistri captavit, suam miseriam explanavit, et dicti magistri gratiam imploravit, Virgilius ipsum ad sui sequelam inducit. Et ut eum magis alliciat ad sequendum, duo breviter facit: Nam primo incutit ei timorem, exarando sibi malivolas proprietates illius tertie fere, scilicet lupe, dicens: «Tibi convenit tenere aliam viam, si vis evadere de isto loco silvestri, quia illa bestia pro qua vociferando tu clamas non permittit aliquem transire per suam viam, imo tantum eum impedit quod ipsum occidit, et habet naturam ita malivolam atque ream, quod nunquam implet suam avidam voluptatem, et post pastum habet maiorem famem quam prius. Multa sunt enim animalia quibus exhibet se uxorem, et plura erunt adhuc quousque veniat ille velter qui eam mori facies cum dolore. Iste vero velter non cibabit – subaudi neque alios neque se – terra vel peltro, sed amore, sapientia et virtute – subaudi cibabit – et hoc quia sua natio erit inter feltrum et feltrum. Illius etiam humilis Ytalie erit salus, pro qua mortua fuit virgo speciosa Camilla, necnon et Curialus et Turnus et Nisus. Iste enim velter ipsam lupam expellet de villa in villam, quousque ipsam in Infernum remittet, unde primo invidia ipsam traxit». Secundo, postquam Virgilius autori timorem incussit, nunc eum allicit ad amorem, promittendo sibi ostendere secreta omnia que sunt in Inferno, Purgatorio, ac etiam Paradiso, dicens: Unde ego pro tuo meliori cogito et discerno quod tu me sequaris et ego ero tuus dux, et traham te hinc per locum eternum, ubi stridores audies desperatos, videbisque spiritus antiquos dolentes atque gementes, qui ad secundam mortem, hoc est ad corporum coniunctionem, exclamant. Et post hec videbis eos qui in igne – subaudi Purgatorii – sunt contenti. Et causam quare contententur in igne assignat dicens, quia sperant ascendere, purgatis offensis, ad gaudia Paradisi, ad que si ascendere postea volueris, anima – subaudi alia – dignior ad hoc erit, et cum ipsa te in meo recessu dimittam. Causam vero quare ad ostendenda celestia se dicit indignus assignat immediate cum dicit: «Quia ille imperator, qui superius ibi regnat, quia ego fui sue legi rebellis non vult quod in suam veniam civitatem». Et quia Dantes poterat dicere, secundum opinionem quorundam hereticorum, dicentium Deum in Inferno potentiam non habere: «Tu qui es damnatus quid habes facere cum Deo?» respondet Virgilius: In omnibus, inquit, partibus imperat et ibi regit. Ibi est sua civitas et alta sedes. O felicem illum quem eligit ipse ibi. Istarum autem duarum partium, prima incipit ibi: «A te convien tener altro viagio»; et finit ibi: «là onde invidia prima dipartilla». Secunda vero pars incipit ibi: «Ond'io per lo tu' me' penso et discerno»; et finit ibi: «O felice colui cu' ivi elegge».

vv. 130-136

Allectus autor ex promissionibus sibi factis, statim se offert liberaliter ad eundum, et quod maius est, Virgilium deprecatur ut statim adimpleat que promisit, et, ut citius eum moveat, per Deum quem ipse Virgilius non agnovit adiurat. Unde ait in textu: «O poeta, ego te requiro per illum Deum quem tu minime cognovisti, ad hoc ut ego fugiam istud malum et peius, quod tu me ducas quo modo dixisti, ita ut ego videam ianuam Sancti Petri, et illos quos tu facis taliter esse mestos. Tunc Virgilius, omni curialitate et solicitudine plenus, statim se movit ad iter, et Dantes, non minori solicitudine, secutus est eum. Unde ait in textu: *Allor si mosse, et io li tenni retro.*

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Nel mezzo del cammin di nostra vita. Per istud dimidium nostre vite accipe somnum, in quo, secundum Macrobium super *Somnio Scipionis*, quinque visionum speties sive genera contemplantur; hoc est: oraculum, visio, somnium, insomnium et fantasma. Cuiusmodi autem spetiei vel generis fuerit ista visio quam habuit ipse Dantes, transcurrendo ista quinque genera visionum videbimus manifeste. Oraculum enim, secundum eundem Macrobium, est cum in somnio parens, idest pater aut mater, vel alia sancta persona gravisque, seu sacerdos, seu angelus, seu etiam ipse Deus, aperte aliquid demonstrat eventurum vel non eventurum, faciendum sive vitandum. Visio est cum id quod quis videt in somnio eodem modo illud respicit vigilando; ut cum in somnio vidi me in cathedra sublimatum, facto die sum electus vel factus episcopus sive abbas. Somnium proprie vocatur illa visio que figuris tegitur et ambagibus nubilatur, et que non nisi per interpretationem potest intelligi vel cognosci. Huius autem somnii V sunt speties: aut enim est proprium, aut alienum, aut commune, aut publicum, aut generale. Tunc enim somnium dicitur proprium quando quis aliquid somniat tantum modo de se ipso. Alienum somnium est quando quis non circa se nec de se, sed circa alium et de alio, videt aliquid in quiete. Commune tunc somnium est quando quis aliquid videt quod et alium et se tangat. Publicum somnium est quando quis sue civitati vel foro vel teatro seu quibuslibet publicis ianuis menibus actibusve triste vel letum aliquid viderit evenire. Generale vero somnium est cum circa solis orbem lunaremque globum seu sydera, sive celum, sive aerem, sive maria, sive terras, quis somniat innovatum.

Hec autem visio quam vidit in somnio iste autor potest dici: Primo oraculum, quia gravis persona, ut puta Virgilius, in prima cantica, sanctaque, ut puta Cato et Statius, in secunda, parensque, ut puta Cacciaguida, et sacerdos, ut puta sanctus Bernardus, angeli, et ipse Deus in tertia, clara sunt sibi visione monstrati. Secundo potest dici visio, quia ipsa loca, ad que anime post mortem corporum vadunt, ymaginaria visione conspexit. Tertio potest dici somnium: et primo proprium, quia multa in Inferno, Purgatorio ac etiam Paradiso de se audivit, vidit et sensit; secundo potest dici alienum, quia multa circa alienos et de alienis sibi revelata fuerunt, vel quia quem statum aliorum sortite sunt anime deprehendit; tertio potest dici commune, quia multa que sibi mixtim et aliis contingere debebant aspexit, vel quia eadem loca tam sibi quam ceteris eiusdem meriti didicit preparari; quarto potest dici publicum, quia varietates et mutabilitates non solum sue civitatis, sed aliarum quam plurium, audivit et vidit; quinto potest dici etiam generale, quia Infernum, Purgatorium, celum, celique cives, ipsamve beatissima Trinitatem, sibi adhuc in carne viventi sunt videre concessa. Alia autem duo genera visionum, insomnium scilicet et fantasma, a sua visione penitus excluduntur. Sed nichilominus quid de ipsis idem Macrobius sentiat videamus. Insomnium enim est quotiens homo, cum cura oppressi animi, sive corporis, sive fortune, vadit cubitum sive dormitum. Cum cura enim animi vadit ille dormitum, qui vulneratus amore, cogitaminibus venereis totus plenus, que minime habet, somniat se habere. Unde Hero in epystola ad Leandrum ait:

Me miseram brevis est hec et non vera voluptas,
Nam tu cum somno semper abire soles.

Et regina Dido ait ad Annam, ut scribit Virgilius in quarto libro Eneydorum: «Anna soror, que me suspensam insomnia terrent». Cum cura vero corporis vadit ille cubatum, qui nimio cibo potuve gravatus se somniat suffocare, vel cum exuriens somniat manducare. Cum cura vero fortune ille vadit dormitum qui se existimat vel potentia vel magistratu aut promoveri pre desiderio, aut exui pre timore. Hec et his similia quantum ex habitu mentis, sicut prevenerant vigilando, ita turbant etiam dormiendo. Et hinc est quod una cum somno veniunt, et una cum somno pariter evanescunt. Falsa enim esse insomnia; nec etiam Maro, VI Eneidorum, tacuit dicens: «Sed falsa ad celum mittunt insomnia manes». Amorem quoque describens, cuius curam semper sequuntur insomnia, ait quarto libro:

Herent infixi pectore vultus

Verbaque, nec placidam membris dat anima quietem.

Fantasma autem est cum inter vigiliam et quietem in quadam, ut aiunt, prima somni nebula, adhuc se vigilare extimans qui dormire vix cepit, ex quibusdam fumositatibus cerebrum obnubilantibus, aspicere videtur in se irruentes vagantesque formas, a natura seu magnitudine seu spetie discrepantes. Ista duo ultima genera visionum cura interpretationis indigna sunt. Reliqua vero tria aliquid veri significant et important.

In dimidio igitur nostre vite, idest in somno, secundum quem nichil differt stultus a sapiente, prout Philosophus vult in fine primi libri Ethicorum, fingit autor suas visiones vidisse. Quidam autem opinantur dimidium nostre vite etatem in qua erat autor, quando istam incepit condere Comediam. Dicunt enim ipsum XXXV annos habuisse, vel circa; et secundum istum modum ponunt etatem hominis usque ad annum septuagesimum protelari. Sed iste numerus sive limes humane vite a Divina videtur discrepare Pagina etiam et pagana. Divina enim Pagina narrante didicimus quod Deus, iratus peccatis hominum, humane vite cursum post diluvium breviavit; sed non posuit septuagesimum annum fuisse postea limitem nostre vite, cum post inveniatur homo vixisse centum quinquaginta annis et ultra. Nostris etiam temporibus videmus quod, in multis partibus, multi centesimum vigesimum annum non solum attingant, sed etiam excedant. Statius etiam, primo libro Thebaidos, inumane vite terminum ponit centesimum et vigesimum annum esse, ubi loquitur de etate regis Adrasti, dicens:

Rex ibi tranquille, medio de limite vite
In senium vergens, populos Adrastus habebat.

Ubi dicit glosa quod medius limes vite nostre est annus sexagesimus. Cum hoc etiam concordat Iosephus dicens: Hunc terminum vite a Deo post diluvium fuisse homini constitutum. Sed, re vera, cursus humane vite nullo potest termino terminari, quia, licet etates hominis limitentur, ultima tamen nequaquam a sapientibus limitatur; ut habetur infra, cantu XXVII, super illo verbo:

Quando mi vidi giunto in quella parte

di mia età dove ciascun dovrebe

calar le vele et raccollier le sarte,

Autor autem cursum humane vite annorum numerum esse non ponit, sicut patet ex textu primi cantus et penultimi, ac etiam ultimi Comedie. Nam in isto primo cantu dicit:

I' non so ben ridir com'i' v'entrai,
tant'era pien del sonno in su quel punto
che la verace via abandonai.

Et in penultimo cantu, in quo introducit beatum Bernardum sibi in illa visione dicentem:

Ma perchè 'l tempo fugge che t'assonna

qui farem punto, etc.

Deinde etiam in ultimo cantu, premissa comparatione: «Qual è colui che sognando vede», rem comparatam, idest se ipsum, cum dicit: «cotal son io, chè quasi tutta cessa / mia visione, etc.» Unde per hoc patet quod autor dimidium vite nostre somnum esse prefingat.

Mi ritrovai per una selva 'scura. Ista silva in qua autor errasse se dicit, est iste mundus plenus arboribus peccatorum: qui dicitur silva obscura per veri ignorantiam, silvestris per boni carentiam, aspera per mali adherentiam, et fortis per detinentiam, quia fortiter et tenaciter hominem detinet irretitum. Vel per istam silvam asperam et confusam possumus huius autoris accipere civitatem, que suo tempore plena fuit erroribus, divisionibus atque guerris; nam multo tempore bellis fuit civilibus conquassata; in qua quidem divisione et errore iste autor propriis laribus fuit pulsus.

Chè la diritta via era smarrita. Hoc dicit quia in confusione et errore vitiorum homo a recto virtutum tramite deviando discedit. Nam virtus inter duo extrema, hoc est inter plus et minus, consistere comprobatur. Unde Philosophus dicit quod virtus est medium superfluitatis et indigentie. Per hanc itaque viam homo debet incedere virtuosus, ut non declinet neque ad dexteram superfluitatis neque ad sinistram indigentie. Unde ait Moyses ad regem Edon, ut habetur in libro Numerorum: Via regia gradiemur, non declinabimus ad dexteram neque ad sinistram. Dicitur autem virtus via regia, quia per virtutem devenitur ad civitatem regiam summi regis, quam viam ideo Christus dicit in Evangelio esse strictam, licet sit regia, quia, secundum Tullium, virtus est circa arduum et difficile.

vv. 4-6

Et quant'a dir qual era è cosa dura, usque ibi: *Tant'è amara che poco è più morte*, litera plana est. Et ideo non intendo, ubi litera plana sit, diutius immorari.

vv. 7-9

Ma per tractar del ben ch'i' vi trovai. Queri potest hic, cum in mundi confusionibus et erroribus nichil boni valeat reperiri, que bona autor conspexerit in hac silva? Et dicendum quod homo sapiens, dum mala mundi considerat et ipsum instabilem esse cernit, dumque in peccatis satietatem et requiem invenire non potest, mundus et ea que in mundo sunt sibi incipiunt displicere. Et tunc, quia cor hominis sine desiderio esse non potest, ad virtutes incipit anelare, et sicut ait beatus Gregorius: Gustato spiritu, desipit omnis caro.

vv. 10-12

I' non so ben ridir com'i' v'entrai. Bene dicit, quia vere nullus scit dicere qualiter et quomodo primo ingreditur istam silvam, idest quomodo primum labitur in peccatum. Istud enim est illud quartum quod Salomon penitus ignorasse se dicit. Tria, inquit, sunt michi difficilia, et quartum penitus ignoro: viam aquile in celo, viam navis in medio mari, viam colubri super petram, et viam adolescentis in adolescentia sua.

Tant'era pien del sonno in su quel punto

Hic manifeste apparet quod suas visiones in somno finxerit se vidisse, et sic se confirmat dictum superius positum: «Nel mezzo del camin di nostra vita».

vv. 13-15

Ma po' ch'i' fui al piè d'un colle giunto. Per istum collem sive montem accipe altitudinem et excellentiam virtutum, que faciunt hominem ad alta ascendere et superna.

vv. 16-18

Guardai in alto et vidi le sue spalle
vestite già de' raggi del pianeta

Iste planeta, qui suis radiis montem vestit, est prefulgida stella Venus, que tenet typum et similitudinem caritatis, que est omnium virtutum fulgidum ornamentum, sicut humilitas stabile fundamentum. Ad evidentiam autem predictorum clarius et perspicacius enodandam, est allegorice attendendum quod ista silva adeo tenebrosa statum peccati, mons vero luminosus virtutis statum, figurative tipiceque designant. Inter que duo, silvam videlicet atque montem, autor, qui humane nature liberum arbitrium representat, se invenisse confingit. Nam Deus, quando humanam naturam libero dotavit arbitrio, apposuit sibi bonum et malum, iuxta illud: Ignem et aquam apposui tibi ad quod vis extende manum tuam. Dantes vero, volens instruere hominem inter premissa contraria constitutum, exemplo sui poetice hic inducit, ut relicta silva malorum ad montem bonorum accedat. Qui quidem mons prefulgide stelle radiis illustratus dicitur et vestitus, quia caritas in stella Veneris, inquantum ad amorem disponit, hic allegorice figuratur.

che mena dricto altrui per ogni calle.

Natura sancti amoris est ista, quod per omnem viam prosperam vel adversam hominem recte ducit, quia nec in adversis deprimitur, nec in prosperis elevatur.

vv. 28-30

sì che il piè fermo sempr'era 'l più basso.

Facit hic autor sicut faciunt ascendentes, qui quando aliquam viam arduam saliunt vel ascendunt, semper habent pedem inferiorem firmiorem. Qui quidem pes, moraliter exponendo, accipitur pro timore; habet enim timor talem proprietatem, quod hominem firmat ne in peccata labatur. Ubi nota quod duo sunt necessaria homini volenti ascendere ad virtutes: Primum est timor, qui firmat hominem ne peccet. Unde Salomon: Per timorem Domini declinat omnis homo a malo. Et proverbium vulgare: Paura guarda vigna, ma non mala famillia. Secundum est amor, qui movet et incitat ad agendum; operatur enim magna si est. Unde beatus Gregorius, loquens de illo amore quem homo debet habere ad Deum et ad quem omnes alii amores debent regulariter regulari, ait: Amor Dei non est otiosus; operatur enim magna si est; si autem operari negligit, amor non est. Per timorem itaque et amorem efficitur homo bonus. Pes igitur inferior, qui stat firmus, timorem; pes vero superior, qui movetur, amorem significat et importat.

vv. 31-33

Et ecco, quasi al cominciar de l'erta,
una lonza leggiera et presta molto,

Hic tangit autor, figurative loquendo, tria vitia que impediunt omnem hominem volentem scandere ad virtutes; que quidem tria vitia radices sunt omnium vitiorum et omnibus bonis operibus adversantur. Prima namque fera dicitur lonza, diversis depicta coloribus, et signat luxuriam, que adolescentes maxime ad se trahit. Secunda fera dicitur leo, qui propter suam audaciam et propter colerara quam habet adustam, propter quam dicitur pati quartanam, superbiam prefigurat, que quidem maxime habet iuvenes impedire; quia talis etas avida est honoris, sicut adolescentia est avida voluptatis. Tertia vero fera dicitur esse lupa, que propter sui ingluviem et insatiabilem famem habet avaritiam figurare. Que quidem senescentes habet spetialiter impedire, et semper ipsa cum ipsis senescentibus iuvenescit, nunquamque senescit. Et hoc est quod resonant verba textus, ubi loquitur de lupa predicta:
et à natura sì malvagia et ria,
che mai non empie la bramosa vollia,
et dopo 'l pasto à più fame che pria.

Et ideo beatus Ieronimus bene ait: Cum cetera vitia in homine senescant, sola avaritia iuvenescit. Legitur enim de naturis luporum quod quanto magis etate senescunt, tanto magis se vitia iuvenescunt. Et, ut ista tria clariori luce mistice videamus, est notandum quod Dantes tenet in hoc loco typum et figuram hominis universales etates humane nature currentis. Que quidem etates, licet sint septem, ad ternarium tamen numerum reducuntur, videlicet ad adolescentiam, iuventutem et senectutem. Quas tres etates ponit a tribus principalibus vitiis, que omnia alia vitia intra se continent, impediri: Primo a luxuria, que sui delectabili venustate maxime, prout supra dicitur, allicit hominem in adolescentia constitutum. Ideoque dicitur eius pellis variis coloribus esse picta, que pellis allegorice intellecta illa signa venerea prefigurat, que carnali amore hominem detinent irretitum, prout sunt lascivi: visus, colloquia, risus et tactus. Et hoc est quod resonat textus ibi:

vv. 34-36

et non mi si partia dinanzi al volto,
anzi 'mpediva tanto 'l mi' cammino,
ch'i' fui per ritornar più volte vòlto.

Quasi dicat; Licet vellem ad montem virtutum ascendere, illius fere variata depictio me a bono proposito revocabat. Quod autem sequitur:

vv. 37-43

Temp'era dal principio del mattino,
e 'l sol montava in sù con quelle stelle
ch'eran con lui quando l'amor divino
mosse da prima quelle cose belle;

sì c'a bene sperar m'era cagione
di quella fiera la gaietta pelle,
l'ora del tempo et la dolce stagione;

Sic allegorice est summendum. Licet enim autor ad aspectum lonze que, ut dictum est, luxuriam prefigurat, plurimum titubaret, tamen, ut prudens somniorum interpres, concepit in sue tempore visionis per illam variatam pellem, que delectationem et pulcritudinem in se gestat, ad meliora, hoc est ad summam pulcritudinem delectationemque posse transire. Iuxta quod ad Romanos scribit Apostolus: Invisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. Nam si tanta pulcritudo in creaturis ac etiam tanta delectatio reperitur, quorum primum est vanum reliquum vero insatiabile, quanta debet esse pulcritudo firma celestis et delectatio duratura? Idcirco sic construe textum: *Temp'era dal principio del mattino*; idest matutinali tempore quo ab oriente aurora incipit emicare, michi apparuit illa fera. Et ad istud tempus clarius declarandum, quo scilicet anni tempore istam habuit visionem, ait:

e 'l sol montava in sù con quelle stelle
ch'eran con lui quando l'amor divino
mosse da prima quelle cose belle;

Hoc est, illo enim tempore atque hora sol ad nostrum emisperium ascendebat cum illis, scilicet stellis, que erant cum ipso quando amor divinus, qui, secundum Boetium, stabilis manens dat cuncta moveri, ipsum cum ipsis a primordio primum movit. Et hoc fuit quarta die creationis mundi, iuxta beatum Ambroxium in himno dicentem: Quarto die qui flameam solis rotam constituens, lune ministrans ordinem vagosque cursus syderum, fuit autem sol creatus in signo Arietis; quod quidem signum intrat circa decimum nonum Martii. Dicit igitur autor concludendo quod illa dulcis hora, quia tempore matutino, quo vera somnia et non falsa, utilia et non damnosa, solent plurimum apparere, sibi melioris spei causam intulit, ut, considerata pulcritudine pellis fere, posset ad meliora procedere. Ideo sequitur in textu:

sì c'a ben sperar m'era cagione
di quella fiera la gaetta pelle,
l'ora del tempo et la dolce stagione;

Quasi dicat: Illud dulce tempus et hora michi spem ac fiduciam ministrarunt, ut illius fere pellis gaetta, idest delectabilis et iocunda, optimum esset signum a carnalibus ad spiritualia et a terrenis ad celestia respirare.

vv. 44-45

Quod autem sequitur:

ma non sì che paura non mi desse
la vista che m'apparve d'un leone.

Sic est intelligendum: Quamvis enim in bonam partem sumpserim illius fere visionem, ratione temporis matutini michi bonam fiduciam ministrantis, non tamen tantam quantam michi expediebat, quia michi apparuit unus leo, quo viso perdidi fiduciam iam conceptam. Circa quem leonem, secundum licteram quatuor considerare debemus: Primum est quia non dicit eum absolute fuisse leonem, sed habuisse effigiem leoninam, ibi: «la vista che m'apparve d'un leone». Secundum, quia dicit ipsum contra se erecta cervice venisse, ibi: «Questi parea che contra me venisse». Tertium est quod ponit in ipso rabiosum ac famelicum appetitum, ibi: «et con rabiosa fame». Quartum est quod ex suo aspectu aeri timorem ingerere videbatur, ibi: «sì che parea che l'aer ne temesse». Ista quatuor allegorice exponendo, peccatum superbie prefigurant; nam peccatum superbie dicitur habere effigiem leoninam, non tamen ipsum esse leonem. Videtur enim leo, sed non est. Nam superbia, cuius appetitus est propria excellentia, videtur in se habere maxime tria: Primo altam excellentiam et maiestatem, sed deducit ad infimum precipitium et immanitatem, et hoc est valde cecum appetere. Seneca, octavo Tragediarum: «Ceca est temeritas que petit casum ducem». Secundo videtur habere securitatem et firmitatem, et habet in se periculum et varietatem. Rami enim arboris, secundum Crisostomum, qui sunt in ymo sunt in quiete et securitate; qui autem sunt in vertice, facile a ventis agitantur atque franguntur. Unde monet Seneca dicens: Redige te ad yma a quibus cadere non potes. Refert Valerius quod dum quidam rex coronari deberet, coronam manu tenens, ad principes suos ait: O nobilem magis quam felicem coronam, quam si quis cognosceret quam multis periculis et solicitudinibus plena sit nec humani iacentem tollere vellet. Seneca, secundo Tragediarum: «Dum excelsus steti nunquam pavere destiti». Tertio videtur habere durabilitatem et habet status et vite brevitatem; Ecclesiastici X: Omnis potentatus brevis vita. Seneca, nono Tragediarum, loquens de Neronis imperatoris superbia ait: Licet extruat marmoribus atque auro, tegat superbus aulam limen, ducis servent armate coortes, mittat immensas opes exhaustus orbis, supplices cruentam dexteram parthi petant. Regna divitias ferant, veniet dies tempusque quo reddat animam nocentem sceleribus suis, iugulum hostibus desertus et destructus ac cunctis egens. Et sic patet primum. Ideo bene ait autor in textu: «la vista che m'apparve d'un leone».

vv. 46-48

Circa secundum, nota quod superbia erecta cervice contra omnem hominem semper vadit; et non solum contra hominem, sed etiam contra Deum. De primo Plautus, poeta comicus, in persona superbie loquens ait: Minores despicimus, maioribus invidemus, ab equalibus dissentimus. De secundo, Propheta invehens in superbos: Ambulant, inquit, contra Deum extento collo. Ideo bene ait in textu: «Questi parea che contra me venesse / con la test'alta». Nam semper superbus se erigit contra Deum. Psalmista: «Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper». Exemplum regis Capanei gigantis, de quo habetur infra, circulo VII, cantu XIIII. Circa tertium, nota quod superbia nunquam honoribus et dignitatibus satiatur. Exemplum habemus in primo angelo, qui positus a Deo in tanto culmine dignitatis, superveniente superbia contentari non potuit; et ideo rabiosam dicitur pati famem. Exemplum Alexandri, de quo narrat Valerius, libro octavo, capitulo de cupiditate glorie, quod habebat tam insatiabile pectus, quod nullis honoribus nullisque victoriis repleri valebat. Nam cum quidam suus comes, nomine Anaxarcus, sibi semel dixisset quod suus preceptor Democritus dicebat innumerabiles mundos esse, ait: «Heu me miserum, quod nec uno quidem adhuc sum potitus». Et addit Valerius: Angusta uni homini possessio fuit que deorum omnium domicilio suffecit. Ideo ait in textu: «et con rabbiosa fame». Circa quartum vero et ultimum, est notandum quod ipsa superbia molestat et infestat maxime cum in tirannidem convertitur. Etiam sanctos Dei, qui per aerem figurantur quia a terrenis elevati, solum celestia concupiscunt. Et licet ipsam infestationem diligant pro se ipsis, quia est eis, secundum Gregorium, sicut lima ferro et fornax auro, tamen pro timidis et tepidis ipsam timent. Unde Christus in sua passione, Iudeis et militibus Pilati querentibus ipsum capere et tenere, ait: Si me vultis, ego sum; sinite hos abire. Sciebat enim quod apostoli nondum fortes erant ad tolerantiam passionis. Ideo ait in textu: «sì che parea che l'aere ne temesse».

vv. 42-51

Quod autem sequitur:
Et una lupa, che di tutte brame
semblava carca ne la sua magrezza,
et molte genti fè già viver grame,
Sic primo construe: Non solum illa leonina effigies, que superbiam prefigurat, me a bono proposito revocabat, sed etiam una lupa, que propter sui ingluviem avaritiam preostendit, tantum michi gravedinis irrogavit, quod ego perdidi spem ad celestia ascendendi. Unde sequitur in textu:

vv. 52-54

questa mi porse tanto di gravezza
con la paura c'uscia di sua vista,
ch'i' perdei la speranza de l'altezza.
Circa vero istam avaritiam, que naturam dicitur habere lupinam, quatuor secundum licteram considerare valemus, duo in se et duo extra se. In se enim habet: primo, insatiabilem voluptatem; secundo, insanabilem infirmitatem. Extra se autem: primo, nullam in animo securitatem; secundo, nullam de suis divitiis felicitatem. Circa duo prima, est notandum quod avaritia habet is se ista duo periculosa: primum est insatiabilis voluptas; nunquam enim mens avari hominis satiatur. Unde Salomon: Avarus non implebitur pecunia. Et Seneca: Avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Ideo ait in textu: «che di tutte brame». Secundum est insanabilis infirmitas, quia avarus a sua infirmitate divitiis vel paupertate, ut ait Philosophus, curari nequit. Nam si efficitur pauper, in avaritiam vergit; si vero dives, nunquam satiatur. Et in hoc avarus ydropico similatur, qui quanto plus bibit, plus bibere concupiscit. De quo poeta: «Quo plus sunt pote, plus sitiuntur aque». Ideo ait in textu: «sembiava carca nella sua magrezza». Quasi dicat: licet avaritia sit onerata divitiis, nunquam efficitur inde pinguis. Et ista duo intra se concludit avarus.

Extra se vero duo alia considerare debemus. Primum est quod avarus nullam habet in animo securitatem; nam avarus in congregando habet laborem, in custodiendo habet timorem, in perdendo vero dolorem. Et beatus Augustinus dicit quod avarus dum dormit latrones somniat. Et hoc est quod resonant verba textus: «et molte genti fè già viver grame». Secundum est quod avarus nullam habet de suis divitiis felicitatem; nam, ut manifeste videmus, de bonis congregatis avarus gaudere vel letari non potest; et hoc quia divitie sunt onera animum hominis aggravantia. Et in hoc felicior est pauper quam dives, qui nullo in animo onere pregravatur. De quo Iuvenalis: «Cantabit vacuus coram latrone viator». De divite autem per respectum ad pauperem ait Seneca. X libro Tragediarum:
Cispes tyrio mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum!
Quantos intus sublimis agit / fortuna metus!...
Pectora pauper secura regit.

Ideo ait autor in textu:

questa mi porse tanto di gravezza

con la paura c'uscia di sua vista,

ch'i' perde' la speranza de l'altezza.

Timor enim qui exit de avaritia, quia semper timet homo deficere si terrena relinquat, solicitudinem suggerit homini de eternis. Et ideo Christus in Evangelio: Non potestis Deo servire et Mammone. Est autem Mammona, ut dicit glosa, nomen demonis, qui de divitiis temptat hominem in hac vita. His allegorice de avaritia, que prefiguratur in lupa, conspectis, aliqua de natura lupina secundum tres solummodo autores, Ysydorum videlicet, Aristotilem et Homerum, breviter sub compendio videamus. Natura enim lupi, secundum Ysidorum, est rapacitas, crudelitas, et tolerantia famis; sic avaritia facit hominem in alios rapacem, in suos crudelem, et in se inhumaniter esse parcum. Nam, ut in libro De Proprietatibus Rerum scribitur: Lupus famem diutius tolerat ut possit melius et avidius laniare. Sic avarus etiam non expendit, ut possit melius pecuniam aggregare. Scribit etiam beatus Ambrosius quod quidam dives avarus dum sibi semel sua uxor ovum coctum portasset ad mensam, suspirans ait: Heu mulier, quid fecisti? Ex isto ovo poterat oriri gallina. Aristotiles autem dicit quod lupus quanto senior tanto peior. Sic avarus, ut superius dictum est, quanto plus etate senescit, tanto plus avaritia iuvenescit. Et hoc est valde stultum, in itinere unius diei portare cibaria ad victum sufficientia toti anno. Unde Seneca: Avarus quid sibi velit non intelligo. Dicit etiam Aristotiles quod in India est lupus qui habet faciem hominis, pedes leonis, caudam scorpionis, velocitatem cervi, vocem tube, et duos ordines dentium in ore, superius et inferius ordinatos. Istud monstrum indicum vere avarum hominem prefigurat. Habet enim avarus faciem hominis, quia blanditur at adulatur illis a quibus intendit aliquid extorquere; pedes leoninos, quia semper suus affectus ad rapiendum intendit; caudam scorpionis, quia semper in fine deceptionum venena perfundit; vocem tube, quia a remotis partibus mercatores et mercantias faucibus hyantibus ad se vocat; duos ordines dentium, quia dum bona temporalia rapaciter coacervat crudeliter sepelit et occultat. Ipsaque sic coacervata et occultata aliquando a tiniis et erugine demoliuntur, et aliquando a furibus effodiuntur pariter et furantur, ut ait Christus in Evangelio, Mathei VIam. Homerus autem dicit quod lupus est animal valde vigil et parum dormit; sic avarus, dum vigilat inquerendo quietem, perdit internam pariter et externam. Fugit enim somnus ab oculis eius. Exemplum igitur de quodam paupere, qui quotidianum victum labore manuum acquirebat, et semper letus et iocundus apparebat, et totam contratam cantu nimio fastidibat. Cuius letitiam suus convicinus admirans, et sciens divitias libertati fore contrarias, quandam tascam plenam pecunia in

domum illius pauperis clam proiecit. Qui cum illam invenisset, statim letitiam perdidit, tristitiam et melancoliam incurrit, et nec cantare nec dormire, neque requiem invenire valuit quamdiu apud se tenuit illam tascam. Reddita vero domino suo tasca, sibi rediit leta quies. Ideo bene ait quidam doctor: Thesauros invenisti, requiem perdidisti. Ideo, his omnibus attente consideratis, bene in consequentibus ait Virgilius ad autorem ibi:

chè questa bestia, per la qual tu gride,

non lasci'altrui passar per la sua via,

ma tanto lo 'mpedisce che l'uccide;

et à natura sì malvagia et ria

che mai non empie la bramosa vollia,

et dopo 'l pasto à più fame che pria.

vv. 61-63

Mentre ch'i' ruinava in basso loco,
dinanzi alli occhi mi si fu offerto
chi per lungo silentio parea fioco.
Raucus videbatur autori Virgilius, quia multa per secula ipse Virgilius et alii poete, per longum silentium, hominibus ignoti erant. Sed autor ipsum et alios qui per negligentiam et ignaviam in eis non studentium mortui videbantur, suo tempore suscitavit.

vv. 91-93

«Ad te convien tenere altro viaggio».

Nota quod autor, postquam vitia que hominem ad bene agendum impediunt designavit, ponit quomodo Virgilius, maximus poetarum, sibi apparuit, et quomodo eum ab illis tribus vitiis liberavit. Ubi est notandum quod Virgilius in hoc loco tenet figuram et similitudinem rationis humane, qua mediante autor penas peccatis adaptat. Unde si in aliquo loco vel passu videatur contra catholicam fidem loqui, non miretur aliquis, quia secundum rationem humanam poetice pertractando dirigit vias suas. Et ego, simili modo exponens et glosans, non nisi itinera sua sequar. Quia ubi loquitur poetice, exponam poetice; ubi vero theologice, exponam theologice, et sic de singulis. Non autem intendo vel contra fidem vel contra Sanctam Ecclesiam aliquid dicere sive loqui. Si autem aliquid inepte dicerem, volens textum autoris exponere, ne aliquid remaneat inexcussum, ex nunc revoco et annullo, et Sancte Romane Ecclesie et eius officialium correctioni et ferule me submitto. Quia si in ista Comedia esset aliquod hereticum, quod per poesiam seu aliam viam sustineri non posset, non intendo illud tale defendere vel fovere, immo potius, viso vero, totis conatibus impugnare. Rogo te autem, o lector, ut autorem non iudices sive culpes, si tibi videatur quod ipse autor in aliquo loco vel passu contra catholicam fidem agat, quia poetice loquitur et fictive. Et ideo iste liber dicitur Comedia, que est quoddam genus poesie ad quam spectat vera in tegumentis poeticis et propheticis ambagibus nubilare. Unde iste autor, quamvis theologus et fidelis, tamen ad cognoscendum Deum et adscendendum ad ipsum poeticas scalas facit. Et in hoc imitatus est non solum Platonem et Martialem, sed etiam Salomonem, qui more poetico condidit Cantica Canticorum, ex quibus gentiles sibi epythalamia vendicarunt. Et tanto maior poeta omnibus aliis est censendus, quanto magis sublime opus ipse composuit, non solum de Inferis, ut simplex poeta loquendo, sed ut theologus de

Purgatorio ac etiam [de] Paradiso, quantum homo aliquis subtilius ymaginari potest, ad utilitatem omnium viventium venustissime pertractando.

vv. 115-117

C'a la seconda morte ciascun grida. Nota quod duplex est mors, temporalis videlicet et spiritualis. Temporalis mors est illa que separat animam a corpore. Spiritualis vero mors est illa que separat animam ab ipso Deo, que quidem mors nil aliud est quam mortale peccatum. Et hec etiam est duplex: Prima in presenti, quando scilicet homo mortaliter peccat; sed ab ista morte potest homo per penitentiam surgere; de qua resurrectione dicit beatus Apostolus: Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus. Secunda est in futuro, quando scilicet homo, cum peccato mortali decedens, eternis suppliciis mancipatur. Et ista etiam duplex est: Prima est illa qua in Inferno sola anima cruciatur. Et de hac habetur in Evangelio beati Luce XVI: Mortuus est dives, et sepultus est in inferno. Secunda est illa qua simul cum corpore anima post generalem omnium resurrectionem cruciabitur in Inferno. Et de hac ait beatus Iohannes in Apocalipsi XX: Beatus qui habet partem in resurrectione prima; in hiis secunda mors non habet potestatem. Ad hanc igitur mortem clamant damnati quia optant ut compleatur numerus damnatorum, quia, ex invidia quam habent, vellent quod omnes homines damnarentur.

vv. 121-123

Anima fia a ciò di me più degna. Volens Virgilius autorem ad sui sequelam inducere, promittit sibi ostendere Infernum et Purgatorium. Sed quia ad secreta celi et divina humana ratio, quam prefigurat Virgilius, non attingit, ideo non promittit sibi ostendere Paradisum, sed dicit quod ad hoc demonstrandum una alia anima erit dignior eo, et ista est Beatrix. Que quidem Beatrix tenet typum et figuram vite spiritualis; ubi nota quod Beatrix in ista Comedia accipitur quatuor modis: interdum enim accipitur licteraliter pro quadam videlicet nobili domina florentina, que sua pulcritudine et morum honestate mirabiliter emicuit in hac vita; aliquando accipitur allegorice pro sacra scilicet scientia theologie; aliquando accipitur moraliter, sive typice, pro vita scilicet spirituali; aliquando vero accipitur anagogice pro gratia scilicet divina, homini infusa, et vita beata homini attributa. Que quatuor in lictera perspicaciter intuenti clarius apparebunt.

In isto primo cantu continentur unum vaticinium sive prophetiam, tres istorias, duas comparationes et unum notabile.

VATICINIUM.

vv. 100-105

Molti son li animali a cui s'ammoglia,
et più saranno ancora, in fin che 'l veltro
verrà, che la farà morir con doglia.
Questi non ciberà terra nè peltro,
ma sapientia et amor et virtute,
et sua nation sarà tra feltro et feltro.

Postquam Virgilius contra avaritiam locutus est Danti, ponit quoddam vaticinium, dicens quod venturus est quidam dominus qui avaritiam exterminabit e mundo, ipsamque in Infernum reducet, de quo loco invidia dyabolica concitavit, ac per totam mundi machinam seminavit. Iuxta quod in Libro Sapientie dicitur secundo capitulo: Invidia dyaboli mors introivit in orbem terrarum. Hoc est, per invidiam dyaboli mors, hoc est avaritia, que totum mundum occidit, introivit in orbem terrarum. Sed circa istud vaticinium tria principaliter sunt vicenda: primo, quare iste venturus dominus canis leporarius nominetur; secundo, quid vult dicere quod sua natio erit inter feltrum et feltrum; tertio, quare potius debet esse salus Ytalie quam aliarum provinciarum, cum de mundo ipsam debeat extirpare. Circa primum nota quod iste venturus dominus dicitur canis leporarius propter quasdam laudabiles conditiones quas habet canis leporarius. Nam canes leporarii, inter omnes canes, sunt magis nobiles et generosi, ut vult Philosophus in libro De Animalibus. Unde, propter eorum generositatem, duo maxime laudabilia habent: Primum est quod non latrant. Unde Philosophus dicit quod canes generosi non latrant. Secundum est quod captam predam non comedunt, sed venatoribus servant. Per primum accipere possumus nobilitatem Romani Imperii, quod quidem inter omnia regna obtinet principatum. Per secundum vero, personam possumus accipere imperantis, qui quidem ita largus erit quod nichil sibi preter honorem et gloriam reservabit, sed omnia rei publice et suis militibus assignabit. Sicut Scipio Africanus qui, subiugata Affrica, que est tertia pars mundi,

senatoribus et universo consilio Romanorum inquit: Cum totam Affricam vestre dominationi subiecerim, nichil ex ea preter nomen et gloriam reportavi. Habent etiam canes alia duo mirabilia, propter que merito iste venturus dominus sub figura canis figuraliter figuratur: primum est quod parcunt prostratis; secundum est quod insiliunt in rebelles. Et de his duabus proprietatibus dicitur in libro De Proprietatibus Rerum: Canum mitigatur sevitia homine humi concedente, inflamatur autem et accenditur homine impugnante. Et ista duo pertinent ad sacrum imperium, sicut prophetatum fuit longo ante tempore, prout scribit Virgilius libro VI Eneydorum. Et beatus Augustinus etiam ponit in primo libro De Civitate Dei: Parcere subiectis et debellare superbos. Circa secundum est notandum quod iste poeta, more poetarum, futura vaticinatur; unde poeta idem est quod propheta. Nam quos Sacra Scriptura prophetas appellat, hos pagani denominabant poetas, et aliquando vates. Vates autem a *vi mentis* dicuntur, ut ait Varro. Vaticinando igitur dicit autor istum venturum dominum nasciturum inter feltrum et feltrum. Hoc est quia ista exterminatio quam faciet de avaritia erit virtualis et essentialis, non vitiosa et apparens; ideo dicit ipsam oriundam a corde. Cor autem medium est inter duas subascellas. Abscella autem lingua hyspana*feltrum* vocatur. Dicit itaque: «la sua nation sarà tra feltro et feltro»; hoc est, sua operatio, propter quam virtus renovabitur in hoc mundo, exiet de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta, ut ait beatus Paulus Apostolus. Circa tertium vero nota quod, licet ipsam avaritiam iste venturus dominus de toto mundo debeat effugare, nichilominus iste vates ponit vaticinando quod erit salus totius Ytalice regionis, quia in Ytalia magis avaritia viget, et in laycis clericis maxime propter symoniam prelatorum et presidum sacrosancte Romane Ecclesie cupidorum. Ea propter, ubi magis abundat infirmitas, ibidem succurrere magis debet efficacia medicantis. Veniet itaque venturus dominus qui avaritiam et symoniam de Ytalia ac orbe etiam universo repellet. Vel aliter anagogice exponendo: Per istum leporarium accipere possumus Christum, qui venturus est ad iudicium, cuius natio, idest apparitio, erit inter feltrum et feltrum, hoc est inter bonos et reprobos, ibique avaritia, que secundum Apostolum ydolorum est servitus, cum omnibus aliis vitiis in Inferno recludet cum dicet: «Ite, maledicti, in ignem eternum, qui paratus est dyabolo et angelis eius», ut habetur in Evangelio beati Mathei, XXV capitulo.

vv. 106-108

Di quell'umile Ytalia fia salute
per cui morì la vergine Camilla,
Curialo, Turno et Niso di ferute.

Hic tangit autor tria prelia que fuerunt inter montes ubi nunc est Roma et regnum Rutilorum, quod quidem hodie Campania nominatur. Ista autem prelia fuerunt inter Eneam, venientem de Troya, et Turnum regem Rutilorum per annos CCCC et ultra, antequam Romulus et Remus, qui de ipsius Enee stirpe regia descenderunt, alme urbis fundamenta iecissent. Pugnavit autem utraque pars pro Ytalia possidenda ac etiam sublimiter sublimanda. Nam Eneas, ut sacrum Romanum fundaret Imperium, quia per artem astrorum et oracula deorum previderat illud solummodo in Ytalia duraturum ac etiam regnaturum, licet esset totus pius et dulcis, et quia Turno pacem habere non poterat, se ad bella convertit. Turnus etiam, ut liberaret Ytaliam de manibus Troyanorum, et quia ab oraculis receperat in responsum quod quicumque Laviniam, virginem filiam regis Latini, duceret in uxorem, filii eius et descendentes ex ipso totius mundi imperium possiderent, et Eneas ad illud matrimonium totis viribus aspiraret, et maxime, quia dicta Lavinia sibi fuerat desponsata, tantum Ytaliam ferro defendit, quod ipse et Camilla, regina Vulscorum ex una parte et ex alia parte Eurialus et Nisus in diversis preliis ceciderunt. Fuerunt autem inter ipsos plura et diversa prelia, et maxime tria: Primum scribit Virgilius, VIIII libro Eneydorum, in quo bello ceciderunt Eur[i]alus ac Nisus; secundum scribit libro XI, in quo cecidit ipsa virgo Camilla; tertium vero scribit libro XII, in quo mortuus fuit Turnus. At ego, volens sequi ordinem Virgilii, licet autor primo ponat Camillam, primo ponam Eurialum et Nisum. Eurialus enim fuit quidam nobilis adolescens, unus de numero principum Troyanorum; nam ex parte matris de stirpe regia descendit, sicut ipse ait ad Iulum, Enee filium, ut nono Eneydorum volumine continetur: Est michi genitrix Priami de gente vetusta. Fuit autem tante pulcritudinis ac etiam venustatis quod nullus in toto exercitu Enee pulcrior poterat reperiri. Unde, eodem libro, ait Virgilius:
Comes erat Nisi Eurialus, quo pulcrior alter
Non fuit. Eneadum Troyana nec induit arma,
Ora puer prima signans intonsa invicta.

Huic erat comes, ut dictum est, quidam nobilis princeps Troyanus, nomine Nisus. Quorum exitus describit Virgilius in hunc modum: Eneas enim posuit filium suum Iulum et Nisum et Eurialum ad unius custodiam civitatis illius, scilicet quam in honore Troye fundaverat in ripa Tybris quando applicuit ibi primo,

mandans eis quod, pro nulla re que accidere posset, se a dicte civitatis custodia absentarent. Et ipse, navem ascendens, civitates et loca Tuscie adiit contra Turnum ipsarum auxilia petiturus. Turnus vero, sentiens Eneam de illis partibus recessisse, totum navigium ipsius Enee, quod erat in litore Ardee, combussit, et ad expugnandam civitatem in qua erant Iulus, Eurialus et Nisus, viriliter se convertit. Sed postquam vidit quod nec Troyanos ad pugnam poterat provocare nec menia expugnare, in circuitu castra locat. Isti autem duo principes, scilicet Eurialus et Nisus, electi sunt a Troyanis ut irent ad querendum Eneam, et sibi significare qualiter Rutuli suam novam obsederant civitatem. Sed ante composuerunt ad invicem aggredi castra Turni. Erat enim ipsis cor unum et anima una; nam unus sine alio esse vel vivere non valebat. Unde Virgilius: His amor unus erat, pariterque in bella ruebant. Et sicut ordinaverant intra se, ita quadam nocte, aperientes ianuas civitatis in castra ipsius Turni, somno et vino sepulta, tanquam duo leones audacissimi irruerunt, et hic inde reges et principes trucidantes et sine nomine plebem, dum vellent prosequi suum iter trecentos milites sub Vulscente magistro ex urbe latina revertentes, ad Turnum obviam habuerunt. Quos ut viderunt Eurialus et Nisus de itinere exeuntes per quandam silvam dempsissimam et obscuram, fuge presidium petierunt. Qui, propter silvestrium arborum dempsitatem, unus ab alio deviavit. Tunc Nisus, videns se dilecti amici societate nudatum, cepit conqueri et clamare, dicens: «Euriale infelix, qua te religione reliqui? Quare sequare?» Et talibus querimoniis se revolvens, totum iter fallacis silve simul ac vestigia retro observata legit, dumisque silvestribus errat. Et dum sic errando socium quereret predilectum, audit equos, audit strepitus, et videt milites insequi vestigia fugientum. Et non post multum sibi clamor pervenit ad aures quomodo Rutili invenerant Eurialum. Et tunc, quasi amens effectus, nescit vere

Quid faciat, qua vi iuvenem, quibus audeat armis

eripere? an sese medios moriturus in hostes

inferat, et pulcram properet per vulnera mortem?

Et sic, talia in pectore volvens, lanceam iecit, que in unius militis confixa lateribus fuit fracta, ferro in vulnere remanente. Et ecce, dum milites starent attoniti, quia non viderant unde hasta venisset, subito Nisus aliam hastam iecit, que alium militem in capite vulneravit. Tunc Vulscens, accensus ira, Eurialum protinus trucidavit. Unde Virgilius:

Transadigit costas et candida pectora rumpit.

Volvitur Eurialus leto pulcrosque per artus

It cruor in quibus humeros cervix collapsa recumbit.

Purpureus veluti cum flos succisus aratro

Languescit moriens, lapsove papavera collo

Demisere caput pluvia cum forte gravantur.

Nisus autem, cum vidisset super dilectum amicum Vulscum et milites devolutos, prorupit in medium, et illum qui interfecerat Eurialum sui furoris impetu interfecit. Tunc Vulsci milites ipsum vallant, et hinc inde gladiis eum necant. Ipse vero, vicinam mortem sentiens, super exanimem se proiecit amicum; et ibi demum placida sic morte quievit. In secundo bello, sicut in XI libro Eneydorum scribit ipse Virgilius, mortua est Camilla, virgo nobilissima, Vulscorum regina, que in duobus maxime commendatur: Primo in virginitate, quam quidem dilexit intantum quod licet esset et pulcra et iuvenis et regina, nunquam tamen voluit habere maritum. Et propter suam laudabilem virginitatem, decus et pulcritudo totius Ytalie dicebatur. Unde beatus Ieronimus, primo libro Contra Iovinianum, de hac regina sic ait: Reginam Vulscorum Camillam Virgilius insignis poeta describit. Quam Turnus, cui auxilium dare venerat, laudare volens, non habuit quod amplius diceret nisi virginem nominaret. O decus, inquit, Ytalie virgo Camilla. Secundo commendatur in arte pugnandi. Fuit enim adeo bellicosa et in armis instructa, quod contra potentiam Troyanorum cum multitudine virorum et mulierum in auxilium venit Turno. Que postquam multas strages de Troyanis et Tuscis fecisset, et ipsos in multis et diversis preliis debellasset, tandem ab uno tusco qui vocabatur Aruns, ut XI libro ponit ipse Virgilius, fuit lancea in pectore perforata. Tunc concurrunt trepide comites sue, scilicet socie bellatrices, dominamque de equo ruentem suscipiunt manibus tremebundis. Illa vero moriens, manu sua hastam de pectore traxit; sed inter costas remansit ferrea cuspis fixa. Et sic inter brachia sociarum ultimum clausit diem. Virgilius:
Labitur exsanguis, labuntur frigida leto
Lumina purpureus quondam color ora reliquit;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

In tertio vero bello, sicut habetur in XII Eneydorum, mortuus fuit Turnus. Iste Turnus fuit rex Rutilorum, et Laviniam, regis Latini filiam, desponsaverat, sed nondum duxerat eam. Eneas vero, veniens in Ytaliam et pacem habere desiderans cum Latinis, ipsam habere Laviniam affectabat. Unde isti duo reges, Eneas et Turnus, ab invicem dissenserunt, et unus alium multis preliis laniavit. Tandem, sicut scribit Virgilius XII Eneydorum, Eneas post multa bella Laurentum, civitatem Latini regis, obsedit. Et dum ipsam instrumentis conaretur bellicis conquassare, regina, maser ipsius Lavinie, ne filiam suam Enee videret uxorem, laqueo se suspendit, sicut dicetur infra, secunda cantica cantu [XVII]. Tunc Turnus, audiens Eneam civitatem Latini ferro et igne vastare, et sentiens reginam propriis manibus sui amore necatam, dolore cordis accensus, volat cece per hostes, et velut saxum de montis vertice cadens, sic urbis ruit ad muros, et elevata manu ait tam obsidentibus quam obsessis: «parcite iam, Rutuli, et vos tela inhibete, Latini; quecumque est fortuna, mea est». Quasi dicat: Pro Lavinia atque regno ista bella consurgunt. Sed pugnemus nos ipsi duo, scilicet Eneas et ego, et cui fortuna victoriam dederit, Laviniam largiatur et regnum. Ad has voces pars utraque deposuit arma, et ipsi solummodo duo duello pugnare ceperunt. Virgilius XII libro Eneydorum:
Procursu rapido, coniectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque ere sonoro.
Dat gemitum tellus; tamen crebros ensibus ictus
Congeminant. Sors et virtus miscetur in unum.
Concurrunt clipeis; ingens flagor ethera complet.

Postquam vero lanceis et gladiis fuerunt ad invicem preliati, Eneas ad ultimum lanceam in ipsius Turni femora figens ipsum, regno simul et sponsa vitamque privavit.

[Comparationes]

vv. 22-27

PRIMA COMPARATIO

Et come quel che con lena affannata,
uscito fuor del pelago a la riva,
si volge a l'aqua perilliosa et guata,
così l'animo mio, c'ancor fugiva,
si vols'a retro a rimirar lo passo
che non lasciò giammai persona viva.

vv. 55-58

SECONDA COMPARATIO

Et qual è quel che volontieri acquista,
et giugne 'l tempo che perder lo face,
che 'n tutti i suo' penser piange et s'attrista;
tal mi fece la bestia senza pace,etc.

Utraque comparatio est moralis et summiter: prima a nautis sive marinariis, qui dum evadunt pericula maris, statim quod ad terram pervenerint, ad ea que evaserunt pericula se revolvunt. Sic autor, postquam evasit pericula silve, statim quod ad montem pervenit, ad illa pericula que evaserat se convertit. Alia comparatio a mercatoribus summi potest, qui dum libenter et solicite acquirunt, statim quod tempus lucrationi contrarium appropinquat, medullitus contristantur. Sic fecit autor, qui dum montem ascenderet, postquam fuit ab illa fera tertia prepeditus, cepit mirabiliter contristari.

NOTABILE

vv. 97-99

et à natura sì malvagia et ria,
che mai non empie la bramosa vollia,
et dipo' 'l pasto à più fame che pria.

Istud notabile, licet contra appetitum et desiderium avarorum principaliter se extendat, nichilominus potest extendi et dirigi contra omnem cuiuscumque rei insatiabilem appetitum. Habet enim quilibet appetitus insatiabilis istam naturam, quod quanto plus habet, tanto appetit et desiderat plus habere. Unde poeta:

Quo plus sunt pote, plus sitiuntur aque.

Et sic patet primus cantus prime cantice.

II

INCIPIT SECUNDUS CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto secundo cantu autor prohemizat ad istam primam singulariter Comediam. Nam ponit hic quod gratie supernaturales et virtutes celestes de sua salute gerebant in celo solicitam valde curam. Unde una ipsarum, descendens in Limbum, rogavit Virgilium ut in succursum eius pergat, et Inferni sibi penas ostendat.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-36

Postquam in superiori cantu ad iter suum persequendum preparatum autor se ostendit iamque inibi iter arripiens, in isto secundo horam sue progressionis per hec verba describit: «Lo giorno se n'andava, et l'aer bruno». Hoc est: In mei processus initio lux diurna vergebat, et per consequens aer nocturnis nebulis caligatus animalia ab eorum laboribus removebat. Veruntamen ego solus ad tolerandum guerram pietatis et gressus me siquidem exponebam, quam mens nequaquam a veritate exorbitans figurabit. Et quia nunc habet ardua et difficilia enarrare, divinum implorans auxilium ait ita: O musa, o sublime ingenium michi suffragium ministrate. O mens etiam que scripsisti omnia per me visa, hic tua nobilitas patefiet. Facta itaque invocatione, ut poetarum moris est, ad Virgilium se convertit. O poeta, inquiens, qui me ducis, meam virtutem intuere si est valens, antequam ad iter arduum me secures. Dicis enim quod Silvii parens, dum adhuc corruptibilis foret, ad immortale seculum sensibiliter penetravit. Ideoque si adversarius omnis mali sibi extitit curialis, altum effectum premeditans ex eodem prosilire debentem, nequaquam homini intelligenti videtur indignum. Quia ipse Silvii genitor, alme urbis suique imperii in celo fuit empyreo preelectus. Que et quod ad veritatem volendam exprimere, pro loco sancto stabilita fuere ubi Petri maioris successor assistit in trono. De isto itinere unde ipsum laudibus dignum facis, ni mirum quidam intellectui demandavit, que sue causam victorie contulerunt, ac etiam ammanti papalis. Iterum illuc vas electionis descendit, ut illi fidei robur adiceret et referret, que principium ad viam salutis existit. Sed ego cur vel ad quid illuc descenderem et venirem, aut quis hoc concedendo permittit? Ego certe nec sum Eneas, nec Paulus, ac dignus ad hoc nec ego nec alius certe credit. Propter quam causam, si ad veniendum me imprudenter expono, incautum, trepido, meum fore processum. Itaque, quia prudens, quam eloquar longe melius intus legis.

vv. 37-126

Veruntamen quare autor et qualiter a primo proposito sit mutatus, sic exemplificando declarat cum subdit: Et qualis est ille cui displicet quicquid velle proposuit, et pro novo arbitratu resiliens a primo proposito totaliter se evellit, talem in illa obscura costa me reddidi, quia novo superveniente cogitatu consumavi, idest explevi, et ad finem deduxi id quod in principio tam velociter apprehendi. Audiens autem magnanimus Maro autoris propositum immutatum, ait illi: Si bene percipio verba tua, anima tua pusillanimitate gravatur, que quidem pusillanimitas multotiens taliter invadit hominem, quod ipsum ab honorata inceptione revolvit, sicut falsus aspectus revolvit bestiam umbre causa trepidantem. Et ut ab isto timore te solvas, tibi mei adventus causam reserabo, et etiam illud quod intellexi in puncto primo quo tibi fui certe compassus. Eram enim inter illos qui suspensi consistunt, et una domina me vocavit, taliter curialis et pulcra quod ipsam ut michi preciperet requisivi. Lucebant enim sui oculi plus quam faciat una stella, et incepit michi dicere suaviter atque plane, cum angelica voce, iuxta sue locutionis ritum: O curialis anima mantuana, de qua in mundo adhuc fama perviget, et tam diu certe durabit quam diu motus, hoc est celorum revolutio, creditur permansurus, amicus meus siquidem et non fortune adeo in deserto est litore prepeditus quod, timore perterritus, ab itinere resilivit. Et quod ita non sit devius, reformido quod tarde ad eius non surrexerim nunc succursum, per ea que de ipso in celo auditu percepi. Itaque iter arripias et, tuo ex polito sermone, ac cum omni eo quod ad sue vite evasionem necessarium esse cernis, ipsum iuva taliter quod ex inde valeam consolari. Ego enim sum Beatrix, que tibi ut vadas suadeo. Venio de loco ad quem gestio remeare. Pietas me movit, que quidem pietas me ad loquendum compellit. Quando in Domini mei conspectum rediero, me sibi de te laudabo frequenter. His autem prelibatis Beatrix verbis, silentium posuit et poeta respondit: O domina, inquit, virtutis per quam solummodo humana species omne quod continetur, ab illo celo videlicet qui minoris ambitus circulos habere perhibetur, excedit, tantum michi tuum gratificatur mandatum, quod mea, etiam si tarda, obedientia foret. Ulterius nichil dicere opus est nisi ut michi tuam aperias voluntatem. Sed michi causam manifesta, cur tibi non caves in hunc centrum descendere ab illo loco, videlicet, ad quem redire festinas. Cui illa respondit: Postquam ad tam profunda penetrare desideras, brevi tibi sum affamine responsurus cur huc declinare non titubo. Timenda sunt enim illa solummodo que possunt inferre alicui nocumenta; e contra de aliis, nam formidabilia non existunt. Ego enim a Deo, sua benignitate, facta sum talis quod nec vestra miseria me contingit, nec huius flamma incendii me invadit. Domina siquidem nobilis est in celo, que ex impedimento ad quem removendum te micto compatitur, adeo quod durum iudicium frangit illam. Ista Luciam sue petitione petivit et dixit eidem: Modo tuus fidelis eget tui, et ego tibi eum fideliter recommendo. Itaque Lucia, cuiuscumque inimica crudelis, se movit et ad locum ubi eram pervenit, que cum antiqua Racchele sedebam, et ait: O Beatrix, vera divina laus, cur non illi succurris, qui te adeo predilexit quod a vulgari se comitiva subtraxit? Nonne tu audis sui gemitus pietatem? Nonne etiam vides mortem in ipsum insultantem super flumina fluctuantia, adeo quod ipsorum comparatione mare nichil esse videtur? Quibus auditis, dico tibi Virgili quod nunquam in mundo persone adeo fuere ad eorum utilitatem et profectum velociter operandum, nec ad eorum damnum celeres evitandum, sicuti me ipsum celerem post hec reddidi que fuere narrata. Hucque de meo trono beato delapsa perveni, de tua confidens morali honestaque facundia, que te non modo, verum illos etiam qui eandem intellectui demandarunt. Postquam vero Beatrix suis sermonibus finem fecit, Virgilius referendo prosequitur dicens: Cumque Beatrix predicta na[r]rasset, oculos avertit lacrimando lucentes. Cuius siquidem lacrimatu solertius in tuum presidium anelavi. Et sicut illi placuit, ad te veni et ab illius bestie te conspectu seposui, que pulcri cachuminis tibi surripuit iter breve.

Ergo quid habes? Cur, cur immobilis permanes atque fixus? Cur tantam in corde congeris vilitatem? Cur audaciam securitatemque non habes? Postquam tales tres domine benedicte in aula celesti tui vigilem curam habent, et tantum tibi boni mea spondet oratio?

vv. 127-142

Ad hec autem fuit autor a secundo proposito totaliter immutatus ad primum, dicens quod quemadmodum flosculi sive flores a nocturno gelu declinati et clausi, postquam a sole fuerint calefacti, erigunt in eorum stipitibus se apertos, talem utique se reddidit in sua fessa virtute et tantum bone audacie suo in corde resumpsit, quod sicut audax et proba persona fuit ipsum Virgilium taliter allocutus: O piam – sup[p]le dico – illam que meo succursui properavit et te curialem – sup[p]le dico, qui verbis veracibus tibi ab eadem directis rapido cursu obtemperare maluisti. Tu quidem adeo tuis orationibus cor meum cum desiderio ad iter concitasti neglectum, quod primum propositum iam resumpsi. Procede nunc igitur, nam amborum una solummodo est voluntas. Tu dux, tuque dominus, tu magister. Quasi dicat: Tu dux ad ducendum et ego sequar, tu dominus ad precipiendum et ego obediam, tu magister ad docendum et ego adiscam. Quod audiens, Virgilius statim iter arripuit, et Dantes secutus est eum. Ideo ait in textu:
intrai per lo cammino alto et silvestro.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-6

Lo giorno se n'andava. Hic ponit autor quod totam diem in ambulando per silvam et in preliando cum feris consumpsit, et qualiter incipiente nocte iter suum initiavit. Ideo dicit: «et l'aer bruno / tolleva li anima' che sono in terra / da le fatiche loro». Quia omnia animalia in die, sicuti homo, laborantia, nocte quiescunt. Et videtur sumptum de nono Eneydorum libro, ubi sic dicitur:
Cetera per terras omnes animalia somno
laxabant curas et corda oblita laborum:
ductores teucrum primi, delecta iuventus,
Consilium regni summis de rebus habebant.

Et io sol uno, idest ego solus inter homines otio et negligentia vacantes, me preparabam ad tot et tales labores diversimode tolerandos. Ideo dicit: «m'apparecchiava a sostener la guerra / sì del cammino et sì de la pietate, / che ritrarrà la mente che non erra». Hoc est, ego me preparabam, idest paratum exhibebam, ad labores non solummodo corporales verum etiam animales: in corpore, dico, quantum ad itineris asperitatem, eo quod asperum et pericolosum iter erat; in mente vero, sive in anima, quantum ad penarum diversitatem, eo quod diversa ac varia penarum tormenta conspexi, que quidem ad pietatem et misericordiam me movebant. Nam semper pietas ad misericordiam commovetur. Quod autem dicit: «che ritrarrà la mente», etc., sic intellige: Mens mea, que visiones prefatas tenaciter adnotavit, easdem forma poetica explicabit, et quia multa ardua inspidaque conspexit, immediate Musarum implorat sufragium, ut ipsarum adiutorio melius suam queat retexere visionem.

vv. 7-9

O musa, o alto 'ngegno, or m'aiutate. More poetarum, in sue narrationis principio invocat iste Musas. Ubi nota quod, sicut legitur in quadam glosa super libro Eneydorum, ad poetam spectant tria, scilicet invocare, narrare, et invenire. Invocant enim divinum adiutorium, sine quo «nullum rite fundatur exordium», ut ait Boetius, libro De Consolatione. Narrant enim res gestas, sicut narravit Virgilius gesta Enee, Lucanus gesta Cesaris et Pompei, et Statius gesta septem regum qui Thebas obsiderunt. Inveniunt, idest fabulas ex veris gestis et fictis componunt. Unde beatus Ysidorus, VIII libro Ethymologiarum ait: Officium poete in eo est ut ea, que vere gesta sunt, in alias speties obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa transducant. Iste itaque autor et invocat Musas et narrat res gestas, et multa fabulosa pulcra et venusta compositione componit et fingit. Deinde:

vv. 10-15

Io cominciai: «Poeta che mi guidi,
guarda la mia virtù s'ell'è possente».

Quia, secundum Aristotilem, actus activorum sunt in patiente disposito, ideo Dantes scire voluit a Virgilio utrum ipse esset ita dispositus ad sequendum, ut erat ipse Virgilius ad ducendum et precedendum. Ideo ait:

guarda la mia virtù, s'ell'è possente,

prima c'a l'alto passo tu mi fidi.

Tu dici che di Silvio lo parente,

corruptibile ancor, ad immortale

secolo andò, et fu sensibilmente.

Licteram sic construe: O Virgili, tu dicis quod pater Silvii, dum adhuc esset corruptibilis, idest dum adhuc viveret in mortali corpore, ivit ad seculum immortale, hoc est ad Infernum, in quo vivunt anime immortales; et hoc iter sensibile fuit, non per visionem vel ymaginationem. Iste pater Silvii fuit Eneas, qui ex Lavinia uxore sua, filia Latini regis, habuit filium, qui dictus est Silvius Postumus. Dictus est enim Silvius quia in silvis natus fuit; postumus vero, quia post mortem patris natus. Unde omnes qui nascuntur post mortem patrum postumi vocantur. Et fuit iste Silvius Postumus tertius rex Latinorum, et ab isto omnes reges latini Silvii denominati sunt. Ubi nota quod de stirpe Troyanorum regnaverunt in Ytalia XV reges antequam Roma esset. Quorum nomina sunt ista: primus Eneas, qui edificavit Lavinium; secundus Ascanius, ipsius Enee filius ex uxore sua Creusa, qui Albam condidit; tertius Silvius Postumus, filius Enee ex Lavinia; quartus Silvius Latinus, frater Silvii Postumi; quintus Silvius Eneas, filius Silvii Postumi; sextus Silvius Alba, filius Silvii Enee; septimus Silvius Achis; octavus Silvius Capis; nonus Silvius Carpentus; decimus Silvius Tiberinus, a quo fluvius qui transit per Romam dictus est Tyberis, quia in eo mortuus est; qui quidem fluvius prius dicebatur Albula; undecimus Silvius Agrippa; duodecimus Silvius Aremulus; tertius decimus Silvius Aventinus, a quo unus ex septem montibus qui sunt intra muros urbis dicitur Aventinus, quia iste Silvius Aventinus ibi est mortuus et sepultus; quartus decimus Silvius Procas; quintus decimus Silvius Amulius. Huius Silvii Amulii fuerunt nepotes Romulus et Remus, qui Romam edificaverunt. Isti enim sunt XV reges de stirpe Troyanorum, qui regnaverunt in Ytalia per CCCCLII annos, antequam Roma edificaretur. Ante quos regnaverant in ipsa Ytalia quinque reges, per annos circiter CL. Primus fuit Ianus, qui edificavit Ianuam. Huic Iano gentiles omnem introitum et exitum sacraverunt; unde Lucanus: «Ferrea belligeri compescat limina iani». Huic etiam Iano primus mensis a Romanis consecratus est, scilicet Ianuarius. Secundus fuit Saturnus, pater Iovis, qui iuxta Ianiculum saturninum fecit. Tertius fuit Picus; quartus fuit Faunus; quintus vero Latinus, pater Lavinie, que fuit uxor Enee.

vv. 16-24

Però, se l'aversario d'ogni male, idest: Si Deus curialis fuit ipsi Enee, *pensando l'alto effecto / c'uscir dovea di lui, e 'l chi e 'l quale / non pare indegno ad omo d'intellecto*; quia ipse Eneas fuit in empireo celo electus pater urbis et imperii; *la quale e 'l quale*, idest Roma et Imperium, *furono stabiliti per lo loco santo / u' siede 'l successor del magior Piero*. Maior Petrus est Christus, cui successit Petrus, et Petro succedunt alii pape.

vv. 25-27

Di quest'andata onde li dai tu vanto, / intese cose che furon cagione / di sua victoria et del papale ammanto. Sicut enim scribit Virgilius, sexto libro Eneydorum, Eneas, duce Sibilla, descendit ad inferos, et ibi pater suus Anchises ei demonstravit quomodo de stirpe sua urbs alma debebat oriri, que esset caput mundi et totius etiam mundi imperium obtineret. Unde Virgilius:
En huius, nate, auspitiis illa inclita Roma
Imperium terris, animos equabit Olimpo.

Septemque uno sibi muro circumdabit arces.

Ideo dicit autor: «intese cose che furon cagione / di sua victoria et del papale ammanto». Hic ponit utramque potestatem romanam, temporalem scilicet et spiritualem.

vv. 28-30

Andovi poi lo Vas d'electione, idest beatus Paulus apostolus. Legitur enim in quodam libro, licet apocripho, quod beatus Paulus fuit ductus per angelum ad Infernum. Et assignat hic autor causam dicens: «per recarne conforto a quella fede / ch'è principio a la via di salvatione». Et bene dicit fidem esse principium salvationis, quia sine fide impossibile est Deo placere, ut dicit Apostolus. Et licet sit principium, non tamen salvat hominem sine operibus bonis. Unde idem Apostolus: «Fides sine operibus mortua est». Et beatus Iacobus in canonica sua: «Credis Deum, bene facis; nam et demones credunt et contremiscunt». Quasi dicat: Si sine operibus fidem habes, ita salvaberis sicut demon.

vv. 31-45

Ma io, perchè venirvi? O chi 'l concede?
I' non Enea, i' non Paulo sono;
Quasi dicat: O poeta, duo homines leguntur ad inferos cum corporibus descendisse, Eneas scilicet, duce Sibilla, et apostolus Paulus, duce angelo. Sed istis duobus ideo concessum fuit, quia primus fundator esse debebat Romani Imperii, secundus vero summus doctor Ecclesie. Primus, idest Eneas, vidit in Inferno qualiter et quomodo fundare debebat imperium; secundus vero, scilicet Paulus, vidit penas quas peccatoribus predicabat. Sed ego neque Eneas sum, neque apostolus Paulus; et ideo vellem scire unde michi conceditur, et a quo. Respondit ei Virgilius, et dicit unde veniat quod ad inferos possit secure descendere, ibi: «S'i' ò ben la parola tua intesa».

vv. 58-60

O anima cortese mantovana. Nota quod Virgilius fuit de Mantua, que est in provincia Lombardie. Unde Ovidius:
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Ideo Beatrix ait: «O anima curialis de Mantua». Et facit hic tria. Primo, Virgilii benivolentiam captat, cum dicit: O anima curialis, cuius fama adhuc durat in mundo, et adhuc durabit quantum durare debet motus primi mobilis, idest celi. Ubi nota quod laudes et fame damnatorum, licet fuerint boni, sapientes et virtuosi, non usque ad diem erunt novissimam durature. Unde Sacra Scriptura: Laus impiorum peribit, beatorum autem laudes et fame in perpetuum consistent. Unde Sacra Scriptura: Iusti autem in perpetuum vivent. Secundo, causam quare ad inferos descenderit exprimit, ibi:

L'amico mio et non de la ventura. Et bene dicit Dantem esse amicum suum et non fortune, quia illi qui sunt amici Dei, inimici sunt mundi, cuius regnum fortuna gubernat. Unde beatus Apostolus: «Qui voluerit esse amicus huius mundi, inimicus Dei constituetur». Fortuna enim quos Deus diligit odit, et quos Deus odit ipsa diligit e converso. Unde quedam glosa super Evangelium Iohannis: Suscipit Christus quos eicit mundus, Et psalmista: «Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me». Tertio, auxilium suum implorat, ut scilicet in auxilium amici sui pereuntis vadat, ibi:
Or muovi et con la tua parola ornata,
etc.

vv. 76-78

«O donna di virtù solo per cui
l'umana specie excede ogni contento
da quel ciel c'à minor li cerchi sui,
Sic construe licteram: O domina, propter cuius virtutes solummodo humana natura excedit omnia que continentur ab illo celo quod habet sub se minores circulos.

vv. 79-84

tanto m'agrada il tuo comandamento,
che l'ubidir, etc.».

Celum enim stellatum continet intra se omnes circulos, qui quidem dicuntur minores respectu circulorum superiorum. Omnes autem istos circulos minores, et omnia que continentur ab eis, humana natura excedit solum propter beatitudinem ad quam participandam et percipiendam fuit a Deo creata. Et Beatrix huius beatitudinis typum gerit.

vv. 94-102

Donna è gentil nel ciel che si compiange. Hic ponitur a Beatrice quod in Paradiso sunt tres domine, que de Dante pereunte solicitam curam habent, quarum ultima, que fuit ipsa, descendit in Limbum rogans ipsum Virgilium ut in succursum properet pereunti. Prima domina non habet nomen, quod patet ibi per textum: «Donna è gentil nel ciel che si compiange», etc. Secunda vocatur Lucia, quod patet ibi: «Questa chiese Lucia in suo domando», etc.; et ibi:
Lucia, nimica di ciascun crudele,
si mosse, et venne al loco dov'io era,
etc.

Tertia vero dicitur Beatrix, quod patet ibi: «I' son Beatrice che ti faccio andare». Prima, que est sine nomine, movit sua oratione Luciam; Lucia, mota ab ista prima, movit Beatricem; Beatrix vero, a Lucia sic mota, descendit in Limbum et movit Virgilium; et sic Virgilius motus in auxilium venit ei. Ad quorum omnium evidentiam est sciendum quod nos non possumus beatitudinem celestem acquirere nisi habeamus in nobis tria, ut simus scilicet spirituales, quia, teste Apostolo, animalis homo non percipit que Dei sunt. Et Christus ait Petro: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Sed quia sine virtutibus spirituales esse non possumus, ideo oportet nos virtutibus adornari. Est enim virtus, teste Ysidoro, cultus divinitatis et eterne beatitudinis meritum. Cuius sunt quatuor partes principales, que designantur per quatuor Paradisi flumina: prudentia, fortitudo, iustitia, et temperantia. Quarum virtutum diffinitio, secundum Ysidorum, talis est: Prudentia est rerum divinarum humanarumque prout homini datum est scientia, per quam intelligitur quid cavendum sit, vel quid faciendum. Et hoc est quod in Psalmo legitur: Diverte a malo et fac bonum. Fortitudo est animi prudentia et longanimitas et perseverantia in operibus bonis et victoria contra vitiorum genera. Iustitia est animi nobilitas, unicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac divinitatis cultus et humanitatis iura et iusta iudicia et equitas totius vite conservatur. Temperantia est vite modus, ne quis homo nimis lamet vel habeat odio; sed omnes huius vite varietates considerata temperet diligentia. Virtuosi autem esse non possumus sine ratione, quia homo carens ratione est velut animal brutum. Unde Tullius, in primo libro De Natura Deorum; Beatus, inquit, esse sine virtute nemo potest, nec virtus potest sine ratione constare. Et hunc ordinem possumus in mundi cursu respicere. Currit enim mundus ab initio sui usque ad finem per tria tempora: primum tempus dicitur tempus ante legem, et istud tempus duravit a creatione primi hominis usque ad Moysen; secundum dicitur tempus sub lege, et istud tempus duravit a Moyse usque ad Christum; tertium tempus dicitur tempus gratie, et istud durat a Christo usque ad finem mundi. In primo tempore dedit Deus homini legem rationalem et naturalem, ut que vellet sibi fieri alteri irrogaret; et que sibi fieri respueret, alteri nequaquam inferre moliretur. Et de hac lege habetur in Psalmo: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. In secundo tempore dedit legem, que consistit in duobus, scilicet in declinare a malo et facere bonum, que duo virtutes superius posite plenissime nos edocent. In tertio vero tempore dedit legem evangelicam, que docet nos temporalia et carnalia relinquere, et spiritualibus inherere. Prima igitur lex ducit nos ad rationem, secunda ad virtutes, tertia vero ad spiritum. Et ideo oportet quod primo simus rationales, secundo virtuosi, et tertio spirituales.

Et secundum istum modum iste poeta summus suam Comediam in tres canticas dividit et distinguit. In prima enim ducit eum Virgilius, qui ponitur pro ratione. In secunda, licet Virgilius eum associet, tamen Cato, qui ponitur pro virtute, qua mediante servus de servitute ad libertatem progreditur, sibi viam ostendit, et sine sua licentia ratio ulterius non procedit. In tertia vero cantica ducit eum Beatrix, que ponitur pro vita spirituali et scientia sacre theologie, que docet quod qui facit peccatum servus est peccati, qua servitute per virtutes liberamur, et sic liberati in Dei filios adoptamur. Et est Beatrix una ex illis tribus dominabus que de eo solicitam curam habere dicuntur in celo. Ubi nota, tu devote Lucane, qui informari virtutibus concupiscis et gratiis protegi celestibus optas, quod Dantes in se ipso assummit personam hominis penitentis, hominis dico de peccato exire volentis, ad virtutes hanelantis, et ex hoc beatitudinem celestem habere sperantis. Sed ad hoc ut peccator recte exeat de peccato et ad Deum totaliter se convertat, indiget tribus gratiis, scilicet gratia preveniente, gratia illuminante, gratia cooperante. Primo dico quod indiget gratia preveniente, sine qua bene et recte non possumus penitere. Sed quia nescimus unde veniat ista gratia, ideo prima domina, que signat istam gratiam, non habet nomen. Non enim scire possumus unde veniat quod homo, existens in actu vel voluntate peccandi, a divina gratia preveniatur, quia tunc gratia divina non venit ad hominem propter merita sua; et hoc apparet in beato Paulo apostolo, qui dum iret, summa autoritate Iudeorum munitus, ad persequendum et capiendum illos qui invocabant nomen Christi, dum appropinquaret Damascum subito circumfulsit eum lux de celo, que eum totaliter ab actu et voluntate persequendi retraxit, et huius nominis quod prius persequebatur,

predicatorem effecit. Unde Ananie ait Dominus: Vas electionis est michi iste, ut portet nomen meum coram regibus et principibus et filiis Israel. Et quia ista gratia primo venit ad hominem quam homo illam suis meritis mereatur, ideo gratia preveniens appellatur. Secundo indiget gratia illuminante, sine qua nescimus quid agere debeamus; et ista secunda gratia signatur per secundam dominam, que vocatur Lucia, que ipso nomine demonstrat gratiam illuminantem sive proficientem. Et ista gratia etiam in Apostolo apparuit, qui postquam fuit a Deo in terram postratus et lumine oculorum privatus, in quo apparuit gratia preveniens, tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit; et tunc a Deo plenissime illuminatus fuit in evangelica lege. Unde ipse ait: Neque ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi. Et quia ista gratia in via mandatorum Dei nos dirigit, ideo gratia illuminans nominatur; et quia illuminat, ideo sub nomine Lucie ponitur ab autore. Tertio indiget gratia cooperante sive consumante, quia quantumcunque simus illuminati et bene sciamus quid agere debeamus, tamen ad bene operandum debiles et pigri atque tardi, ut plurimum, sumus. Unde Dominus ait discipulis suis: Servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, plagis vapulabit multis. Sine gratia enim cooperante sive consumante, nullum opus perfectum possumus operari. Ideo in Evangelio ait Iesus discipulis suis: Sine me nichil potestis facere. Et ista tertia gratia signatur per tertiam dominam, que vocatur Beatrix, que suo nomine gratiam cooperantem demonstrat; quia non gratia preveniens nec gratia illuminans, sed gratia cooperans efficit nos beatos. Multi enim fuerunt et preventi et illuminati, et tamen dannati. Istam etiam tertiam gratiam se habuisse Apostolus manifestat cum ait: Omnia possum in eo qui me confortat. Igitur, cum ista sit illa gratia sine qua homo beatificari non potest, ideo ab autore hic ponitur sub nomine Beatricis.

Adhuc nota, Lucane, quod prima gratia facit hominem exire de vitiis et ad virtutes accedere; secunda facit proficere de virtute in virtutem; tertia facit transire de miseria ad gloriam. De prima ait Exechiel propheta: Exite de medio Babilonis. De secunda ait psalmista: Ibunt de virtute in virtutem. De tertia idem immediate: Videbitur Deus deorum in Syon. Sub figura istarum trium gratiarum dixit Moyses ad Pharaonem: Ibimus viam trium dierum ut sacrificemus Domino Deo nostro. Primus dies est peccata relinquere; secundus, virtutes adipisci et in eis proficere; et tertius, de hac miseria ad gloriam transfretare. Et tunc offertur verum sacrificium Deo, cum anima suo sponso perpetuo in illa vera requie copulatur.

Hec etiam tres gratie figuraliter continentur sub triplici phase idest pascate, quod celebraverunt filii Israel ab exitu de Egypto usque ad introitum terre promissionis. Nam illud festum quod ebrei vocant phase, nos christiani vocamus pasca. Mandaverat enim Dominus Moysi, ut habetur in libro Numeri, quod omni anno filii Israel celebrarent phase in memoriam quod egressi erant de Egipto, et ipsi ab exitu de Egipto usque ad terre promissionis ingressum per annos quadraginta non celebraverunt nisi tria phase. Quod ideo, permissione illius qui mandaverat, non fuit nisi ter celebratum, ut esset figura istius triplicis transitus spiritualis. Egyptus enim significat mundum et peccata; desertum significat penitentiam et bonam operationem; terra vero promissionis significat Paradisum. Et sicut filii Israel non poterant terram promissionis intrare nisi transirent per desertum, et desertum intrare non poterant nisi de Egypto exirent, sic et nos non possumus vitam beatam habere nisi per bonam et virtuosam operationem. Operationes autem bonas operari non possumus nisi exiverimus de Egypto. Oportet, ergo, ut tres transitus sive saltus, unum post alium, faciamus: primus transitus est exire de Egypto, idest de vitiis, et in desertum ire, idest in virtuosas operationes operari; secundus, per desertum ire, idest de virtute in virtutem proficere; tertius, terram promissionis intrare, idest per bona opera que facimus vitam eternam sperare. Horum autem transituum et harum gratiarum figuram continent illa tria phase que celebrata sunt a filiis Israel ab exitu de Egypto usque ad terre promissionis introitum, ut dictum est. Primum nanque phase celebraverunt in finibus Egypti, circa Ramasse, ut habetur Exodi, XII capitulo. Secundum celebraverunt ad radicem montis Sinay, secundo anno egressionis, ut habetur Numeri, nono capitulo. Et ex tunc intermissum fuit usque ad ingressum terre promissionis, ut habetur Iosue, quinto capitulo. Et tunc in introitu terre sancte celebraverunt tertium phase. Iste itaque tres solemnitates phase significant istos tres transitus, quos facere nequimus sine tribus gratiis superius nominatis, quibus indigemus ab exitu de Egipto usque ad introitum terre sancte. Primo nanque ut exeamus de Egypto, idest de vitiis, indigemus gratia preveniente. Secundo, ut possimus per desertum ire et ibi non deficere, idest de virtute in virtutem proficere, indigemus gratia illuminante, sive proficiente, que est velut manna a Domino pluens; quo manna in deserto penitentie anima ne deficiat sustentatur. Tertio, in introitu terre sante, que beatam patriam prefigurat, indigemus gratia cooperante sive consumante.

Et secundum istam triplicem divisionem gratie, sua Comedia dividitur in tres partes: In prima nanque parte, dum autor tractat de Inferno, prima gratia excludit eum a vitiis et exire facit. In secunda, dum tractat de Purgatorio, secunda gratia facit eum proficere de virtute in virtutem. Et ideo in introitu Purgatorii apparuit sibi in visione Lucia, in figura unius aquile auree, que secundam gratiam prefigurat. In tertia vero parte, dum tractat de Paradiso, tertia gratia facit eum transire de miseria ad gloriam, et ideo, lustrato paradiso terrestri, Beatrix cum septem nimphis ad eum descendit et per se solam ad celestia ipsum vehit. Sed postquam vidimus istas tres gratias in utroque sacre pagine testamento figuraliter contineri, videamus quid Sancta Mater Ecclesia sentiat de eisdem. Sancta enim Ecclesia primam et tertiam gratiam omni die implorat in hora prime, dicens: Actiones

nostras quas Domine aspirando preveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cepta finiatur, per Christum Dominum nostrum. Et in dominica XVII post Trinitatem: Tua nos, Domine, gratia semper et preveniat et sequatur, ac bonis operibus vigiter prestet esse intentos. Et de hiis duabus gratiis ait beatus Augustinus: Gratia prevenit ut velimus, subsequitur ne frustra velimus. Sed quia, positis principio atque fine, intelligitur medium, ideo secundam gratiam quotidie implorat in psalmo dicens: Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.

Che mi sedea con l'antica Racchele. Cum Racchele uxore Iacob Beatrix sedere se dicit, quia beatitudo nil aliud est quam contemplari Deum, et per Racchelem vita contemplativa, sicut per Liam sororem suam activa vita, signatur. Habuit enim patriarca Iacob duas uxores que erant ambe germane, ut legitur Genesis, XXVIIII capitulo. Una dicebatur Lya, que erat lippis oculis; altera dicebatur Racchel, que erat pulcra facie et venusto aspectu. Iste due uxores Iacob, secundum expositiones doctorum, duas vitas in ecclesia significant: activam scilicet et contemplativam. Lia significat primam, scilicet vitam activam; Rachel vero secundam, scilicet vitam contemplativam. Iste enim sunt due sponse veri nostri Iacob, idest Christi, ex quibus duabus uxoribus generat in Ecclesia suos filios. Nam omnes filii Dei aut nascuntur ex vita activa aut ex contemplativa. Vita activa est servire alteri in operibus misericordie, que opera sunt X: primum est cibare famelicum, secundum potare sitibundum, tertium vestire nudum, quartum hospitari peregrinum, quintum redimere captivum, sextum visitare infirmum, septimum sepelire mortuum, octavum ieiunare pro mortuis, nonum elemosinam dare pro eis, decimum orare pro ipsis. Et de his decem operibus accipe duos versus:

Colligo, poto, cibo, redimo, tego, visito, condo,
et vice defuncti ieiuno largior oro.

Spectant etiam ad vitam activam predicare, evangelizare, confessiones audire, et omnia alia tam spiritualia quam temporalia, in quibus invenitur utilitas proximorum. Vita vero contemplativa est omnia relinquere et soli Deo vacare. Sed nota quod in hoc mundo utraque vita vivit; in celo vero vita activa moritur, et efficitur contemplativa. Non enim in celo datur indumentum, quia nullus est ibi nudus; non cibus, quia nullus ibi famelicus; et sic de aliis. Et ideo cum sola Rachele sedet Beatrix, quia in contemplando Deum beatus quilibet requiescit.

vv. 103-105

C'uscì per te de la volgare schiera. Amore adipiscende beatitudinis homo sapiens de scientiis secularibus exit et studio sacre theologie intendit. Unde dicit: qui exiit propter te de vulgari acie, idest propter amorem tuum scientias liberales omisit, et philosophiam et alias scientias universas, que ideo vulgares dicuntur, quia vulgi famam et gloriam consequuntur. Non enim reputantur in vulgo nisi qui vel philosophi vel medici fuerint, aut iudices. Et ideo tales, quia vulgi famam habent, mundi gloriam, idest pecuniam, apprehendunt. Scientia vero sacre theologie nec mundi gloriam querit, nec marsupia proximorum vacuare intendit. Solum enim querit illum in quo sunt omnia que possunt satiare hominis appetitum; cetera vero, preter ipsam famem, potius quam satietatem inducunt. Et hoc considerans, Augustinus aiebat: Si Deus universa que habet michi daret, non me satiaret nisi se ipsum dare promitteret. Et idem: Inquietum est cor nostrum donec in te requiescat. Et ideo bene dicit Ieronimus: Vana est omnis scientia in qua non queritur Christus.

In isto cantu secundo continentur quatuor comparationes, unam questionem et unum notabile.

[Comparationes]

vv. 37-39

PRIMA COMPARATIO.

Et quale è quei che disvuol ciò che volle
et per nuovi pensier cangia proposta,
sì che dal cominciar tutto si tolle,
Lictera est plana.

vv. 46-48

SECUNDA COMPARATIO.

Com'a falso veder bestia quand'ombra
Sicut enim bestia, cum obumbratur, habet falsum videre, sic anima, cum timida efficitur, timet ea que timeri non debent, et tunc timor ipsam animam ab honorabili revolvit incepto.

vv. 109-111

TERTIA COMPARATIO.

Al mondo non fur mai persone ratte
a far lor pro et a fugir lor danno
com'io, dopo cotai parole facte,

In hac comparatione notatur quam sit liberalis et curialis animus diligentis. Ille enim qui vere diligit alium, statim quod audit vel cernit necessitatem amici, sine tarditate aliqua currit velociter ad succursum. Unde beatus Augustinus: Sufficit, inquit, amanti solummodo nuntiare.

vv. 126-132

QUARTA COMPARATIO.

Quali fioretti dal nocturno gelo
chinati et chiusi, poi che 'l sol li 'mbianca,
si drizzan tutti aperti in loro stelo,
tal mi fec'io,
etc.

Nos videmus quod omnes flores, preter florem cucurbite, in nocte propter gelu clauduntur, et in die propter calorem aperiuntur. Dicit ergo autor quemadmodum flores a gelu nocturno inclinati et clausi, ad calorem solis aperiuntur et eriguntur, ita ego, qui prius timore et desperatione in animo cecideram, ad verba Virgilii exurrexi. Et ideo ait: «Io cominciai come persona franca: O pietosa colei chemmi soccorse», etc.

[Questio]

vv. 82-84

QUESTIO est ista:
Ma dimmi la cagion che non ti guardi
de lo scender qua giuso in questo centro
etc.

Hic movet Virgilius unam questionem Beatrici. Questio autem talis est: Ponatur quod unus beatus descendat in Infernum, nunquid sentiet ibi penam? Respondit Beatrix Virgilio et dicit quod homo debet timere solummodo illa que habent nocendi potentiam. Penam autem Inferni nullus beatus timere potest, quia est a Deo in beatitudine confirmatus. Et similiter ubicunque est damnatus, est in damnatione. Et sic tenendum est quod, si sanctus Petrus descenderet in Infernum, quod nullam penam ibi sentiret; et si unus damnatus, permissione divina, in celum ascenderet, quod non sentiret ibi aliquid de gloria, sed solummodo penam suam. Unde in libro Iob legitur quod dum quadam die assisterent filii Dei, idest angeli, ante Deum, affuit inter eos et Sathan; qui quidem, licet esset ante Deum, non de minus damnatus erat, ut est. Et ideo bene beatus ait Anselmus: Quilibet debet magis eligere in Inferno esse sine culpa quam in Paradiso cum culpa; quia in Inferno innocens non sentiret penam, et peccator in Paradiso de gloria non gauderet.

NOTABILE.

vv. 88-90

Temer si dee di sole quelle cose
c'ànno potentia di far altrui male;
de l'altre no, chè non son paurose.

In isto notabili nos autor admonet quod illa timere solummodo nos debemus que possunt inferre aliquid nocumentum. Illa vero que nocere non possunt nullatenus timere debemus. Nam fortitudo, que est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, hoc habet proprium, quod nec ad nimiam audaciam nec ad pusillanimitatem aliquatenus se extendit. Stat enim ista virtus fortitudinis inter ista duo extrema, scilicet inter audaciam nimiam et pusillanimitatem vecordem. Ipsa vero ad ista extrema non tendit, sed audenda audet, et non audenda non audet. Similiter, et timenda timet et non timenda non timet.

Et sic patet secundus cantus prime cantice Comedie.

III

[Incipit]

INCIPIT TERTIUS CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto tertio cantu autor principaliter tria facit: primo portam ingreditur inferorum; secundo, ponit in circuitu cuiusdam fluvii circularis miseros et vecordes; tertio, transit fluvium Acherontis.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-136

Dum in superiori cantu, ex cura benivola Beatricis, autor, omni timore deposito, ad eundum se pronto animo Virgilio obtulisset, dicens: «Or va, c'un sol volere è d'amendue»; et post oblationem iter arripuisset, ut patet per id quod ait in fine cantus: «intrai per lo cammin alto et silvestro»; nunc in isto sequenti cantu ponit quod ad portam per quam intratur ad inferos devenerunt. Supra quam portam dicit se vidisse et legisse quandam scripturam obscuram, quam cum legisset, et expositionem ipsius scripture a Virgilio recepisset, dicit quod ipse Virgilius cum leta facie ipsum cepit per manum, et per portam descendendo ad inferos introduxit. Eisdem autem ingressis invenit autor quendam fluvium, qui fluvius totam vallem circuit infernalem. Et in prima ripa istius fluminis per circuitum ponit se invenisse multitudinem maximam animarum, cum illis angelis mixtam qui in illa pugna que fuit in celo, neque cum Deo neque cum Lucifero tenuerunt. Pena autem istorum est ista, quod cum suspiriis et gemitibus aliisque clamoribus nudi currunt in circuitu per hanc ripam. Cum vero istam multitudinem attente respiceret, vidit ibi unam animam, videlicet animam Celestini pape, qua visa et cognita statim cognovit quod illa multitudo erat secta hominum miserorum, qui in hoc mundo nec Deo nec dyabolo placuerunt, et ideo nec in inferno positi sunt nec in celo. Post hec, dum versus fluvium respiceret, vidit in ripa ipsius fluvii quandam gentem que ad transeundum valde avida et desiderans videbatur. Et dum ad fluvium appropinquasset, ecce quidam senex cum una navicula veniendo, alta voce clamabat: «Ve vobis, o anime prave. Non speretis unquam celum aspicere. Ego venio ad ripam alteram vos portare, in tenebras eternas ubi est calor et gelu». Et postquam sic illis animabus miserie exprobavit, dixit ad Dantem: «O tu qui es istic anima viva, recede ab istis qui sunt mortui». Sed postquam vidit quod non recedebat, ait ad eum: «Per alias vias et per alios portus ibis ad ripam». Quasi dicat: Cum salvandus sis, quare cum dannatis vis descendere in Infernum? Tunc ait ad eum Virgilius: «O Caron, noli turbari istum, licet vivum, in navi portare, quia istud est placitum ibi ubi est possibile omne velle». Tunc Caron ipsum cum omnibus illis animabus recepit in navim et ad ripam alteram transportavit; et cum descendissent ad terram, invenit ibi tria, scilicet pluere, ventum, et fulgura; propter que, totus attonitus, in terram cecidit, sicut homo solet cadere somnolentus. Unde ait in textu: «et caddi come l'om cui sonno pillia».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-9

Per me si va ne la città dolente. Sicut dicunt philosophi, voces sunt note earum que sunt in animo passionum. Que autem et quales passiones sint in Inferno, voces, idest scripture huius ianue, manifestant. Invenit enim Dantes in fastigio dicte porte VIIII rithimos, in quibus rithimis porta ipsa loquitur omnibus per eam intrantibus. Et nota quod isti rithimi continent quinque: Primum est quod per ipsam portam est iter ad inferos, ibi: «Per me si va ne la città dolente». Secundum est causa, quare factus fuit iste carcer infernalis, que causa fuit divina iustitia, ibi: «Iustitia mosse 'l mi' alto factore»; – suple ad me creandum. Tertium est autor sive factor huius carceris, et dicit quod fuit ipsa beata Trinitas, que omnia ex nichilo produxit in esse. Et distinguit hic Trinitatem personarum:

Nam primo ponit personam Patris, cui attribuitur potentia, ad quam pertinet creare, ibi: «fecemi la divina potestate». Secundo, personam Filii, cui attribuitur sapientia, ad quam pertinet creata disponere et ordinare, ibi: «la somma sapientia». Tertio, personam Spiritus Sancti, cui attribuitur clementia, ad quam pertinet creata et disposita gubernare, ibi: «e 'l prim'amore». Quartum est tempus quando iste carcer factus fuit; et dicit quod fuit creatus in prima creatione, ibi: «Dinanz'a me non fur cose create / se non eterne», idest ante me nichil fuit, nisi Deus qui est eternus, et ego etiam post meam creationem duro in eternum. Ubi nota quod eternum accipitur pro sempiterno, quia eternum est illud quod caret principio et fine; et secundum hoc nichil eternum nisi Deus. Sempiternum vero est illud quod habet principium sed non finem, sicut sunt angeli, et anime hominum, et celum, et mundus, et Infernus. Que quidem omnia, licet habeant principium, quia creata sunt, tamen nunquam deficient; et tunc sempiternum tantum valet quantum <semper eternum>. Quintum et ultimum est quod illi qui intrant limina huius porte nunquam inde exibunt, ibi: «Lasciate ogni speranza, voi ch'entrate». Ubi est advertendum quod poete multa cum fide catholica persenserunt, quia inferos esse crediderunt, sceleratos ibi posuerunt, eorumque penam eternam esse predicaverunt. Non enim solummodo hec ponit iste, sed etiam omnes alii summi poete gentilium, a quibus ipsa porta Inferni greco vocabulo *trenaris* appellatur, quod latine sonat <lamentatio>. Unde Virgilius VI Eneydorum ait: «Trenareas etiam fauces, alta hostia Ditis, / et caligante nigra caligine lucam / ingressus, maneque adiit». Et Statius, primo *Theybaidos*: «Trenaree limen perit irremeabile porte». Ovidius etiam, ubi loquitur de descensu Orphei ad inferos, sic ait in X libro Metamorphoseos: Ad Stigia Trenarea ausus est descendere porta. Quod autem isti antiqui poete greco vocabulo *trenarem* posuerunt, hoc iste novus latina lingua posuit <lamentationem>, dum ait: «Per me si va ne la città dolente». Nam ex doloribus lamentationes insurgunt. Et nota quod lamentationes Ieremie in greco *treni* vocantur. Et sunt *treni* quedam carmina lamentabilia que primo aput hebreos composuit Ieremias; apud grecos autem Symonides, poeta lyricus, ut scribit beatus Ysidorus, libro primo Ethimologiarum. Dicens igitur autor: «Per me si va ne la città dolente», trenareas insinuat, idest lamentationes eternas.

vv. 19-21

Et poi che la sua mano a la mia pose
con lieto volto, ond'i' mi confortai,
mi mise dentr'a le secrete cose.

Hic Dantes, duce Virgilio, ingreditur portam.

vv. 22-42

Quivi sospiri, pianti et alti guai
risonavan per l'aer,
etc.

Hic tractat autor de prima gente quam invenit postquam intravit ianuam trenercam. Et circa ipsam gentem ponit principaliter quatuor: Primo, penam quam habent; et dicit quod pena eorum est suspiria, gemitus *et alti guai*, quod est nota magni doloris; *diverse lingue*, quia de qualibet lingua invenit ibi; *orribili favelle*, idest horribiles locutiones; *parole di dolore*, *accenti d'ira*, idest verba doloris et iracundie signa; *voci alte et fioche*, *et suon di man con elle*, idest manuum percussiones. Secundo, facit quandam comparationem istarum penarum ad arenam que movetur a turbine, quia tali modo cum doloribus movebantur, ibi: *facevan un tumulto*, *il qual s'agira*. Tertio, ponit quod Virgilium interrogavit, ut instrueret eum que gens erat illa que a tantis doloribus vincebatur, ibi: *Et io c'avea d'orror la testa cinta, / dissi: «Maestro ke è quel ch'i' odo*, etc. Quarto, ponit responsionem Virgilii, in qua responsione Virgilius tria facit: Nam primo dicit quod isti tales nec bonum nec malum fecerunt in mundo; ideo de mundo sine fama et infamia exiverunt, ibi: *Questo misero modo / tengon l'anime triste di coloro / che visser sanza 'nfamia et senza lodo*. Secundo, ponit quod isti tales sunt mixti cum illis angelis qui in illa pugna que fuit in celo noluerunt, tanquam timidi et vecordes, esse cum Deo nec etiam cum Lucifero, ibi: *Mischiate sono a quel captivo coro / delli angeli che non furon ribelli / nè fur fedeli a Dio, ma per sè fuoro*. Tertio, ponit quod celi expulerunt eos, ne minus pulcri in sua gloria remanerent; et quod Infernus noluit eos recipere, quia ex hoc mali angeli aliquale gaudium percepissent, ibi: *Cacciarli i cieli per non esser men belli*, etc. Et sic isti miseri, qui in hac vita nec bonum nec malum operati fuerunt, non sunt digni esse in celo neque moram trahere in Inferno, sed sunt intra ianuam trenaream et fluvium Acherontis, in circuitu cuius fluvii continue currunt. Ideo sequitur: *misericordia et iustitia li sdegna*. Et quamvis hoc sit contra fidem catholicam, quia Christus in Evangelio ait: «Qui non est mecum, contra me est», sustinendus est iste poeta et non damnandus, quia poetice et non theologice loquitur in hac parte. Quemadmodum Salomon in libro Ecclesiastes loquitur dicens: Unus est interitus hominum et iumentorum. Ibi enim loquitur Salomon in persona hominis veram fidem non habentis, licet ipse veram et certam fidem haberet,

quia anime iumentorum, mortuis corporibus, moriantur; anime vero hominum sint perpetuo immortales.

vv. 43-48

Et io: Maestro, ke è tanto greve, usque ibi: *che 'nvidiosi son d'ogni altra sorte*. Audiens Dantes horribiles lamentationes quas isti miseri faciebant, interrogavit Virgilium: Quid habent, inquit, isti tantum gravedinis quod ita fortiter lamentantur? Cui Virgilius assignat causam dicens: Isti nunquam sperant mori, licet ipsam mortem libentissime acceptarent. Proprium est enim miserorum mortem diligere plus quam vitam, quia magis volunt mori quam in summe statu miserie perpetuo condemnari. Quod autem in infimo statu sint, eorum invidia manifestat, que invidet omni sorti. Unde dicitur in textu: «e la lor cieca vita è tanto bassa, / che 'nvidiosi son d'ogn'altra sorte». Ex quo igitur isti omni sorti invident, manifestum est quod de sua sorte contentari non possunt. Unde Seneca: Cui, inquit, placet alterius, sua nimirum odio sors est. «ch'i' non avrei creduto / che morte tanta n'avesse disfatta». Vere nullus posset credere quanta est multitudo illorum qui vulgariter captivi et miseri appellantur. De quibus Salomon: Stultorum infinitus est numerus. Tanta nanque est multitudo stultorum quod respectu ipsorum sapientes paucissimi reputantur. Unde Tullius, libro primo De Divinatione, ait: «Sepius mulam peperisse arbitror, quam hominem sapientem fuisse».

vv. 58-60

Poscia ch'i' v'ebi alcun riconosciuto,
vidi et conobi l'ombra di colui
che fece per viltate il gran rifiuto.

Iste fuit Celestinus papa, qui de heremo fuit abstractus, et in Summum Pontificem ordinatus post mortem Nicholai quarti. Sed propter ignaviam cordis, quia nesciebat navem Ecclesie in fluctibus gubernare, ad petitionem et instantiam cardinalium, ac etiam Karoli secundi, in Neapoli se ipsum deposuit, et papatui renuntiavit. Unde dicit autor: «ke fece per viltate il gran rifiuto». Sed re vera, non cordis ignavia ductus, sed humilitate deiectus, dum multorum utilitati intendere non valebat, suam animam humilitate studuit conservare. Unde post mortem per papam Clementem fuit canonizatus et sanctorum numero aggregatus, ac sanctus Petrus Confessor appellatus. Sed quia Dantes istam Comediam tempore Bonifatii composuit, ante scilicet quam ipse sanctus Petrus canonizatus fuisset, ideo ipsum hic posuit, habens respectum solummodo ad suam ignaviam et miseriam cordis, qua fuit taliter obumbratus, quod in romana sede sedere nescivit.

vv. 64-68

Questi sciagurati, che mai non fur vivi, Vere omnes homines qui de hac vita sine fama decedunt miseri et mortui merito appellantur. Unde infra, cantu XXIIII, ait autor:
«Omai convien che tu così ti spoltre»,
disse 'l maestro; «ke segendo in piuma,
in fama non si vien, nè sotto coltre;
sanza la qual chi sua vita consuma,
cotal vestigio in terra di sè lascia
qual fummo in aere et in aqua la schiuma.

Omnes enim sapientes ita se in hac vita exercitare conantur, ut per gloriosa facta que fecerunt in vita, post mortem in mentibus hominum semper vivant. Et ad hoc bene Salustius in Catellinario nos inducit, dicens: Omnes homines qui sese student prestare ceteris animalibus summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, que natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra vis in animo et corpore sita animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum diis, alterum cum belvis commune est; quo michi rectius esse videtur ingenio quam viribus gloriam querere, et quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxime longam decet efficere; nam divitiarum et forme gloria fluxa atque fragilis est, virtus vero clara eternaque habetur. Huc usque Salustius. Quid enim sapientes facere debent, cum stulti famam petant et appetant operibus sceleratis. Narrat beatus Ieronimus Contra Helvidium; narrat et Maximus Valerius, libro octavo, capitulo de cupiditate glorie: Quod quidam ignotus, accensus glorie cupiditate, sacrilega ephesiane templum Diane succendit. Et nullo prodente prorupit in medium, clamans se incendium subiecisse. Sciscitantibus vero Ephesi principibus quam ob causam tam sacrilegum opus facere voluisset, respondit: «Ut opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffundereretur». Tunc decreto principes mandaverunt ut nomen tam teterrimi hominis, licet facti memoria remaneret, perpetuo damnaretur.
erano ignudi stimulati molto
da mosconi et da vespe ch'eran ivi.

Ista vilia animalia, musce scilicet atque vespe, que ad istorum miserorum cruciatum perpetuum deputantur, tenent similitudinem et figuram vilissimarum cogitationum ac etiam operationum, quas cogitant et operantur in hoc mundo isti tales miseri et vecordes.

vv. 76-78

Su la trista riviera d'Acheronte. Iste poeta, quemadmodum et alii poete, in ista sua Comedia quatuor ponit aquas: Primo istum fluvium, qui dicitur Acheron; et dicitur Acheron ab *a* quod est <sine>, et *cheros* quod est <gaudium>, sive <salus>. Inde Acheron, idest <sine gaudio vel salute>, quia qui istum fluvium transit nunquam salutem vel gaudium obtinebit. Secundo ponit, nono cantu in circulo quinto, quandam paludem que dicitur Styx. Interpretatur autem Stix <tristitia>, quia qui gaudium et salutem perdit, tristitiam eternam incurrit. Tertio ponit, XIIII cantu in circulo VII, girone tertio, quendam torrentem qui dicitur Flegeton. Interpretatur autem Flegeton <ardens>. Quarto et ultimo ponit, trigesimo secundo cantu in circulo nono, quoddam stagnum quod dicitur Cochitus, de quo Cochitu non solum poete, sed etiam facit Sacra Pagina, mentionem. Interpretatur autem Cochitus, secundum beatum Gregorium in Moralibus, luctus. Ait enim Cochiton grece latine <luctus>, quia qui tristitiam infernalem incurrunt, nunc de ardore ad frigus, nunc de frigore transeunt ad ardorem. Unde beatus Iob: Transibunt ab aquis nivium ad ardorem nimium. Et Dominus in Evangelio; Ibi erit fletus et stridor dentium. Fletus enim ibi causatur ex fumo; dentium vero stridor ex frigore.

vv. 85-87

Ne le tenebre eterne. Nota quod invenimus in Sacra Scriptura duas tenebras, scilicet interiores et exteriores. Tenebre interiores sunt peccata et errores hominum; de quibus in Evangelio Iohannis primo: Et tenebre eam non comprehenderunt; idest peccatores divinam lucem non ceperunt. Et Genesis primo: Tenebre erant super faciem abyssi; idest errores super cor hominis. Tenebre vero exteriores sunt pene infernales; de quibus Dominus in Evangelio: Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Et iste tenebre, quia sunt infernales, ideo sunt eterne.

vv. 94-96

Caron non ti crucciare. Nota quod primus spiritus dyabolicus qui apparuit Danti est iste Caron, qui animas descendentes in navi deducit. Et tenet figuram et similitudinem carnis, per cuius opera anima eternis suppliciis deputatur. Interpretatur enim Caron <omnis caro>. Et secundum Ysaiam omnis caro fenum, quia sicut fenum adveniente calore exsiccatur et in terram decidit exsiccatum, sic adveniente tentatione dyaboli omnis caro, idest omnis homo qui facit opera carnis, ab humore divine gratie exsiccatur, et sic tandem labitur in infernum. De isto Carone et fluvio Acherontis ait Virgilius VI Eneydorum.
portitor has horrendas aquas et flumina servat
terribili squalore Caron, cui plurima mento
canities inculta iacet, stant lumina flamme

Et Seneca, primo libro Tragediarum:

Hunc servat amnem cultu et aspectu horridus

Pavidosque manes squalidus gestat senex.

Impexa pendet barba, deformem sinum,

Nodus coercet, concave lugent gene;

Regit ipse conto portitor longo ratem.

Hic onere vacuus litori pupim applicans

Repetebat unda.

vv. 97-99

Quinci fur quete le lanose gote. Idest, propter verba que dixerat Virgilius Caroni, quietata fuit ipsius Caronis turbatio, que quidem turbatio apparebat in vultu.

vv. 121-123

«Filliuol mio», disse 'l maestro cortese
«quelli che muoion nell'ira di Dio
tutti convengon qui d'ogni paese»;

Hic ponit autor quod omnes peccatores qui moriuntur in ira Dei, ad istum fluvium congregantur, quo transgresso nunquam gaudium vel letitiam obtinebunt; et hoc est mori in ira Dei. Et de hoc ait Virgilius VI Eneydorum.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat

In isto cantu ponit autor tres comparationes et sex notabilia.

[Comparationes]

vv. 28-30

PRIMA COMPARATIO

facevan un tumulto, il qual s'agira
sempre 'n quell'aer senza tempo tinta,
come la rena quando a turbo spira.

Secundum enim philosophos, quandocunque invenitur aliquod compositum ex duobus contrariis, de necessitate oportet quod illa contraria separata inveniantur. Verbi gratia: colores medii componuntur ex albo et nigro, et nos videmus quod uterque color invenitur per se. Dum itaque iste mundus sit distinctus diversis temporibus sicut hyeme et vere, oportet quod inveniatur locus ubi sit perpetuum ver, et iste locus est Paradisus. Similiter oportet inveniri locus ubi sit perpetua hiems, et iste locus est Infernus; et quia ibi est perpetua hiems, ideo dicit autor quod ille aer non est distinctus temporibus. Quod autem ibi sit hyems perpetua, demonstrat per istam comparationem quam facit de arena mota a turbine. Est autem turbo quidam ventus tempestatem inducens, non solum in mari sed etiam in terra. Ideo ait:

come la rena quando a turbo spira.

vv. 112-114

SECUNDA COMPARATIO

Chome d'autunno si levan le foglie

Comparative loquitur autor, dicens quod sicut in autumno, quando deficit humor in ramis arborum, omnia folia cadunt ad terram, ita anime damnatorum, quando in eis deficit divina gratia, que est humor spiritualis conservans animam in bono virtutum, cadunt in terram tenebrosam. De qua Iob: Dimitte me Domine ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miserie et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ista comparatio videtur sumpta de VI libro Eneydorum, ibi:

Quam multa in silvis autumni frigore primo

Lapsa cadunt folia.

vv. 115-117

TERTIA COMPARATIO

gittasi di quel lito ad una ad una,
per cenni com'augel per su' richiamo.
Lictera plana est.

[Notabilia]

vv. 7-9

PRIMUM NOTABILE.

Lasciate ogni speranza voi ch'entrate.

Istud notabile nos admonet iuxta fidem, ut intrantes Infernum nunquam sunt in perpetuo exituri. Et ideo bene primo Thebaidos dicit Statius istam portam esse irremeabilem, quia qui per illam intrat, nunquam inde exire valebit.

vv. 13-15

SECUNDUM NOTABILE.

Qui si convien lassare ogni sospecto;
ogni viltà convien che qui sia morta.

Istud notabile est morale, et potest cuilibet arduo et difficili negotio adaptari. Quandocunque enim homo habet aliquod arduum vel difficile incipere vel facere, tunc debet omnem suspitionem et cordis timiditatem a se penitus removere.

vv. 46-48

TERTIUM NOTABILE.

Questi non ànno speranza di morte,
et la lor cieca vita è tanto bassa,
che 'nvidiosi son d'ogn'altra sorte.

In isto notabili due sententie continentur. Prima est quod cum homo in summam miseriam cadit et in ea diu stetit et vixit, nunquam sperat a tali miseria liberari. Ideo ait: «Questi non ànno speranza di morte». Sola enim mors est refugium miserorum. Secunda est quod vita miserorum, sicut sunt isti de quibus loquitur hic autor, est ita infima sive depressa, quod ipsi omni statui invident sive sorti. Ideo ait:
e la lor cieca vita è tanto bassa,
che 'nvidiosi son d'ogni altra sorte.

vv. 49-51

QUARTUM NOTABILE.

Fama di lor lo mondo esser non lassa;
misericordia et iustitia li sdegna:
non ragioniam di lor, ma guarda et passa.

In istis tribus rithimis tria notabilia continentur: Primum est quod, mortuo homine misero, nulla memoria de eo remanet in hoc mundo. Nam, ut manifeste videmus, homines qui magna fecerunt sive bona, ut Scipio Affricanus et Cato, sive mala, ut Catellina, Marius, atque Silla, licet mortui sint, tamen propter magnalia que gesserunt in mentibus hominum adhuc vivunt; sed miseri et vecordes, quia nec bona nec mala fecerunt in vita, ideo de ipsis post mortem memoria nulla manet.

Secundum notabile est quod istos tales Dei misericordia atque iustitia dedignatur. Misericordia enim ipsos non respicit, quia boni non fuerunt; iustitia enim eosdem non punit, quia in eis non invenit puniendum. Sufficit enim eis pro pena tristitia et vecordia cordis eorum que habent eorum conscientiam stimulare. Ideo ait in textu: «misericordia et iustitia li sdegna». Tertium notabile est quod loqui de huiusmodi hominibus non debemus. Ideo ait:
non ragioniam di lor, ma guarda et passa.

vv. 64-66

QUINTUM NOTABILE.

Questi sciagurati, che mai non fur vivi,
erano ignudi et stimolati molto,
da mosconi et da vespe ch'eran ivi.

Autor in isto notabili tria ponit. Et primo ponit quod miseri et vecordes nunquam sunt vivi, licet comedant atque bibant. Nam vera vita, qua anima vere vivit, est in virtutibus occupari; de qua occupatione ait Tullius in libro Tusculanorum: Nichil dulcius otio licterato. Secundo ponit quod isti tales, qui se in bono occupare non volunt, sunt omni bono et omni gratia denudati. Ideo ait in textu: «erano ignudi». Tertio, respondet uni tacite questioni: Posset enim aliquis querere et dicere: Nunquid isti miseri et vecordes, qui nunquam per bonam operationem vivunt, malum aliquod macinantur? Respondit quod quotidie molestantur et stimulantur a vilibus et inutilibus cogitationibus, que per muscas et vespes typice designantur.

vv. 94-96

SEXTUM NOTABILE.

vuolsi così colà dove si puote
ciò che si vuole,
Hic notatur summa felicitas beatorum, que consistit in hoc quod quecumque anima vult, breviter potest. Sed nota quod non vult nisi ea que divine consonant voluntati. Et ista est causa quare anima in celo potest omne quod vult.

Et sic patet summa tertii cantus.

IV

[Incipit]

INCIPIT QUARTUS CANTUS PRIME CANTICE.

In isto quarto cantu autor descendit in primum circulum, qui incipit ibi: «Così si mise, et così mi fè intrare / nel primo cerchio che l'abisso cinge»; et finit ibi: «et vegno in parte ove non è chi luca». In quo quidem circulo ponit Limbum puerorum et habitationem philosophorum, et poetarum, et virorum iustorum qui, sine cognitione unius Dei, virtuose et iuste in hac vita viventes, ad inferos descenderunt.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARE IN LATINUM.

vv. 1-151

Postquam in superiori cantu autor Acherontis fluvium transvadavit, et postquam posuit quomodo percussus fuit a quadam luce, ex qua percussione cecidit sicut solet cadere somnolentus, nunc in isto ponit quomodo unum grave tonitruum excussit eum a somno. Et sic, duce Virgilio, abyssi vallem ingreditur; quam quidem vallem in novem circulos poetando distinguit. Istud idem sentit Statius secundo Thebaidos. Stix, inquit, in novem circunflua campos. Et vocat hic Statius infernum Stigem, quia ponitur pars pro toto. Virgilius etiam: «Novies», inquit, «Stix interfusa coercet». Ponit autem in isto circulo Limbum puerorum et habitationem tam virorum quam mulierum, qui virtutibus moralibus inherentes et in eis se totaliter exercentes, sine fide unius Dei de hac luce migrarunt. Pena quorum, secundum fidem catholicam, est solummodo carentia visionis divine; cui carentie alta suspiria adhibet autor iste. Vocatur autem iste circulus a poetis <Elisium>, a nobis autem christianis vocatur <Limbus>, quem locum Sacra Scriptura vocat <sinum Abrahe>. Est autem Elysium, secundum poetas, quidam locus semotus a penis, ubi quiescunt anime piorum, et dicitur Elysium ab *e* quod est <extra> et *lision* quod est <miseria>, inde *Elysium*, <locus extra miseriam positus>. Dum vero sic ab uno gravi tonitruo esset excitatus a somno surrexit, et dum attente respiceret, invenit se super ripam unius vallis que erat ita obscura, profunda, et nebulosa, quod licet oculum infigeret in profundum, nichil breviter discernebat. Tunc Virgilius dulcibus verbis et exhortationibus ipsum ad descendendum induxit. Dum autem sic ambo per istum primum circulum ambularent, invenit autor turbas grandes puerorum, virorum et mulierum. Tunc Virgilius ait ad Dantem: Tu non requiris a me que anime sunt iste quas tu vides. Volo enim quod scias quod iste anime non peccarunt, et si bene fecerunt, non sufficit, quia non habuerunt baptismum; qui quidem baptismus est pars illius fidei quam tu credis. Et si fuerunt antequam Christus veniret in carnem, non adoraverunt debito modo Deum. Ubi est advertendum quod antiqui iusti de populo paganorum credebant unum Deum esse, tamen distinctionem personarum ignoraverunt, et ideo non debite adoraverunt. Audiens autem Dantes quod ille locus ubi modo erant esset Limbus, et considerans atque ymaginans quod tempore quo Christus resurrexit a mortu[i]s ille locus a Christo fuerat spoliatus, interrogavit ducem suum dicens: Dic michi, magister, dic domine mi: Exivit hinc aliquis homo unquam? Et ille: Ego eram novus in hoc statu, quando vidi huc venire unum potentem, cum signo victorie coronatum; qui quidem extraxit hinc umbram, idest animam, primi hominis et aliorum multorum qui continentur in textu. Et dum sic videndo et loquendo ambularent per illam silvam spirituum antiquorum, vidit autor non multum a longe unum ignem, qui tenebrarum emisperium vinciebat, idest ligabat. In quo loco vidit honorabiles gentes valde; de quibus honorabilibus gentibus quatuor umbras vidit obviam sibi venire. Que quidem umbre, postquam cum Virgilio locute sunt in secreto, ipsum autorem honorabiliter salutarunt; et sic ipsum in quoddam castrum septem muris et uno fluvio circumdatum introduxerunt. In quo castro invenit antiquissimos spiritus philosophorum, medicorum, poetarum, et virorum iustorum, qui in hoc mundo, licet iuste vixerint, tamen, quia non debite Deum adoraverunt, ad inferos descenderunt. Quibus visis et cognitis de isto castro luminoso, quod continetur in primo circulo, in secundum descendit.
La sexta compagnia in due si scema:
per altra via mi mena il savio duca,

fuor de la queta, nell'aura che trema.
Et vegno in parte ove non è chi luca.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Ruppemi l'alto sonno ne la testa / un grave tuono. Continuatio est ad id quod precedit in cantu precedenti. Ibi enim ait: «et caddi come l'uom che sonno pillia». Hic autem dicit quod unum grave tonitruum excussit sive excitavit eum a somno, et sic excitatus descendit in primum circulum.

vv. 40-42

Che sanza speme vivemo in disio. Hoc est, sine spe de istis tenebris evadendi vivimus in desiderio, quia licet nunquam habeamus spem hinc exeundi, nichilominus tamen hoc naturaliter affectamus. Dico naturaliter quia sicut sunt due leges, una naturalis altera divina, ita sunt due spes que oriuntur ab ipsis. Lex enim nature non vult ut non peccans condemnetur; lex autem divina non vult ut qui non credit in Christum salvetur. Contra spem, igitur, que a lege divina procedit, sperant isti in spem que oritur a natura.

vv. 55-57

Trasseci l'ombra del primo parente. Primus parens humane nature est Adam, quem Deus de limo terre formavit. *D'Abèl su' figlio*; Abel fuit secundus filius Ade; nam primus fuit Caym, et secundus Abel, quem Caym, ductus invidia, interfecit; quem planxerunt Adam et Eva centum annis in quadam valle que ob hoc vallis dicitur lacrimarum. De quo Psalmista: In valle lacrimarum que posuit. *Et quella di Noè*; Noe in generatione sua solus iustus inventus est in mundo. Huic Deus mandavit ut faceret archam, quam in centum annis fecit, et in qua, tempore diluvi, uno anno cum uxore et tribus filiis et tribus nuribus stetit; filii autem eius Sem, Cham, et Iafet. Isti tres totum mundum post diluvium impleverunt. Sem obtinuit Asiam, Cham Affricam, Iafet vero Europam.

Di Moise legista et ubidente. Moyses mitissimus hominum in Egypto est natus et a filia Pharaonis in filium adoptatus. Huic enim, dum oves pasceret in deserto, apparuit Deus in nibo. Qui dum esset annorum octaginta, ex precepto Dei stetit coram Pharaone decem, plagis Egyptum percussit, Mare Rubrum divisit, in montem Synai legem a Deo accepit, XL annis in heremo populum manna paravit. Et sic CXX anno vitam finiens, divinis manibus est sepultus.

vv. 58-60

Abraam patriarca. Abraam pater multarum gentium fuit. Nam de eo nati sunt Iudei et Sarraceni, idest de duobus filiis suis, Ysaac videlicet et Ismaele. Allegorice autem pater omnium salvandorum ab Apostolo appellatur. Sibi enim facta fuit a Deo promissio quod Christus, in quo est nostra salus, de sua progenie nasceretur. In veteri testamento primus fidem unius Dei publice predicavit. Unde Prudentius ait de eo: Senex fidelis prima credendi via est. Primus etiam xenodochia instituit; est autem xenodochium, ut dicit Ysidorus XV libro Ethimologiarum, peregrinorum susceptio.

Et David re. David rex, propheta, et psalmografus fuit, de cuius semine natus est Christus. *Israel*. Iste Israel, alio nomine Iacob vocatur; fuit autem filius Ysaac et pater XII patriarcharum. Quorum nomina sunt ista: Ruben, Symeon, Levi, Iudas, Ysachar, Zabulon, Dan, Gath, Asser, Neptalin, Ioseph et Beniamin.

Con lo padre. Iste est Ysaach pater Israel sive Iacob, et filius Abraam. Nam tres sunt summi patriarche, scilicet Abraham, Ysaach, et Iacob. Patriarcha autem dicitur princeps patrum, ab *archos* quod est <princeps> et <pater>; inde *patriarcha*, <princeps patrum>.

Et co' suoi nati. Isti sunt XII patriarche, filii Iacob, quorum nomina sunt superius annotata.

Et con Rachele, per cui tanto fè. Rachel, filia Laban et pulcherrima mulierum, fuit una ex uxoribus ipsius Iacob, quam tantum dilexit Iacob quod, amore ipsius, XIIII annis pavit pecora soceri sui, sustinens frigus et gelu. Ideo dicitur in textu: «per cui tanto fè», ipse scilicet Iacob.

vv. 61-63

Et altri molti. Hoc est omnes superius nominatos extraxit Christo de Limbo quando spoliavit infernum, et multos alios, idest omnes iustos utriusque sexus qui ante adventum Christi ad inferos descenderunt.
Et vo' che sacci che, dinanzi ad essi,
spiriti humani non eran salvati.
Hoc est, volo quod scias quod antequam isti educti fuissent de Limbo, humani spiritus salvati non erant. Hoc dicit ad angelorum differentiam, qui quidem semper salvi fuerunt postquam fuerunt in gratia confirmati. Confirmati vero fuerunt in gratia statim quod de celo mali angeli ceciderunt. Spiritus autem humani, ante Christi adventum, quia ianua celi omnibus erat clausa, omnes ad inferos descendebant, mali in profundum Inferni et boni in Limbum; qui quidem Limbus in isto primo superiori circulo continetur. Christus autem per suam passionem et ianuam celi aperuit, et sanctos patres de Limbo extraxit, et eos in celestem patriam introduxit.

vv. 64-66

Non lasciavam l'andar perch'e' dicessi. Hoc est, non dimittebamus iter nostrum propter ea que Virgilius loquebatur, sed simul et loquebamur et silvam spissam illorum spirituum transibamus.

vv. 67-69

Non era lung'ancor la nostra via / di qua dal sonno. Hoc est, non multum per istum circulum descenderam postquam fueram a somno per tonitruum excitatus, quando vidi a longe unum ignem, quem quidem ignem tenebrarum emisperium vinciebat, idest ligabat. Est autem emisperium illa pars celi quam videmus supra nos. Et nota quod emisperium est duplex, scilicet superius et inferius; pars enim celi que supra nos est dicitur superius emisperium; pars autem illa celi que sub terra est dicitur emisperium inferius, quam quidem videre non possumus quamdiu sub terra latet, ut dicit Ysidorus tertio libro Ethymologiarum. Simili modo ponit hic autor quod supra illum ignem qui est in isto primo circulo est unum emisperium tenebrarum, quod quidem emisperium ligat et circumdat illum ignem; et similiter est aliud emisperium tenebrarum inferius positum.

vv. 79-84

Intanto voce fu per me udita. Idest, interim quod loquebamur, audivi quandam vocem loquentem et dicentem: Honorate altissimum poetam, nam ecce sua umbra, idest anima, que a nobis recesserat, ad nos redit. Et statim, finita voce, dicit autor se vidisse quatuor magnas umbras, idest animas, venire eis obviam, quod autem dicit:
sembianza aveano nè trista nè lieta.
Hoc est, quod in Limbo anima neque bonum patitur neque malum, sed solum carentiam visionis divine. Sed, re vera, ista carentia, licet non sit pena in parvulis, est pena maxima in adultis. Et exemplum habemus de duobus hominibus, quorum unus nunquam fuit dives, alter de summis divitiis descendit in paupertatem. Primo, paupertas ipsa non est pena; sed secundo, est pena et summa miseria. Et hoc est quod Boetius allegat tertio libro De Consolatione, dicens: «Hoc est quod recolentem vehementius quoquit; nam in omni adversitate fortune infelicissimum genus infortunii est fuisse felicem». Et ideo carentia tanti boni, de quo aliquam notitiam antiqui philosophi habuerunt in mundo, est eis pena maxima iudicanda, hoc dico si in Limbo sunt. Sed nostra fides non tenet quod ibi sint nisi parvuli innocentes. Iste autem poeta in hac parte, et in quibusdam aliis, loquitur non theologice sed poetice. Et ideo per Infernum non Beatrix, que typum tenet teologie, sed Virgilius eum ducit, qui tenet figuram rationis inumane. Sed si vere et lucide autoris verba pensamus, istum primum circulum bipartitur. In prima namque parte ponit Limbum, ubi collocat parvulos innocentes, quem locum dicit expoliatum a Christo, tempore scilicet sue victorie, quando resurrexit a mortuis. In secunda vero parte, hoc est in loco magis infimo, quia in suo descensu semper tendit ad centrum, ponit quandam partem luminosam in qua ordinat quoddam castrum, septem muris et una aqua munitum, ubi collocat antiquos iustos et sapientes de populo paganorum, qui tres virtutes theologicas ignorantes, in quatuor virtutibus cardinalibus sive moralibus studuerunt.

vv. 85-90

Quelli è Homero, poeta sovrano. Homerus fuit grecus et summus poeta inter grecos; de quo, antequam nasceretur, prophetavit Sibilla Erictea. Tanta namque sapientia plenus fuit, quod Valerius vocat eum, libro VIII, capitulo de otio, <celestis ingenii vatem>. Iste Homerus, ut ait Seneca, apud Athenienses pro insano habitus est, eo quod deos inter se belligerasse diceret; et quia deos belligerasse dixit, ideo ait autor in textu: «Mira colui con quella spada in mano». Sed re vera Homerus non fuit insanus, sed iuxta morem antiquorum theologorum, ipse et Plato et multi alii, in tradendo eorum philosophiam, tradiderunt sub integumentis, idest fabulis, quorum occasione multi eorum sequaces a veritate deviaverunt, licet ipsi forte bonum et sanum intellectum habuerint. Mos

enim poetarum est uti fabulis et integumentis et frequenter locutionibus impropiis; sicut Plato cum posuit Vulcanum et Neptunum ad invicem dimicare, intellexit enim aquam et ignem, propter diversas qualitates, ab invicem discrepare. Ne te moveat, o lector, id quod dixi supra iuxta more antiquorum theologorum. Nam, ut superius in prologo est expressum, beatus Augustinus, VII libro De Civitate Dei, ponit Marcum Varronem tria theologie genera posuisse: unum scilicet fabulosum, alterum naturale, tertium vero civile. Primo utuntur poete, secundo philosophi, et tertio populi. Primo nanque genere usus est Homerus qui tandem, ut ait Valerius, libro VIIII, capitulo de mortibus non vulgaribus, cum in insula quandam questionem a piscatoribus sibi propositam solvere non potuisset, derisus ab eis, pre verecundia confusionis dolore cordis tactus, intrinsecus ad mortem spiritum exalavit.

L'altr'è Oratio satyro. Oratius, ut quidam dicunt, fuit de Brundusio oriundus, qui ideo ab autore satyrus appellatur quia satyrice et scripsit et docuit. Quid autem sit satira, habetur in prologo superius.

Ovidio è il terzo. Ovidius, egregius poetarum, composuit multos libros, et specialiter librum de transformationibus rerum, qui grece dicitur Methamorphoseos. Qui quidem liber, paganorum biblia posset merito appellari, quia in ipso omnia magnalia et notabilia ab origine mundi usque ad tempora sua eleganti et venusto metro, sub integumentis et impropriis locutionibus, exaravit. Fuit etiam nobilis miles in armis et multo tempore sub Augusto Cesare militavit. Tamen, ad persuasionem invidorum quorumdam ipsum apud imperatorem infamantium, ipse Augustus ipsum poetam exilio crudeli damnavit. Fuit etiam alia causa sue damnationis, ut dicitur. Nam Ovidius vidit uno semel Augustum cum uno puero carnaliter conmisceri; unde Augustus, confusione confossus, ipsum exilio religavit. Et hoc est quod in libro De Tristibus ait ipse Ovidius: «Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?» Fuit autem oriundus de Ytalia, de quadam civitate que dicitur Sulmo, et de nobili prosapia que dicebatur antiquitus pelignea. Unde de primo ait ipse in libro De Ponto: «Sulmo michi patria est gelidis uberrima limphis». Et de secundo: «Peligne gentis gloria dicar ego».

Et l'ultimo Lucano. Lucanus ab antiquis doctoribus in numero poetarum non ponitur, quia non poemata sed ystorias scripsisse videtur; nam nudam historiam et apertam de Iulio Cesare texuit et Pompeio. Officium namque poete est, ut dicit beatus Ysidorus, VIII libro Ethymologiarum, ut ea que vere gesta sunt in alias speties obliquis figurationibus cum aliquo decore transducant. Et subdit idem Ysidorus: Unde Lucanus ideo in numero poetarum non ponitur, quia videtur ystorias composuisse, non poemata. Tamen, comuni et usitata locutione, poeta censetur. Ideo autor inter summos quatuor poetas ipsum quartum ascribit. Fuit autem Lucanus de Ispania, de quadam civitate que dicitur Corduba, nepos magni Senece et magistri Neronis imperatoris. Unde ipsemet ait: «Corduba me genuit, rapuit Nero, prelia dixi».

vv. 103-105

Così andammo infin a la lumera. Hoc est, sic loquendo et ad invicem conferendo, ivimus usque ad illum lumen quod ante iam videram.

Parlando cose che 'l tacere è bello. Multa enim inter se sapientes conferunt, que aliis reserari non convenit; et hoc propter grossitiem intellectus.

vv. 106-108

Venimo a piè d'un nobile castello, etc. Per istud castrum, septem muris et uno fluvio sic vallatum, in quo stant antiqui principes, virtuosi philosophi et poete et multi alii, accipere possumus gloriosas virtutes, quibus ipsi in mundo fulserunt; que quidem virtutes armant hominem contra vitia et errores. Unde per castrum accipe virtutes; per VII muros VII scientias liberales; per fluvium vero solidum divitias intellige conculcatas: quia nisi divitias, que sunt labiles et hominem labilem faciunt, homo conculcaverit, ad virtutes et scientias pervenire non poterit. Unde beatus Ieronimus in epistola ad Paulinum refert quod Crates, philosophus thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad phylosofandum Athenas pergeret, magnum auri pondus in mari proiecit; nec putavit se posse et virtutes simul et divitias possidere. Refert Valerius, libro VIII, capitulo de studio et industria, quod cum Anaxagoras rediret a studio et suas possessiones desertas vidisset, ait: Non essem ego salvus nisi iste perissent. Et subdit Valerius: Nam si prediorum potius quam ingenii culture vacasset, dominus rei familiaris intra penates suos mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos redisset.

vv. 121-123

I' vidi Eletra. Eletra, filia Athalantis, fuit uxor regis Teveri, cum qua iacuit Iupiter rex cretensis et habuit ex eo filium nomine Dardanum. Teverus itaque una cum Dardano ab Ytalia recedentes Cretam iverunt, postea in provincia Frigie Troyam edificaverunt. Unde Troyani aliquando dicuntur Teveri,

aliquando Dardanide. De primo ait Virgilius, libro VI Eneydorum: «Deyphobe armipotens, genus alto a sanguine Teverum». De secundo ait Ovidius in libro Epystolarum:
Parcite dardanide de tot precor hostibus uni.

Secundo etiam Eneydorum uno versu ista duo concludit Virgilius, ubi inducit Eneam loquentem ad Ectorem dicens: «O lux Dardanie, o spes fidissima Teverum». Ponitur autem hic primo Eletra tanquam principium Troyanorum, et per consequens Romanorum.

Tra' quai conobi Hectore. Hector fuit primogenitus filius Priami regis Troyanorum, qui fuit in armis fortissimus et in moribus gloriosus, et fuit intantum pulcher et gratiosus quod ab omnibus qui eum videbant mirabiliter amabatur. Nam, ut scribit Homerus, non filius hominum sed deorum in ipsa sua pueritia credebatur.

Et Enea. Eneas fuit filius Anchisis, de stirpe regia Troyanorum, qui ad Ytaliam veniens post destructionem Troye, Laviniam filiam regis Latini in uxorem accepit; Lavinium in honorem uxoris condidit; duos filios, Iulum Ascanium et Silvium Postumum, dereliquit. Ascanius Albam condidit, ex qua civitate alma urbs originem duxit.

Cesare armato, etc. Cesar Iulius, secundum Virgilium et Ovidium, a Iulo Enee filio originem traxit et nomen. Hic primus Romanorum imperatorum mundi monarchiam gubernavit. Quante autem virtutis et nobilitatis atque magnificentie fuerit, Salustius in Catellinario faciens mentionem de ipso Iulio et Catone sic ait: Hiis duobus genus etas et eloquentia prope equalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Cesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vite, Cato. Cesar mansuetudine et misericordia clarus factus est; Catoni severitas dignitatem addiderat. Cesar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nichil largiendo gloriam adeptus est. In Cesare profugium miseris erat; in Catone malis pernities. Cesaris facilitas, Catonis constantia laudabatur. Postremo, Cesar in animo induxerat laborare et vigilare negotiis amicorum intentus, sua negligere. Nichil denegare quod dono dignum esset; sibi magnum imperium exercitum bellum novum exoptabat ubi sua virtus enitescere posset. At Catoni studium modestie, decoris, et maxime severitatis erat. Non divitiis cum divite, nec factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Et malebat esse quam videri bonus. Ita quo minus petebat gloriam, eo magis illam assequebatur. Hucusque Salustius de laudibus Cesaris et Catonis. Tante enim nobilis virtutis extitit iste Cesar quod etiam in hora mortis, in qua solet homo omnia oblivisci dum vita privaretur, virtutibus privari non potuit, sicut demonstrat Valerius libro quarto, capitulo de verecundia, in hec verba: Quam precipuam in Gaio Cesare verecundiam quoque fuisse et sepe numero apparuit et ultimus eius dies significavit. Cum pluribus enim parricidariis violatus mucronibus, inter illud ipsum tempus, quo divinus spiritus mortali discernebatur a corpore, ne tribus quidem et viginti vulneribus quin verecundie obsequeretur absterreri potuit, siquidem utranque manum toga dimisit, ut inferior pars corporis tecta conlaberetur. In hunc modum non homines expirant, sed dii immortales sedes suas repetunt. Hucusque Valerius. Obiit autem Cesar anno etatis sue LVI, cum per triennium et menses VII tenuisset principatum. Fuerat quidem Rome imperatum a Romulo sub regibus septem, annis CCLX. Post sub consulibus imperatum est Rome annis CCCCLXIIII, et sic ab urbe condita usque ad mortem Cesaris fluxerunt anni DCCXXIIIIor. Mortuo Cesare, corpus eius in foro ubi fiebant consilia combustum est. Statuit autem populus romanus in foro solidam columnam lapidis numidici, idest marmoris de Numidia, super quam tumulatus est, que et Iulia dicta est. Magister autem in historiis scolasticis ponit tria mirabilia signa que in morte eius apparuerunt. Centesimo enim die ante mortem eius fulmen cecidit iuxta statuam eius in foro, et de nomine eius superscripto C licteram capitalem abrupit. Nocte precedenti diem obitus, fenestre thalami eius cum tanto strepitu sunt aperte, ut exiliens de lecto ruituram domum extimaret. Eadem die cum iret in capitolium date sunt ei lictere, in quibus continebatur quod a suis carioribus consiliariis debebat occidi, que lictere dum referretur occisus, in manu eius nondum aperte inverne sunt. Die sequenti apparuerunt tres soles in oriente, qui paulatim in unum corpus solare redacti sunt, significantes quod dominium Lucii Antonii et Marchi Antonii et Octaviani Augusti in unam monarchiam rediret; vel potius quia notitia trini Dei et unius toti orbi futura imminebat. Hucusque magister in ystoriis scolasticis.

Armato. Armatum ideo dicit se Cesarem invenisse, quia nullus unquam homo romanus ita fuit fortis aut ita fortunatus in bello. Nam quinquageties vexillis explicitis dimicavit in campo; cuius opera bellicosa autor breviter comprehendit infra, tertia cantica, cantu qui incipitur: «Poscia che Costantin l'aquila volse».

vv. 124-126

Vidi Camilla. Camilla fuit regina Vulscorum que, ut scribit Virgilius, venit in auxilium Turno regi Rutilorum quando cum Enea pugnavit. In quo bello cecidit ipsa Camilla, ut habetur superius primo cantu.

E la Pantasilea. Panthasilea fuit quedam virgo, regina scilicet Amazonum, que, ut scribit Dares Phrigius, cum multitudine mulierum venit in auxilium Troyanorum quando Greci Troyam obsederunt decem annis. Hoc etiam ponit Virgilius, primo libro Eneydorum, dicens:
Duxit Amazonidum lunatis agmina peltis
Panthasilea furens mediisque in millibus ardet,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
In qua obsidione, dum ipsa regina quadam die cum Grecis strenue et bellicose pugnaret, fuit occisa cum suarum multitudine feminarum. Venit etiam secum Memnon, rex Ethiopie, qui duxit secum quendam hominem silvestrem qui erat dimidius homo et dimidius equus; qui, velocitate et arte sagittandi, Grecorum exercitum mirabiliter infestabat.

Da l'altra parte vidi 'l re Latino. Latinus fuit rex Ytalie a quo Ytalici Latini dicti sunt. Ante quem regnaverunt in ipsa Ytalia Ianus, Saturnus, Picus et Faunus; post quos regnavit iste Latinus. Post Latinum vero regnavit Eneas, post Eneam regnaverunt reges Albanenses, quorum nomina superius sunt expressa. Post Albanenses autem regnaverunt Romani.

Ke con Lavinia sua fillia sedea. Lavinia fuit filia regis Latini et uxor Enee; in honorem istius Lavinie Eneas condidit civitatem et a suo nomine Lavinium appellavit.

vv. 127-129

Vidi quel Bruto che cacciò Tarquino. Quia duo fuerunt Bruti famosissimi in Roma, unus summe bonus, alter summe bonus et malus, ideo autor, volens de primo facere mentionem, ait: «Vidi illum Brutum qui expulit Tarquinium». Iste Brutus primo vocatus est Iunius, in cuius honorem mensem qui sequitur madium Romani iunium vocaverunt. Brutus autem ideo dictus est quia, ut tyrannidem superbi Tarquini avunculi sui evaderet, qui omnes potentes Romanos occiderat, se Brutum foris moribus ostendebat, cum esset interius omnium virtutum genere decoratus. Quod maxime patet per illud quod refert de illo Titus Livius Ab Urbe Condita, libro I, et Valerius, libro VII, capitulo de vafre factis aut dictis, sic dicens: Quo in genere acuminis in primis Iunius Brutus referendus est? Nam cum a rege Tarquinio avunculo suo omnem nobilitatis indolem excerpi interque ceteros etiam fratrem suum, eo quod vegetioris ingenii erat, interfectum animadverteret, obtusi se cordis esse simulavit, eaque fallacia maximas virtutes suas texit. Profectus etiam Delphos cum Tarquinii filiis quos is ad Apollinem Phytium muneribus et sacrificiis miserat honorandum, aurum Deo nomine doni clam cavato baculo inclusum tulit, quia timebat ne sibi celeste numen aperta liberalitate venerari tutum esset. Peractis deinde mandatis patris Apollinem iuvenes consul[u]erunt quisnam ex ipsis Rome regnaturus videretur. At is penes cum summam urbis nostre potestatem futuram respondit, qui ante omnes matri osculum dedisset. Tum Brutus perinde atque casu prolapsus de industria se abiecit, terramque comunem omnium matrem existimans osculatus est. Quod tam vafre telluri impressum osculum urbi libertatem, Bruto primum in fastis locum tribuit.

Iste enim Brutus fuit primus consul Romanorum, qui tante iustitie fuit, quod duos suos filios, Titum scilicet et Tyberium, quia contra patriam coniuraverant, in oculis suis virgis cedi et securi feriri mandavit, sicut scribit Titus Livius, *Ab Urbe Condita* libro secundo. Et Valerius, libro quinto, capitulo de severitate parentum in liberos, per hec verba: Brutus, gloria par Romulo, quia ille urbem, hic libertatem romanam condidit, filios suos dominationem Tarquinii a se expulsam reducentes summum imperium obtinens, comprehensos proque tribunali virgis cesos et ad palum religatos, securi percuti iussit. Exuit severitas patrem ut consul[em]ageret, orbusque vivere quam publice vindicte deesse maluit. De istius consulatu, et de punitione filiorum loquens, Virgilius VI libro Eneydorum inducit Anchisem patrem Enee veluti futuram laudem Bruti pronuntiantem his versibus:
Consulis imperium primus hic sevasque secures
Accipiet, natosque pater nova bella moventes,
Ad penam pulcra pro libertate vocabit.
Infelix! utcumque ferent ea facta minores:
Vincet amor patrie laudumque immensa cupido.

Tarquinius, cognominato Superbus, fuit septimus et ultimus rex Romanorum; nam primus fuit Romulus, secundus Numa Pompilius, tertius Tullius Hostilius, quartus Ancus Martius, quintus Tarquinus Priscus, sextus Servius Tullius, septimus vero Tarquinius Superbus. Hunc Tarquinium propter violationem Lucrete, Brutus cum tota sua progenie de Roma fugavit. Iste Tarquinius primus genera tormentorum excogitavit, primusque fuit qui exilia adinvenit, et ipse prior ex regibus exilium meruit, ut scribit Titus Livius Ab Urbe Condita, libro primo. Lucretia. Dux romane pudicitie Lucretia, ut scribit Valerius libro VI, capitulo de pudicitia, virilem animum habuit, sed maligno errore fortune muliebre corpus sortita est. Tam siquidem virilem animum habuit, quod postquam fuit a filio Tarquinii corrupta, sicut dicit beatus Ieronimus libro primo contra Iovinianum, nolens vivere violata, maculam corporis proprio cruore delevit. Hanc ystoriam plene tractat Titus Livius Ab Urbe Condita, libro primo, sic dicens: Dum Tarquinius Ardeam civitatem Rutilorum obsideret, regii iuvenes interdum otio, conviviis, et commessationibus se occupabant, forte potantibus his aput Sextum Tarquin[i]um filium Tarquinii Superbi, ubi et Collatinus, Lucretie coniunx, cenabat, Tarquini egregii

filius incidit de uxoribus mentio, suam quisque laudare miris modis cepit. Inde certamine accenso, Collatinus negat verbis opus esse, paucis his quidem horis posse sciri quantum ceteris prestet Lucretia sua. Quin, si vigor iuvente est, conscendamus equos uxores visuri tendamus, et quod inopinato viri adventu occurrerit oculis videamus. Incaluerant vino omnes, citatis equis evolant Romam. Quo cum intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatinam, ubi Lucretiam non quanquam ut regie nurus quas in convivio luxuque cum equalibus viderant tempus terentes, sed deditam, lane inter lugubrantes ancillas in medio edium sedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Maritus invitat comites regios iuvenes, ipsum Sextum Tarquinum mala libido per vim strupende Lucretie capit. Tum forma, tum spectata castitas incitat. Et quidem cum a nocturno iuvenili ludo in castra redeunt, paucis interiectis diebus, Sextus Tarquinus, inscio Collatino, cum comite uno Collatinam venit. Ubi exceptus benigne, cum post cenam in hospitale cubiculum ductus esset, amore ardens, postquam satis tuta omnia, sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam ivit, sinistraque manu mulieris pectore oppresso: «Tace, Lucretia», inquit, «Sextus Tarquinus sum; ferrum in manu est; moriere si emiseris vocem». Cum pavida e somno mulier surrexisset et nullam opem preter mortem imminentem videret, mortem potius quam vitam impudicam elegit. Tum Tarquinus fateri, amorem orare, miscere precibus minas cepit. At ubi muliebrem animum obstinatum vidit et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus, cum mortua iugulatum servum potiturus ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cum vicisset obstinatam pudicitiam, victrix libido, profectus inde Tarquinus ferox expugnato muliebri decore recessit. Lucretia mesta tanto malo nuntium Romam ad patrem, eundemque Ardeam ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant, scientes ipsam rem atrocem incidisse, unde eos oportere ita mature venire. Brutus cum Valerio, Collatinus cum Lucretio venerunt. Lucretiam mestam sedentem in cubiculo invenerunt, adventu suorum lacrime oborte. Querentique viro: «Salva es, Lucretia?» «Minime», inquit. «Quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto tuo sunt. Ceterum corpus est tantummodo violatum, animus insons, mors testis erat, sed date dextras fidemque non impune adultero fore». Quod cum illi dextras fidemque dedissent ait Lucretia: «Sextus Tarquinus qui hostis pro hospite hac transacta nocte vi armatus michi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc attulit gaudium». Dant ordini omnes fidem. Consolantur egram animadvertendo noxam mentem peccare, non corpus. Tunc Lucretia: «Vos», inquit, «videritis quid illi debeatur. Ego vero, si peccato me absolvo, supplicio non libero. Nec ulla deinde impudica exemplo Lucretie vivet». Cultrum statim quem sub veste absconsum habebat in corde defixit, prolapsaque in vulnus moribunda cecidit. Conclamat vir paterque Brutus. Illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretie extractum, manantem cruore Brutus tenens: «Per hunc» inquit «castissimum sanguinem iuro, vosque dii testes facio, me Tarquin[i]um superbum cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe, ferro, igne, et quacumque vi potero, destructurum». Cultrum deinde Collatino tradit. Inde Lucretio atque Valerio stupentibus miraculo rei, iurant omnes totique a luctu versi in iram, Brutum ad expugnandum regem sequuntur ducem. Elatum de domo corpus Lucretie, in forum deferunt. Omnes concurrunt atque arma capiunt, Romam tendunt, et Brutus contra regem Romanos movet. Clauduntur porte regi, et ei et filiis perpetuum exilium indicitur. Brutus et Collatinus consules procreantur. Sextus Tarquinus Gabios fugiens a Gabinis occiditur. Tarquin[i]us vero Superbus, pulsus a regno, cum filiis in Etruscos ivit, cum regnasset XLV annis. Fluxerant autem a condita urbe usque ad liberatam anni CCXLIIII. Hucusque Titus Livius.

Iulia fuit filia Iulii Cesaris et uxor Magni Pompei. De qua Valerius, libro quarto, capitulo de amore coniugali, sic ait: Iulia, Cesaris filia, cum Pompei Magni coniugis sui vestem cruore respersam e campo domum relatam vidisset, territa metu ne qua ei vis esset allata, exanimis concidit, partumque quem in utero conceptum habebat subita animi consternatione et gravi dolore corporis eicere conata est, magno quidem cum totius orbis detrimento terrarum, cuius tranquillitas tot civilium bellorum truculentissimo furore perturbata non esset, si Cesaris et Pompei concordia comunis sanguinis vinculo constricta mansisset. Et Lucanus in primo:

Nam pignora iuncti
Sanguinis et diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes Parcarum Iulia seva
Intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent
Maiores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras atque hinc retinere parentem,
Armatasque manus excusso iungere ferro,
Ut generos soceris medie iunxere Sabine.
Morte tua discussa fides, bellumque movere
Permissum est ducibus. – *Cesari scilicet et Pompeo.*

Tantum namque ista Iulia Pompeum amavit, quod istum amorem ad inferos secum tulit. Unde sibi in visione apparens, ait, ut scribit Lucanus in tertio:

Me non Lethee, coniunx, oblivia ripe

Immemorem fecere tui.

Martia. Ista Martia fuit uxor posterioris Catonis, que ex Catone tres filios generavit. Quam Cato cum ad senectutem venisset, quia in tali etate luxurie vacare nolebat, ipsam Ortensi viro sanctissimo tradidit in uxorem, ut ex ipsa filios urbi et orbi utiles procrearet. Ipsa vero, post mortem Ortensii, rediit ad Catonem, petens ab ipso ut ipsam reciperet, ad hoc solum ut ipsa mortua posset scribi in suo sepulcro: «Hic iacet Martia sancti marita Catonis». Unde Lucanus in secundo ponit quod Martia venit ad Catonem miseranda concita vultu.
Effusas laniata comas contusaque pectus
Verberibus crebris cineresque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic mesta profatur:
«Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Iussa, Cato, et geminos excepi feta maritos;
Visceribus lapsis partuque exhausta revertor
Iam nulli tradenda viro. Da federa prisci
Illibata thori, da tantum nomen inane
Connubii; liceat tumulo scripsisse: <Catonis
Martia>; ne dubium longo queratur in evo,
Mutarim primas expulsa, an tradita, tedas».
Quasi dicat: Recipe me ne queratur in posterum, sicut de dubiis queri solet, utrum ego mutaverim primas tedas expulsa a te pro mea culpa, an tua tradita voluntate. Quia si me recipies, et in meo sepulcro scriptum fuerit id quod dixi, videbor tibi placuisse Catoni.

Et Corniglia. Due fuerunt Cornelie famosissime in urbe: Prima fuit filia superioris Affricani et uxor Gracchi, que dicta est mater Gracchorum. Alia fuit filia alterius Scipionis et uxor Gnei Pompei. Prima miris laudibus extollitur quod nulla vanitas umquam in ea visa fuit. Nam universas quas mulieres solent appetere vanitates, ista mirabilis femina respuebat. De qua Valerius, libro quarto, capitulo de paupertate, sic ait: Maxima ornamenta esse matronis liberos. Apud Pomponium Rufum collectorem librorum sic invenimus. Corneliam Gracchorum matrem cum campana matrona apud illam hospitata ornamenta sua ei pulcerrima illius seculi ostenderet, traxit ea sermonem dum e scola redirent liberi. Et hec, inquit, ornamenta sunt mea. Omnia nimirum habet qui nichil concupiscit, eo quidem certius quo cuncta possidet, quia dominium rerum collabi solet bone mentis usurpatio; nullum tristioris fortune recipit incursum.

Secunda vero Cornelia fuit filia alterius Scipionis, de qua Lucanus in VIII.

Femina tantorum titulis insignis avorum, quam Pompeius, mortua Iulia, in uxorem accepit. Ista Cornelia primo fuit nupta Crasso, deinde Pompeio, et utrique attulit malum omen. Nam Crassus, infuso auro in os eius, mortuus est apud Carras. Pompeius vero, capite truncatus, mortuus est in Egypto. Et hoc est quod de ipsa Iulia dixit in visione Pompeio, ut scribit Lucanus in tertio:
Coniuge me letos duxisti, o Magne, triumphos:
Fortuna est mutata thoris, semperque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos
Et nupsit tepido pellex Cornelia busto.

Tepido busto dicit, quasi nondum extincto rogo, quo more antiquo corpora cremabantur; inde sepulcrum dicitur bustum, quasi ustum. Corneliam autem pellicem ideo vocat, quia ante decem menses post mortem Crassi nupsit Pompeio. Ipsa etiam Cornelia postquam Pompeius fuit acie pharsalica devictus a Cesare, hoc testatur, ut ait in octavo Lucanus.

Infelix coniunx et nulli leta marito.

Bis nocui mundo.

Et solo in parte vidi il Saladino. Saladinus fuit soldanus Babilonie, et fuit, ut dicitur suo tempore, sapientior homo mundi.

vv. 130-132

Poi che 'nnalzai un poco più le cillia,
vidi 'l maestro di color che sanno
seder tra philosophica familla.

Iste est Aristotiles, inter philosophos summus princeps; omnes enim mortales in scientiis naturalibus subtilitate ingenii et mentis acumine antecessit. Fuit autem Platonis auditor, et secte peripatetice adinventor. De quo beatus Augustinus octavo libro De Civitate Dei. Aristotiles, inquit, discipulus Platonis, vir excellentis ingenii, eloquii vero Platoni impar, sectam peripateticam condidit, plerosque discipulos preclara fama excellentes, vivo adhuc preceptore, in suam heresim congregavit. Huius autem tam summi philosophi tria precepta moralia collige que Valerius tradit. Primum preceptum est istud: Callisteno enim discipulo suo, quem ad Alexandrum misit, mandavit ut aut cum Alexandro raro loqueretur, aut cum loqui vellet, ea que Alexandro sciret iocunda vel beneplacita loqueretur; causam assignans quod apud regias aures vel silentio esset tutior, vel beneplacito sermone acceptior. Secundum preceptum est quod se laudare est vanum, vituperare vero stultum. Tertium vero preceptum est istud: Ut voluptates abeuntes consideremus, quas considerando inutiles et vacuas esse cernemus.

Quivi vid'io et Socrate. Socrates, magister Platonis, non solum sapiens, sed ipsa sapientia reputabatur in mundo. Nam, ut scribit Valerius, libro tertio, capitulo qui intitulatur «Qui humili loco nati, clari evaserunt», ipse Socrates non solum hominum consensu, verum etiam Apollinis oraculo, sapientissimus iudicatus est. Iste primus ethicam ad corrigendos componendosque mores instituit, dividens eam in quatuor virtutibus anime, scilicet in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, et temperantiam, ut ait beatus Ysidorus, secundo libro Ethimologiarum. Huius philosophi quatuor precepta moralia ponit Valerius libro VII, capitulo de sapienter factis aut dictis. Primum est istud quod recitat idem Valerius his verbis: Socrates humane sapientie quasi quoddam terrestre oraculum, nichil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur quam ut bona tribuerent, quia hii demum scirent quid unicuique esset utile. Et subdit Valerius: Nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim dempsissimis tenebris involuta mortalium mens inque leta patentem errorem cecas precationes tuas spargis! divitias appetis que multis exitio fuerunt. Honores concupiscis, qui quam plures pessundederunt. Regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sepe numero miserabiles cernuntur. Splendidis coniugiis inicis manus; at hec ut aliquando illustrant, ita non nunquam domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, et totam te celestium arbitrio permitte, quia qui tribuere bona ex facili solent etiam eligere aptissime possunt. Secundum: Idem Socrates expedita et compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat qui id agerent ut quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem predicatione aperte monebat ut homines ipsam potius virtutem haurirent quam umbram eius consectarentur. Tertium: Idem Socrates ab adulescentulo quodam consultus utrum uxorem duceret, an se omnium matrimonio abstineret, respondit quod si aliquid istarum duarum rerum quas petebat faceret, peniteret. Hinc te, inquit, solitudo, hinc orbitas; hinc generis intentus, hinc heres alienus excipiet. Illinc perpetua solicitudo querelarum contextus, dotis exprobatio affinium gravem supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. Quartum: Idem Socrates cum venisset ad mortem, fortique animo et constanti vultu potionem veneni e manis carnificis accepisset, admoto iam labris poculo, uxori Xantippe inter fletum et lamentationem vociferanti innocentem eum periturum, ait: Quid ergo? nocenti michi mori satius esse duxisti? Et subdit Valerius: O immensam sapientiam, que ne in ipso quidem vite excessu oblivisci sui potuit. Galienus etiam refert quod Socrates potionem venenatam accepit et diu de immortalitate anime disputans, potionem illam letus hausit. Causam autem quare Atheniensium scelerata dementia tantum philosophum interfecit, assignat beatus Augustinus in libro De Vera Religione, dicens quod quia Socrates hominibus prohibebat iurare per deos, et etiam quia deos adorare nolebat, dicens: <Ego adorarem potius canes, qui sunt opera nature, quam ydola, que sunt opera manuum hominum>, ab Anetio duce Atheniensium positus est in carcerem, et ut scribit Seneca, sumpta ibi cicuta, interiit. Hoc idem asserit Macer in libro De Viribus Herbarum, capitulo de cicuta, dicens: Publica pena reis hec esse solebat Athenis; hac sumpta, Socrates magnus fuit exanimatus. Vixit autem Socrates nonaginta novem annis, sicut scribit beatus Ieronimus in epistula ad Nepotianum, sic dicens: Socrates nonaginta novem annos in docendi scribendique, dolore laboreque complevit. Et quia iste philosophus inter omnes antiquos philosophos sapientior habebatur, ideo quosdam flores dictorum suorum tibi, Lucane, disposui describendos, quos quidem utiles in vivendo reperies, si eos in memoria retinebis, et opere adimplebis.

Age sic alienum ut tuum non obliviscaris negotium.
Amico ita prodesto ne tibi noceas.
Quod habes ita utere ut alieno non egeas.
In tuo quam [in] alieno labore sarcinam suscipe.

Pecunie querende et tuende modum habere oportet.
Velox consilium sequitur penitentia.
Duo maxime sunt contraria consilio, ira et festinatio.
Cum amicis breves orationes amicitiasque
longas habere oportet, quia inter veros carosque
amicos multa effundere non est opus, nam est
signum diffidentie; cum amanti solum sufficiat
intimare.
Negat sibi ipsi qui quod difficile est petit.
Malum alienum tuum ne feceris gaudium.
Principium amicitie est bene loqui; exordium

vero inimicitiarum est male dicere.
Amicus raro acquiritur, cito amittitur.
Nulli imponas quod ipse peti non possis.
Hoc exhibe quod tibi optaveris exhiberi.
Presentem laudare minime decet.
Sepultus apud te sit sermo quem solus audieris.

vv. 133-135

Et Platone. Plato, discipulus Socratis, magister vero Aristotilis, inter omnes philosophos magis cum catholica fide nostra concordat. Asserit enim beatus Augustinus libro VII Confessionum, se in libris platonicis invenisse non quidem hiis verbis, sed similibus: In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum; et huiusmodi que ibi sequuntur. Hucusque Augustinus. Non est ergo mirum si de eo signa et prodigia magna legantur.

Refert enim Valerius, libro primo, capitulo de prodigiis, quod dum Plato dormiret in cunis, apes in ore eius mellificaverunt. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore eius emanaturam esse dixerunt. Et subdit Valerius: At michi ille apes quidem non montem Hymetium timi flore redolentem, sed Musarum Elyconios colles omni genere doctrine virentes dearum instinctu depaste maximo ingenio dulcissima summe eloquentie instillasse videtur alimenta. In libris quoque Apulei quos de vita et moribus Platonis composuit legitur quod, cum Ariston, pater Platonis, ipsum Platonem deferret ad Socratem instruendum, nocte precedenti somnium viderat Socrates quod pullus eximii candoris et vocis canore in sinum suum de ara cupidinis advolabat, et de sinu suo postea volabat ad celum. Cum igitur vidisset puerum Platonem ad se a patre deferri, sui somnii interpretationem statim dixit esse completam.

De hoc summo philosopho tria moralia narrat Valerius. Primum, libro quarto, capitulo de moderatione. Audivit enim a quodam de se Xenocratem discipulum suum impie multa locutum; sine ulla cunctatione criminationem respuit. Instabat certo vultu iudex causam querens cur sibi fides non haberetur. Adiecit Plato non esse credibile ut quem tantopere amaret ab eo invicem non diligeretur. Postremo cum ad iusiurandum inimicitias asserentis malignitas confugisset, ne Plato de eius periurio disputaret, affirmavit nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici expedire sibi iudicasset. Et subdit Valerius: Non in corpore mortali, sed in arce celesti certe armatum animum eius vite stationem putes peregisse, humanorum vitiorum incursus a se invicta pugna repellentem, cunctosque virtutis sue numeros altitudinis sue sinu clausos custodientem. Secundum, libro VII, capitulo de sapienter dictis aut factis: Iam, inquit, Platonis verbis astricta sed sensu prevalens sententia; qui tum demum beatum orbem terrarum futurum esse predixit cum aut sapientes regnare, aut reges sapere cepissent. Tertium, libro VIII, capitulo de studio et industria: Plato ingenii divini instructus abundantia, cum omnium iam mortalium sapientissimus haberetur, eo quidem usque, ut, si ipse Iupiter de celo descendisset, nec elegantiore nec beatiore facundia usurus videretur. Egyptum peragravit ibique a sacerdotibus eius gentis geometrie multiplices numeros celestium observatione numerorum percepit; eo scilicet tempore quo a studiosis iuvenibus certatim Athene Platone doctorem querentibus petebantur.

vv. 136-138

Democrito che 'l mondo a caso pone. Democritus fuit antiquus et famosus philosophus de quo scribit Valerius, libro VIII, capitulo de studio et industria, quod amore adipiscende sapientie patrimonium suum ditissimum, parve valde retenta summa, patrie donavit. Athenis autem quam pluribus annis moratus omnia temporum momenta ad percipiendam et exercendam doctrinam conferens ignotus illi urbi vixit. Tandem oculos sibi eruit ut subtiliores cogitationes haberet. Alii dicunt quod hoc fecit ne videret bene malis. Tertullianus autem dicit quod cecavit se ipsum quia mulieres sine concupiscentia videre non poterat, scilicet porro merito sibi oculos eruit quia magicas tenebras oculis humanis invexit. Nam, ut dicit beatus Ysidorus, VII libro Ethimologiarum, artem magicam mundo

ignotam post mortem Zoroastis primi magi Democritus ampliavit. Posuit autem quod omnia a casu veniant et fortuna, et non regantur a providentia Dei. Ideo ait autor: «che 'l mondo a caso pone».

Diogene. Diogenes, philosophus naturalis, nichil in mundo breviter possidebat. Dicit enim Seneca de eo: Potentior erat Dyogenes Alexandro omnia possidente. Plus enim erat quod Dyogenes nollet accipere quam quod posset tribuere Alexander. Et hoc est quod refert Valerius, libro quarto, capitulo de abstinentia et continentia, dicens quod Alexander, qui omnia vicit, Diogenis continentiam vincere non potuit. Ad quem cum in sole sedentem accessisset, hortareturque ut si qua vellet beneplacita indicaret, ait: Rogo ut michi a sole non obstes. Dicitur de Dyogene quod pallio usus sit propter frigus, peram pro cellario, et clavam ob corpusculi fragilitatem habuerit. Beatus quoque Ieronimus de eius continentia sic scribit, libro primo contra Iovinianum: Dyogenis virtutem et continentiam mors quoque indicat. Nam cum ad Agonem olimpiacum, qui magna frequentia Grecie celebratur, iam senex pergeret, febre in itinere dicitur apprehensus. Volentibus autem eum amicis aut in iumentum aut in vehiculum tollere, non acquievit; sed transiens ad arboris umbra, locutus est eis dicens: Abite, queso, spectatum pergite. Hec me nox aut victorem probabit, aut victum. Si febrem vincero, veniam ad Agonem; si vero me vicerit, ad inferos properabo. Fulgentius autem dicit quod Diogenes cum dolore animi torqueretur, et videret homines ad amphiteatrum concurrentes aiebat: Qualis hominum stultitia currunt spectare feris homines repugnantes, et me pretereunt naturali dolore certantem.

Anaxagora. De isto Anaxagora tria mirabilia exempla in memoria retinenda narrat Valerius. Primum exemplum libro V, capitulo de parentibus qui obitum filiorum forti animo tulerunt; Ait sic Anaxogoras audita morte filii: Nichil michi, inquit, inexpectatum aut novum nuntias. Ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Et subdit Valerius: Has voces utilissimis preceptis imbuta virtus mittit. Quas si quis efficaciter auribus receperit, non ignorabit ita liberos esse procreandos ut meminerit his a rerum natura et accipiendi spiritus et reddendi eodemque momento temporis legem dari; atque ut mori neminem solere qui non vixerit, ita ne vivere aliquem quidem posse qui non sit moriturus. Secundum exemplum, libro VII, capitulo de sapienter dictis aut factis. Interroganti namque cuidam Anaxagoram quisnam esset beatus: Nemo, inquit, ex his quos tu felices extimas, sed eum in illo numero reperies qui a te ex miseriis constare creditur. Tertium exemplum libro VIIII, capitulo de studio et industria: Quali porro studio Anaxagoram fragrasse credimus? Qui cum e diutina peregrinatione patriam repetisset, possessionesque suas desertas vidisset, <Non essem, inquit, ego salvus nisi iste perissent>. Et subdit Valerius: O vocem petite sapientie compotem. Nam si prediorum potius quam ingenii culture vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos redisset

Et Tale. Tales Milesius fuit unus ex septem sapientibus Grecorum qui in omni sapientia ceteros philosophos excedebant. Hic primus apud Grecos philosophiam adinvenit. Hic enim ante alios celi causas atque vim rerum naturalium contemplata ratione suspexit; quam scientiam postmodum Plato in quatuor diffinitiones distribuit, in arismetricam, scilicet, geometriam, musicam et astronomiam, sicut scribit beatus Ysidorus, secundo libro Ethimologiarum. Huius philosophi habetur illa sancta sententia quam recitat Valerius libro VII, capitulo de sapienter dictis aut factis in hec verba: Interrogatus Tales an facta hominum deos fallerent, ait: Nec etiam cogitata. Inducens nos ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus; cum secretis cogitationibus nostris celeste numen adesse credidissemus. Septem vero sapientes sunt isti: Tales Milesius, Pittagoras Miletes, Bias Piareus, Piander Corinthius, Pilon Periandrus, Solon Atheniensis, et Ligurgus. Quorum accipe septem versus in quibus summe sententie continentur.

Que casta? De qua mentiri fama veretur. TALESQue dos matrone pulcherrima? Vita pudica. PITTAGORASQuid stulti proprium? Nec posse et velle nocere. BIASQuid sapientis opus? Cum possit, nolle nocere. PIANDERQuis dives? Qui nichil cupiat. Quis pauper? Avarus. PILONQuenam summi boni est? Que mens sibi conscia veri. SOLONPernities hominum quam maxima? Solus altus homo. LIGURGUS

Empedocles. Iste Empedocles fuit antiquissimus philosophus, cuius tres egregias sententias scribit Aristotiles in libro de vegetalibus, dicens: Tria sunt, ut ait Empedocles, in tota rerum varietate precipua: nobilis affluentie contemptus; future felicitatis appetitus; mentis illustratio. Quorum primo, nil honestius; secundo, nil facilius; tertio, nil ad amborum ademptionem efficacius. Dum fuisset a quodam interrogatus Empedocles cur viveret, respondit, ut ait Bernardus Silvestris: Vivo ut astra respiciam. Celum subtrahe, nichil ero.

Eraclito. Eraclitus fuit philosophus bene vivens, qui quotiens prodibat in publicum, considerans circa se multitudinem male viventium imo male pereuntium flebat. Sed e contra Tales Democritus deridebat.

Et Zenone. Zenon fuit philosophus ystoicus, cuius est illa famosa sententia: Sapientis est non posse turbari. Iste Zenon sibi ipsi manus iniecit ut post mortem felicissimus viveret, ut ait Lactantius. Beatus enim Augustinus dicit Zenonem et Chrisippum principes ystoicorum fuisse. Cuius Chrisippi, ut ait Seneca, est illa sententia: Sapiens nulla re eget; stulto nulla re opus est; nulla enim re scit uti, sed omnibus eget. De isto Zenone scribit Valerius, libro tertio, capitulo de patientia, quod cum ipse Zenon esset in contemplanda rerum natura maxime prudentie atque in exercitandis advigorem iuvenum animis prontissimus, preceptorum fidem sue virtutis exemplo mirabili publicavit. Patria enim egressus, in qua frui secura poterat libertate, Agrigentum miserabili servitute Falaris obrutum

petiit. Tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, ut speraverit et tyranno et Falari vesane mentis feritatem a se deripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis quam consilii salubritatem valere animadvertit, nobilissimos eius civitatis adolescentes cupiditate liberande patrie inflammavit. Cuius rei indicium cum ad tyrannum manasset, convocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cepit, sub inde querens quosnam consilii participes haberet. At ille neque eorum quem piam nominavit et proximum quemque ac fidissimum tyranno suspectum reddidit, increpitansque Agrigentinis ignaviam ac timiditatem, effecit ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo unius eculeo impositi non supplex vox nec miserabilis eiulatus, sed fortis cohortatio totius urbis animum fortunamque mutavit. Fuit et alius Zenon qui, ut scribit idem Valerius, libro et capitulo ut supra: Cum ab Archo tyranno de cuius nece consilium inerat torqueretur, supplicii pariter atque indicandorum gratia sociorum doloris victor, sed ultionis cupidus, esse dixit quod secreto audire eum valde expediret; laxatoque eculeo, postquam insidiis oportunum tempus animadvertit, aurem eius morsu corripuit, nec ante dimisit quam et ipse philosophus vita et ille tirannus parte corporis privaretur.

vv. 139-141

Et vidi 'l buono accoglitor del quale,
Diascoride dico.

Hic enim Diascorides librum quendam de rerum qualitatibus compilavit. Ideo autor dicit: «accoglitor del quale».

Et vidi Orpheo. Orpheus, sicut scribit Ovidius, X libro Methamorphoseos, et Boetius, tertio De Consolatione, fuit quidam cytharista de Tracia. Est autem Tracia quedam provincia Grecie. In hac itaque provincia natus est Orpheus, qui a poetis fingitur fuisse Phebi filius et Caliope; et ideo vates appellatus est. Vates autem aliquando a *vi mentis* dicitur, ut ait Varro, et tunc *vates* tantum valet quantum *sacerdos*. Aliquando vates dicitur a *video, –es*, et tunc tantum valet quantum *propheta*. Aliquando dicitur a *vico, –es*, quod est *ligare*, et tunc *vates* tantum valet quantum *poeta*. Dicitur itaque Orpheus vates a *viendo*, idest *ligando*, quia carmina sua metris et pedibus ligabat. De quo fabulose dicitur quod cantu vocis et sono cithare non solum homines, sed etiam animalia ad se trahebat, silvas evocabat, et flumina stare faciebat. Hic habuit uxorem Euridicem quam, cum Aristeus quidam pastor amaret, et cum ipsa iacere vellet, fugiens per prata, calcato serpente, interiit et ad inferos properavit. Quam volens reducere ab inferis, Orpheus modulationibus suis deos celestes placare voluit, sed nequivit. Unde ad infernum descendit, et tanta dulcedine infernales deos linivit, quod concessa est ei uxor, ista conditione, ut non verteret se retro. Cum vero prope exitum esset, amore allectus flexit oculos retro, sicque uxorem perdidit. Ideo ait Boetius: «Quis legem det amantibus, maior lex amor est sibi». Quasi dicat: Amor est ita fortis quod nulla lege alia frangi potest. Allegorice vero, sicut exponit Fulgentius in mitologia, Orpheus vir sapiens et eloquens suavitate citare, idest eloquentie, homines brutales et silvestres reduxit ad normam et regulam rationis. Cetera require in Fulgentio.

Tullio. Tullius fuit flos et decus romane eloquentie, qui de Arpino traxit originem, que fuit rethorum civitas prope Romam, de qua fuit etiam Maximus Valerius et Titus Livius, licet quidam dicant ipsum Titum fuisse de Padua. Sed, re vera, ut ait Tullius, non de Padua sed de Arpino fuit, de quo etiam fuit ipse Tullius. Unde in suo epythafio sic habetur:
Hic iacet Arpinus, manibus tumulatus amici.
Qui fuit orator summus et eximius,
Quem nece crudeli mactavit civis et hostis.
Nil agis Antoni scripta deserta manent,
Vulnere perpetuo Ciceronem conficis, at te
Tullius eternis vulneribus lacerat.

Item alii versus:

Corpus in hoc tumulo magni Ciceronis humatum

Contegitur, clero qui fuit ingenio.

Quique mal gravis hostis caret tutorque horum

Quo pene indigere consule Roma fuit.

Sed vigili cura detectis hostibus urbem

Supplicioque datis prestitit incolumen.

Item alii:

Unicus orator lumenque decusque senatus,

Aspice quo iaceat conditus ille loco,

Ille vel orator vel civis maximus idem.

Clarus erat facie, clarior eloquio,

Ac ne quid fortuna viro nocuisse putetur,

Vivus in eternum docta per ora volat.

Fuit itaque, ut patet, de Arpino, sed Rome educatus et instructus, ad tantam perfectionem devenit quod fuit consul et summus oratori in qua quidem arte illo tempore studebatur. Fecit autem multos libros, et spetialiter istos: De Officiis libros tres; De Amicitia, librum unum; De Senectute, librum unum; De Oratore, libros novem; De Paradoxis, librum unum; De Phylippicis, librum unum; Rethoricorum, libros duos; De Tusculanis, librum unum; Orationum, libros duodecimi; Invectivarum, libros sex; De Legibus, libros tres; De Fine Boni et Mali, libros quinque; De Natura Deorum, libros tres; De Divinatione, libros duos; De Fato, libros novem; De Creatione Mundi, libros novem; Dialogorum ad Ortensium, librum unum; De Partitione Oronis, libros novem; De Achademicis, librum unum. Tempore vero sui consolatus, a coniuratione Catelline urbem mirabili sagacitate defendit sicut narrat Salustius in Catellinario. Unde Lucanus in VII:

Cunctorum voces Romani maximus autor
Tullius eloquii, cuius sub iure togaque
Pacificas sevus tremuit Catellina secures,
Pertulit

, etc. Et licet fuerit flos eloquentie romane et urbem in suo consulatu magnifice rexerit, tamen fuit de Roma expulsus et in Gaeta occisus. Unde Valerius, libro V, capitulo de ingratis, dicit quod quidam qui vocabatur Popilius Lenas, de regione pycena, dum esset accusatus in urbe in causa valde dubia, fuit adiutus a Tullio ac etiam liberatus. Hic Popilius postea nec re nec verbo a Cicerone lesus audacter, Marcum Antonium rogavit ut ad Tullium Ciceronem, qui erat proscriptus in Gaeta, mitteretur ad persequendum ac etiam iugulandum. Impetratisque detestabilis ministerii licteris, gaudio exultans Gaetam cucurrit, et virum tam amplissime dignitatis iugulum prebere iussit. Ac protinus caput romane eloquentie et pacis clarissimam dextram per summum et securum otium amputavit, eaque sarcina, tanquam opimis spoliis, oneratus, alacer in urbem reversus est. Neque enim portanti onus scelestum occurrit illud se caput ferre quod pro capite suo quondam peroraverat. Sed invalide ad hoc monstrum sigillandum lictere, quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat. Et quia Cicero fuit ita bonus et eloquens, ideo quosdam flores suorum librorum hic proposui inserendos. In Philippicis: Te miror Antoni, quorum exempla imitaris, eorum exitus non pertimescere. Male parata male dilabuntur. Omne malum nascens facile opprimitur; inveteratum vero plerumque fit robustius. In libro De Officiis: Fundamentum primum iustitie est ne alicui noceatur, deinde ut comuni utilitati serviatur. Fortes et magnanimi sunt illi habendi, non qui faciunt, sed qui

propulsant iniuriam. Fortis et constantis animi est non turbari in rebus asperis. Cavendum est ne assentatoribus sive adulatoribus aures patefaciamus, in quo falli facile est. Luxuria, cum in omni etate sit turpis, in senibus maxime est turpissima. Male se res habet cura quod virtute effici debet; id pecunia tentatur. Omnia ficta tanquam flosculi celeriter decident, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Qui veram iustitie gloriam adipisci voluerit, iustitie fungatur officiis. In libro De Amicitia: Amicitia omnibus rebus humanis preponenda est; nichil est enim tam nature aptum tamque conveniens ad res prosperas vel adversas. Scipio nichil difficilius esse dicebat quam amicitiam usque ad extremum vite diem permanere. Interdum enim dirimitur amicitia contentione, luxuria, vel aliquo commodo, quod idem adipisci uterque non potest. Nulla est excusatio peccati si amici causa peccaveris. Hec lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus. Non minoris cure est michi qualis res publica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit. Monendi et obiurgandi sepe amici sunt, tali tamen conditione, ut monitio acerbitate et obiurgatio careat contumelia. Caveamus ne nimis cito diligere incipiamus, neque indignos. Digni sunt amicitia in quibus est causa cur diligantur. In libro De Senectute: Nemo tam senex est qui se per annum posse vivere non putet. Ut contra morbum, sic contra senectutem est obpugnandum; utendum est ergo exercitationibus modicis et tamen cibi et potus adhibendi sunt ut vires reficiantur, non opprimantur. Avaritia senilis quid sibi velit non intelligo. Quid enim absurdius esse potest, quam quo minus restat vie, eo amplius viatici querere? Frustra sperat adolescens vivere vel promictit se diu victurum; facilius enim in morbos incidit, gravius egrotat, tristius curatur. In his enim melioris conditionis est senex, quia quod sperat adolescens, ipse iam consecutus est. Ille vult diu vivere; iste diu vixit. Mors etiam contingit adolescentibus aversante et repugnante natura; et ideo gravis. Sicut enim poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur, si vero matura et cocta, decidunt; sic vis adolescentibus vitam aufert, senibus maturitas. Non est lugenda mors quam immortalitas sequitur. Sapientissimus quisque equissimo animo moritur, nec eum vixisse penitet, quia ita vixit ut non frustra se natum existimet. In libro De Paradoxis: Sicut in improbo stulto et inerti bene esse non potest, sic vir bonus et sapiens miser esse non potest. Omnis sapiens est liber, omnis stultus servus. Nunquid ille est liber cui mulier imperat, cui lex imponit, iubet, vel vetatur. Ego istum non tantummodo servum, sed nequissimum servum appellandum puto, licet ex amplissima familia natus sit. In libro Rethoricorum: Sapientia sine eloquentia parum prodest; eloquentia vero sine sapientia nunquam prodest, sed plerunque nimium obest. In libro Tusculanorum: Stultitie proprium est aliorum vitia cernere, suaque oblivisci. Quemadmodum misericordia est egritudo ex alterius rebus adversis, sic invidentia est egritudo ex alterius rebus secundis. Quid dulcius otio licterato? In libro De Natura Deorum: Stulti nec vitare venientia nec ferre presentia mala possunt. Amicitiam si ad fructum nostrum referimus et non ad illius commodum quem diligimus, non est amicitia, sed mercatura quedam utilitatum suarum: prata, et arva et pecudes. Hoc modo diliguntur eo quod ex eis fructum capiunt. Hominum autem caritas gratuita est. In oratione sua Pro Marcello: Nulla corporis tanta vis est que non ferro et viribus debilitari frangique possit. Animum vero vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium non tantum modo iacentem extollere, sed etiam ampliare eius pristinam dignitatem, hec qui fecerit, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.

Et Alino [...]

Et Seneca morale. Seneca fuit philosophus moralis natione yspanus, de quadam civitate que dicitur Corduba, cuius nepos fuit Lucanus poeta. Fuit autem adeo moralis et virtute preclarus quod a Nerone imperatore, discipulo suo, quia sua vitia arguebat, ad eligende necis fuit compulsus arbitrium. Fuit etiam beati Pauli apostoli vinculo dilectionis a[d]strictus, ut per epystolas constat, quas sibi mutuo destinarunt, quibus epistolis beatus Ieronimus provocatus ipsum Senecam in sanctorum cathalogo adnotavit. Et quia fuit ita moralis et bonitate conspicuus, ideo quedam sua dicta notabilia exarabo: Si scirem deos ignoscituros et homines ignoraturos, adhuc dedignarer peccare. Leta afflictio non est afflictio. Leta paupertas non est paupertas. Unum exemplum mali multa mala facit. Remisse imperanti melius obeditur. Indiscrete precipit qui nimia vel nimis ardua precipit. Gloriosum genus vindicte est ignoscere, et magni animi est iniurias in summa potestate pati. Magnanimus non est ille qui de alieno liberalis est. Concordet sermo cum vita. Ad summam totius sapientie volo te esse breviloqu[u]m et rariloquum, et summissa voce loquentem. Nulla res carius emitur quam que precibus empta est. Providi cultoris est colligere poma antequam marcescant. Optimum est mori cum iuvat vivere. Lex prima sapientie est velle mori, secunda vero scire mori. Omitte excusationem, nemo peccat invitus. Lauda parce, vitupera parcius; nam sicut reprehensibilis est nimia laudatio, sic immoderata vituperatio. Quid enim stultius quam in homine aliena laudare? Nemo gloriari nisi de suo debet. Non faciunt meliorem equum aurea frena. In homine laudandum est quod ipsius est: generosus est, laudet parentes; dives est, laudet fortunam; pulcer et fortis est, expectet paulisper et non erit; bene morigeratus est, nunc demum laudasti hominem. Copia ciborum subtilitas impeditur. Si vis amari, ama. Noli decipere, ne decipiaris. Quietissime viverent homines si hec duo pronomina tollerentur, meum et tuum. Si ad naturam vivas, nunquam pauper eris; si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum enim natura desiderat; opinio vere immensum. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur: presentia ordina, futura previde, preterita premeditare. Amicum meum non amo si cum offenderit non corrigo.

vv. 142-144

Euclide geometra. Euclides fuit maximus philosophus in scientia geometrie. Ideo autor in textu: «Euclide geometra».

Et Tholomeo. Ptholomeus fuit rex Alexandrie, inter astrologos magnus princeps.

Ypocrate. Iste Ypocras fuit Grecus, inter medicos summus princeps, qui secundum Galienum in libro De Regimine Acutorum commento libri primi, fuit primus omnium medicorum qui scientiam medicine amphoristice atque ordinarie adinvenit. Nam, licet plures medici ante ipsum fuerint, nullus fuit ante eum qui scientiam medicine ita ordinate et utiliter compilarit. Fecit autem in dicta scientia plures libros, et spetialiter istos: Librum Amphororum, Librum De Regimine Acutorum, Librum Pronosticorum, Librum de Natura Fetus, Librum de Humana Natura, Librum de Lege, Librum de Aere et Aqua. In quibus libris amphoristice universam tradidit scientiam medicine. Est autem amphoris locutio brevis.

Avicenna. Hic fuit saracenus yspanicus et, ut dicitur, rex Saracenorum. Fuit autem tempore Averrois, qui omnes libros Aristotilis commentatus est. Fuit enim iste Avicenna in scientia naturali peritissimus, nec non et in medicinali probatissimus, nam omnes Galieni libros elucidavit; unde se Galieni interpretem attestatur. Fecit enim in medicina librorum plura volumina, et maxime Librum Canonum, qui continet quinque libros; Librum Canticorum; Librum de Viribus Cordialibus. In quibus libris homines optime ordinavit.

Et Galieno. Galienus fuit de Grecia, et intantum etiam dum viveret notus in mundo, quod Rome insonuit fama eius. Unde ipse refert in Libro de Interioribus: Fama, inquit, mea divulgata est Rome, et ab imperatoribus cognitus extiti, non sophisticis rationibus, sed quia veritatem dilexi. Huic Galieno hoc nomen <medicus>, quod est omnibus medicis generale, attribuit Avicenna. Nam, sicut cum dicimus <prophetam> intelligimus David per anthonomasiam, idest per excellentiam, et cum dicimus <apostolum> intelligimus Paulum, et cum dicimus <evangelistam> intelligimus Iohannem; et cum dicimus <philosophum> intelligimus Aristotilem; et cum dicimus <poeta> intelligimus Virgilium; ita, cum Avicenna dicit <medicum>, intelligit Galienum. Fecit autem, ut fertur, a medicis in ipsa scientia medicine plus quam C volumina, de quibus habentur fere volumina sexaginta, quorum nomina omitto propter tedia evitanda.

Averrois che 'l gran comento feo. Averrois fuit philosophus sarracenus, qui omnes libros Aristotilis commentatus est. Ideo ait autor: «che 'l gran commento feo».

vv. 145-151

I' non posso ritrar di tutti a pieno. Postquam autor mentionem fecit tantorum principum et baronum, ac etiam in omni scientia summorum philosophorum, dicit quod propter materiam longam que eum ad alia narranda compellit, non potest de omnibus que vidit plenarie pertractare. Et ideo sequitur in textu: «La sexta compagnia in due si scema». Hoc est, illi quatuor summi poete qui eis obviam venerunt, et eos per illam partem quietam et luminosam associaverunt, in suo circulo remanserunt, quia non est licitum nisi per dispensationem divinam de uno circulo ad alium pertransire, et Virgilius autorem ad alium locum ducit, ad locum scilicet tempestuosum et tenebrosum. Ideo sequitur in textu:
Per altra via mi mena il savio duca,
fuor de la queta, nell'aura che trema.
Et vegno in parte ove non è chi luca.
Et sic descendit de primo circulo in secundum.

In isto quarto cantu continentur una comparatio et duo notabilia.

[Comparatio]

vv. 94-96

PRIMA COMPARATIO.

Così vid'i' adunar la bella scola
di quel signor dell'altissimo canto,
che sovra li altri com'aquila vola.

In ista comparatione demonstrat autor quante excellentie fuit Virgilius in hac vita, inquantum comparat eum aquile volanti, dicens quod quemadmodum aquila volat super omnes aves, ita Virgilius volavit, idest locutus est, super omnes poetas.

[Notabilia]

vv. 103-105

PRIMUM NOTABILE.

Così andamo infino a la lumera,
parlando cose che 'l tacere è bello,
sì com'era il parlar colà dov'era.
In hoc notabili admonemur quod ea que in secreto cum sapientibus pertractamus tacere debemus, nec ea extra ipsos pandere attentemus.

vv. 112-114

SECUNDUM NOTABILE.

Genti v'eran con occhi tardi et gravi,
di grand'autorità ne' lor sembianti;
parlavan rado, con voci soavi.
In isto notabili ponit autor tria que reddunt homines, et maxime principes et barones, maiestate mirabili reverendos. Primum est tarditas et gravitas oculorum, nam principes et barones debent in oculis tarditatem et gravitatem habere. Secundum est autoritas et maiestas in nutibus atque signis. Debent enim principes habere gestus et motus corporis ponderosos. Tertium est raritas et suavitas in loquendo. Non enim decet magnos viros nisi raro loqui, quia eorum verba melius ab auditoribus retinentur. Hec autem in Scipione fuisse, dum loquebatur ad populum, in libro De Amicitia Tullius asseverat. Quanta, inquit, o dii immortales, fuit illi gravitas, quanta in oratione maiestas.

Et sic patet quartus cantus prime cantice.

V

[Incipit]

INCIPIT V CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto V cantu poeta descendit in secundum circulum; in quo quidem cantu tracta[t] de peccato luxurie, et de pena que magis luxuriosis competit. Et incipit secundus circulus ibi: «Così discesi del cerchio primaio / giù nel secondo». Et finit ibi: «Et caddi come corpo morto cade».

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-142

Postquam in superiori cantu autor de primo circulo pertractavit, nunc in isto cantu intendit de secundo tractare. In quo quidem circulo ponit homines luxuriosos qui a quodam vento impetuoso continue, sine requie aliqua, moventur et agitantur. In introitu autem ipsi circuli dicit se invenisse Minoem tanquam iudicem et assessorem Inferni; qui quidem Minos culpas examinat, et examinatas executionibus mandat, quia cuilibet peccatori, secundum culpas, locum assignat. Cum autem Dantes in istum circulum descendisset, ait ad eum Minos: «O tu qui venis ad istud hospitium dolorosum, respice qualiter intras, et cuius auxilio tu confidis. Caveas bene ne te ingressus amplitudo decipiat». Tunc Virgilius: «Quare tantum clamitas», inquit, «Ne impedias suum fatale iter». Quasi dicat: A fato est sibi concessum, idest a voluntate divina (quia quod pagani vocant fatum, christiani divinam asserunt voluntatem) ut ante mortem secreta videat inferorum. Ideo ait in textu: «vuolsi così colà dove si puote / ciò ke si vuole, et più non dimandare». Assignata autem causa propter quam possunt secure descendere, per istum circulum iter arripiunt, semper ad infima descendendo. Et cum sic

ambo descenderent, dicit autor venisse ad locum omni luce privatum et omni tempestate repletum. In tali vero loco sic obscuro, sic tempestuoso, dicit carnales homines habitare, qui continue pre doloribus strident, plorant, lamentantur, et divinam virtutem blasphemant. Dicit etiam quod catervatim per illum aerem caliginosum, quemadmodum sturni a vento volvuntur et agitantur; et sicut grues in isto mundo de se faciunt longas rigas per aerem eiulando, sic ille anime vadunt per illum infernalem aerem semper flendo. Quarum volatum et conditionem dum Dantes attente consideraret, ait ad Virgilium: «O magister, que sunt ille gentes que in isto nigro aere castigantur?» Et Virgilius ait ad eum: «Prima illorum de quibus nova vis scire fuit imperatrix multarum linguarum, que sic ad vitium luxurie fuit fracta, quod fecit in suis legibus licitum quicquid libet». Que autem sit ista, habetur in textu ibi: «Ell'è Semiramìs, di cui si legge». Cuius conditionem et aliorum sequentium ponam cum ad lictere expositionem accedam. Cum vero sic illas animas volantes respiceret, vidit ibi duas singulari societate coniunctas; quarum fortunam scire volens, ait magistro suo: «O poeta, libenter loquerer illis duobus qui sic insimul vadunt». Et poeta ait ad eum: «Respice quod quando erunt magis prope nos, tunc eos exora ut, propter amorem qui eos exagitat atque ducit, ad nos veniant locuturi». Dantes autem, statim quod vidit locum et tempus secundum preceptum sui magistri, illos benigne rogavit, ut secum loqui aliquantulum dignarentur. Tunc ille anime volatu celerrimo ad eum descendunt, cum eo dulciter fabulantur, et eorum conditionem atque fortunam suspiriis explicant atque verbis. Ad quorum verba tanta compassione motus est Dantes, quod defecit tanquam si moreretur; et tandem cecidit sicut mortuum corpus cadit. Ideo ait ipse in textu: «Et caddi come corpo morto cade».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Così discesi del cerchio primaio / giù nel secondo. Semper autor de uno circulo descendit in alium quousque pertingat ad centrum. Quia primus circulus cingit secundum, et secundus tertium, et tertius quartum, et sic de singulis; semper minuitur atque stringitur locus. Et quamvis iste circulus secundus sit minor primo, non tamen habet minorem penam, immo maiorem: quia quanto magis descenditur, tanto maior pena sentitur. Ideo sequitur: «ma tanto più dolor, che punge a guaio».

vv. 4-6

Stavi Minòs orribilmente et ringhia:

Minos ponitur hic tanquam iudex Inferni, qui habet omnes culpas examinare et singulis culpis loca debita assignare. Unde versus: Cognitor est veri Minos adigitque fateri. Et Virgilius, VI Eneydorum:

Quesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.

Statius etiam VI Thebaidos istum Minoem ponit iudicem inferorum dicens:

Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Herebi populus poscebat crimina vite,
Nil hominum miserans iratusque omnibus umbris
.

Iste Minos nil aliud est nisi divina examinatio et sententie iudicialis executio. Sed quare iste autor et etiam alii poete divinam examinationem et iudicialis iustitie sententiam potius Minoi quam alicui alii attribuunt poetando? Respondeo: Minos, rex Cretensis, fuit filius Iovis ex Europa. Iupiter autem a paganis pro summo deo adorabatur et colebatur. A Deo autem procedit summa iustitia, et ideo pagani summam iustitiam aput inferos attribuunt ipsi filio Iovis. Preterea, Minos fuit rex iustissimus aput paganos et qui primus in mundo aput ipsos paganos leges et iudicia ordinavit. Septem nanque fuerunt homines excellentissimi qui suis gentibus primo iura finxerunt. Primus fuit Moyses, qui primus hebraico populo divinas leges sacris licteris explicuit. Secundus fuit Minos, qui primus Cretensibus tempore paganorum iura finxit. Tertius fuit Foroneus, qui primus Grecis leges iudiciaque constituit. Quartus fuit Mercurius, qui primus leges Egyptiis tradidit. Quintus fuit Solon, qui primus leges Atheniensibus ministravit. Sextus fuit Ligurgus, qui primus Lacedemonis iura ex Apolinis autoritate confinxit. Septimus vero fuit Numma Pompilius, qui Romulo successit in regno, quique primus leges Romanis dedit. Cum itaque Minos et fuerit filius Iovis et fuerit iustissimus homo, et legem et iustitiam ordinaverit, merito iudex aput inferos ordinatur. Quante autem iustitie fuerit, patet per Ovidium, VII et VIII libro Metamorphoseos. Septimo enim libro ponit ipse Ovidius quod Minos filium suum Androgeum magistris Atheniensibus tradidit erudiendum. Qui Androgeus in brevi non solum discipulos, sed etiam magistros, arte et sapientia superavit. Unde, ei invidentes, magistri Athenienses de summa turri arcis Minerve ipsum precipitaverunt. Propter quod scelus motus, ipse Minos cum exercitu valido Athenas obsedit, ipsam cepit, et tali pena punivit quod annis singulis Athenienses mitterent Minotauro septem pueros pro tributo. Unde Ovidius: «Bella parat Minos... Androgeique necem iustis ulciscitur armis». Octavo etiam libro ponit ipse Ovidius quod Minos

quandam civitatem que vocabatur Alchatoe obsedit. In hac autem civitate quidam rex regnabat nomine Nisus, qui Nisus habebat in capite quendam crinem aureum, scilicet ut fabule ponunt, de quo crine fatatum erat quod quamdiu haberet illum, haberet et regnum. Ovidius: «Crinis inherebat magni fiducia regni». Habebat autem iste Nisus unam filiam que vocabatur Silla. Hec puella quandam turrim dum ascendisset, et regem Minoem in exercitu conspexisset, eius statim pulcritudine capta fuit, et ipsius amoris iaculo mirabiliter vulnerata, et secum colloquens ait: O ego tunc felix si pennis lapsa per auras Gnosiaci possem castris insistere regis. Tandem thalamos taciturna paternos intrat et (heu facinus!) fatali crine parentem nata suum spoliat, predaque potita nephanda fert secum spolium sceleris, progressaque porta, pervenit ad regem, quem sic alloquitur ipsa: Suasit amor facinus: proles ego regia Nisi Silla tibi trado patriamque meosque penates. Premia nulla peto nisi te: cape pignus amoris purpureum crinem, nec me nunc tradere crinem, sed patrium tibi crede caput. Scelerataque dextra munera porrexit; Minos porrecta refugit turbatusque novi respondit ymagine facti. Dii te summoveant o nostri infamia secli. Orbe suo, tellusque tibi celumque negetur. Et his dictis Minos ab obsidione recessit. Tanto enim stupore et dolore constrictus fuit iustissimus iste rex, viso capite Nisi, quod filia sceleratis manibus amputarat, quod statim ad propria remeavit. Itaque cum iste iustissimus paganus fuerit, merito ab omnibus poetis iudex ponitur inferorum.

vv. 10-12

Cingesi con la coda tante volte. Per caudam cum qua se cingit in iudicando Minos, accipere debemus intentionem cuiuslibet peccatoris, quia per solam intentionem, et non per operationem, punit divina iustitia peccatorem. Nam, secundum Aristotilem, si duo homines carnaliter peccant, unus propter concupiscentiam, alter vero propter avaritiam, primus censendus est luxuriosus, sed secundus avarus. Unde beatus Ambrosius: Intentio tua operi tuo nomen inponit.

vv. 19-21

Non t'inganni l'ampiezza de l'entrare.

Secundum enim Evangelium, lata est via que ducit ad perditionem. Et Ovidius, ubi loquitur de isto descensu ad inferos, ait:

Mille capax aditus, et apertas undique portas,
Urbs Ditis habet.

Virgilius etiam libro Eneydorum: Facilis, inquit, descensus Averni.

vv. 28-36

I' venni in luogo d'ogni luce muto. Hic incipit autor penas hominum carnalium designare. Quam quidem penam distinguit tripliciter: Primo enim ponit quod omni luce carent, ibi: «I' venni in luogo d'ogni luce muto», etc.; secundo ponit quod a vento tempestuoso continue agitantur et commoventur, ibi:

La buffera infernal, che mai non resta,
volta li spirti con la sua rapina;

etc. Tertio ponit quod strident, plorant, lamentantur, et virtutem divinam blasphemant, ibi:

Quando vengon davanti a la ruina,

quivi le strida, il compianto, il lamento;

bestemmian quivi la virtù divina.

Et nota quod iste tres pene tribus operationibus co[r]respondent, quibus luxuriosi pleni fuerunt in mundo. Primo enim omni luce rationis privantur. Unde Philosophus in libro Ethycorum ait quod in actibus venereis impossibile est aliquid intelligere. Et poeta:

Quid deceat vel non, non videt ullus amans.

Secundo, moventur luxuriosi in hoc mundo omni vento tentationis, quia animus eorum semper est in continuo motu et continua tempestate. Unde eis competit illud Isaie: Cor impii quasi mare fervens quod quiescere non potest. Tertio, carnales homines in hac vita semper gaudia carnis querunt, et ideo in Inferno contraria patiuntur. Et licet omnes peccatores peccando dicantur blasphemare nomen Dominicum, spetialiter luxuriosi, humanam naturam corrumpendo Deum blasphemare dicuntur. Unde beatus Paulus apostolus de hominibus carnalibus: Per vos nomen Domini blasphematur inter gentes. Ideo in textu ait autor: «bestemmian quivi la virtù divina».

vv. 37-39

Intesi c'a così fatto tormento, etc. Hic autor de peccatis mortalibus incipit pertractare, quia propter peccata solum mortalia, homo eternaliter condemnatur. Et primo incipit a luxuria, que est primum peccatum descendendo, sed ultimum ascendendo. Sed antequam ad ipsam luxuriam veniamus, duo breviter sunt vicenda: Et primo, quid sit peccatum; secundo, quare sunt septem peccata capitalia et non plura vel pauciora. Circa primum nota quod peccatum habet tres diffinitiones: Prima est beati Augustini in libro De Natura Boni et in libro Unde Malum; et est talis: «Peccatum est aversio a bono incommutabili, et conversio ad bonum commutabile». Et hec diffinitio data est secundum quod peccatum est in voluntate. Secunda diffinitio est beati Ambrosii, sic dicentis: «Peccatum est prevaricatio legis divine et celestium inobedientia mandatorum». Hec diffinitio tangit peccatum prout est in voluntate et opere. Tertia diffinitio est beati Augustini, Contra Faustum; ait enim sic: «Peccatum est omne dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem Dei». Et hec diffinitio tangit omnem illam materiam in qua, vel contra quam, peccamus. Et dicitur peccatum quasi <ad penam aptum>, ut dicit Haymo super Ysaiam. Circa secundum nota quod peccata criminalia sive capitalia, a quibus omnia alia derivantur, sunt VII, iuxta septenarium quod in homine reperitur. Homo enim componitur ex anima et corpore; sed nos videmus quod in anima sunt tres potentie, et in corpore quatuor elementa. Iuxta igitur istud septenarium sunt VII peccata capitalia, que ab isto hominis septenario derivantur. Tria pertinent ad animam, et quatuor ad corpus; quorum primum est superbia, incipiendo a gravioribus. Et est superbia deformitas sive corruptio potentie rationalis, sive obcecatio intellectus. Unde Apostolus, Ad Romanos I: Obscuratum est insipiens cor eorum. Et Ad Ephesios IIII: Tenebris obscuratum habentes intellectum. Quod autem superbia sit excecatio rationis, patet per beatum Gregorium: Tumor, inquit, mentis est obstaculum veritatis. Et beatus Augustinus, VII libro Confessionum: Tumore mentis mee Domine, separabar a te et nimis inflata facies mea claudebat oculos meos. Hec potentia data est anime ad Deum cognoscendum, sed cum obcecata fuerit, Deum videre non potest. Secundum peccatum est invidia, que est deformitas sive corruptio potentie concupiscibilis, que potentia data est anime propter bonum appetendum, secundum Augustinum, et Boetium in libro De Consolatione: Insita est, inquit, mentibus nostris naturaliter veri boni cupiditas, sed ad devia falsus error adducit. Cum ergo amor boni sit in potentia concupiscibili, odium boni, quod est invidia, erit in ipsa eadem potentia, quia opposita sunt in eadem, ut dicit Phylosophus. Et est invidia prima ex superbie filiabus, quia ex eo quod aliquis appetit aliquid sibi singulariter, hoc idem invidet alii, ut dicit beatus Gregorius. Tertium peccatum est ira, que est deformitas sive corruptio potentie irascibilis, que potentia data est anime ad vitia detestanda, non virtutes. Ex ira nascitur turbatio mentis, que triplex est: Prima, cum quis irascitur vel turbatur contra vitia, et hec perturbatio est meritoria; Psalmista: Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Hec perturbatio non solum conceditur, sed precipitur. Psalmista: Irascimini et nolite peccare; idest, cum sic irascibimini, non peccabitis. Secunda est cum quis irascitur subito, sed in ira non perseverat; de qua Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram. Ista subita animi perturbatio est permissa, quia sine subitis motibus animi presens hec vita non ducitur; quia, ut ait beatus Ieronimus: Qui nulla animi perturbatione movetur, ut simpliciter dicam, vel Deus vel lapis est. Et Tullius, in libro De Amicitia: Si cadit in sapientem animi dolor, qui profecto cadit, nisi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitremur, etc. Et sequitur: Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem, sed inter hominem et truncum aut saxum? Tertia vero mentis perturbatio est cum quis irascitur contra bonum, de qua prima canonica Iohannis primo: Qui odit fratrem suum homicida est, vel cum subitus ire motus diu in homine perseverat, et tunc talis vertitur in odium. Unde beatus Bernardus: Odium est ira inveterata. Hec tria vitia, scilicet superbia, que deformat in anima vim rationalem, invidia, que deformat vim concupiscibilem, et ira, que deformat vim irascibilem, dicuntur vitia spiritualia, que, ut dicit beatus Gregorius, sunt minoris infamie et maioris culpe.

Sequuntur peccata carnalia, que sunt quatuor: quorum primum est accidia, que oritur ab elemento terre; nam *melon* Grece, <terra> vel <nigrum> Latine, inde *melancolici*, <qui magis sunt accidiosi>. Et licet accidia peccatum carnale dicatur quia procedit a corpore, tamen, quia medium est inter tria et tria, et medium sapit naturam extremorum, ut dicit Philosophus, dicendum est vitium anime et corporis; quia ut ait beatus Augustinus: Licet accidiosus nichil operis exterius faciat, tamen sub cordis sui pondere vehementer desudat. Unde accidia est molestia anime et corporis; corrumpit enim utrumque. Unde Salomon: Ad tristitiam festinat mors. Et iterum: Spiritus tristis exiccat ossa. Secundum peccatum est avaritia, que oritur ab elemento terre, que frigida est et sicca. Unde senes in quibus calor et humor naturalis deficit maxime sunt avari. Unde beatus Ieronimus: Cum cetera

vitia in homine senescant, sola avaritia iuvenescit. Tertium peccatum est gula, que oritur ab elemento ignis et aque. Ignis enim calidus est et siccus, et fames est appetitus calidi et sicci, ut dicit Philosophus. Aqua autem est frigida et humida, et sitis est appetitus frigidi et humidi, ut dicit Philosophus. Quartum peccatum est luxuria, que oritur ab elemento aeris et aque. Hec enim duo elementa cum sint media, magis sunt temperata, et magis sunt de substantia sanguinis de quo est genitura corporis humanis. Quod autem luxuria ortum habeat ab aqua et aere, patet per Divinam Scripturam. De primo, Genesis XLIIII: Ruben effusus est sicut aqua. De II Ecclesiastici 9: Cave ne sanguine tuo labaris in peccatum. Et sic patet quare sunt tantum VII peccata criminalia sive capitalia.

Cum igitur autor velit de istis VII tractare, incipit a minori, scilicet a luxuria. De qua tria breviter sunt videnda: Primo, quid sit; secundo, que et quot mala ex inde proveniant; tertio, de spetiebus eius. Quantum ad primum: Luxuria est, ut ait beatus Augustinus in libro De Civitate Dei, libido que est in genitalibus. Vel aliter: Luxuria est de immundis cogitationibus et desideriis descendens lubrica et effrenata mentis prostitutio. Quantum ad secundum, nota tria mala que principaliter facit, que in isto versiculo continentur: Tollit opes, famam, sensum, viresque libido. Primo, tollit opes: Proverbiorum XXVIIII: Qui nutrit scortum perdit substantiam suam. Exemplum de filio prodigo qui luxuriose vivendo consumpsit suam substantiam, ut habetur Luce 19: Secundo, tollit famam; nam, ut ait beatus Gregorius: Luxuria est minoris culpe sed maioris infamie. Et quia maioris est infamie, ideo magis fit in occulto; nullum enim peccatum ita querit latebras sicut istud. Unde ait Iob: Oculus adulteri observat caliginem. Tertio, tollit sensum et vires; luxuria enim, ut dicit beatus Ysidorus, carnem frangit, et fractam ducit celerius ad senectam. Dicunt enim medici quod id in quo maxima est delectatio est maxima nature consumptio. Et ratio huius est: In genitura enim, secundum Philosophum, fit decisio ex omnibus iuncturis et venis et musculis. Unde dicit quidam philosophus quod plus debilitat corpus unus coitus quam due minutiones; et ratio huius est quia cerebrum perturbat et minuit. Nam secundum naturales, semen est sanguis purissimus descendens a cerebro, qui per colationem venarum albescit. Unde illi qui immoderate luxurie deserviunt fatui fiunt, ut patet in Salomone, qui cum esset senex, stultus factus est, et depravatum est cor eius per mulieres ut sequeretur deos alienos. Quantum ad tertium nota quod V peccata a luxuria oriuntur: Primum est fornicatio, secundum est adulterium, tertium est defloratio sive strupum, quartum est incestus, quintum est peccatum contra naturam. Que autem sint ista peccata et unde dicantur, breviter videamus. Fornicatio est duplex: alia est enim spiritualis, alia corporalis. Spiritualis fornicatio, large sumpta, comprehendit omne peccatum mortale, ut in Psalmista: Perdidisti omnes qui fornicantur abste. Stricte vero sumpta est ydolatria, ut ibi: Fornicati sunt cum diis alienis. Corporalis vero fornicatio, large sumpta, est omnis illicitus actus carnis; stricte vero sumpta, est peccatum quod committit cum soluta solutus. Et dicitur fornicatio, quasi <forme necatio>. Necat enim animam, que est forma corporis, secundum Philosophum, vel necat formam, idest pulcritudinem corporis: *formos* enim Grece, Latine <pulcrum>; inde *formosus*, idest <valde pulcer>. Unde sponsa in Canticis: Nigra sum, sed formosa. Vel dicitur <fornicatio> a *fornice*, qui est <arcus triumphalis>, et solet erigi in victoriis. Unde Salomon in Proverbiorum 28: Rex sapiens incurvat super impio fornicem. Ad cuius similitudinem solent fornicatores sibi erigere tentoria, ut delectabilius peccent. Secunda speties luxurie est adulterium. Et est adulterium peccatum quod committitur in alienam uxorem vel in alienum maritum; et dicitur adulterium quasi <ad alterum ire>, eo quod vir vel uxor dividant se et vadant ad alios, qui prius erant una caro, ut dicitur Genesis 2°: Erunt duo in carne una. Vel dicitur adulterium quasi <violatio thori>, quia in isto peccato violatur thorus et copula maritalis. Tertia speties dicitur defloratio; et est defloratio peccatum quod committitur in virginem, et dicitur defloratio quasi <floris ablatio>, vel <floris corruptio>. Tollitur enim vel corrumpitur in isto peccato flos pudicitie virginalis. Vel secundum canonones dicitur stuprum, idest stupor; magnus enim stupor est virginem deflorare, que quidem reparari non potest. Unde beatus Ieronimus: Cum cetera possit Deus, non potest de corrupta facere incorruptam. Licet enim Magdalenam glorificaverit, non tamen ei abstulit quin peccatrix fuerit. Quarta speties dicitur incestus, et est incestus peccatum quod committitur in consanguineum vel consanguineam. Et dicitur incestus quasi <incista>, ab *in* quod est <contra> et *cista*, idest <in cistam>, <prohibitam introire>. Quinta speties est peccatum contra naturam, quod committitur quatuor modis: primo inter masculum et masculum; secundo inter feminam et feminam; tertio inter masculum et feminam; quarto inter hominem et bestiam. Et dicitur contra naturam, quia in qualibet spetie huius peccati natura impeditur ne multiplicetur, secundum preceptum Dei: Crescite et multiplicamini, et replete terram.

Che la ragion sommetton al talento. Homo enim carnalis rationem subicit voluntati: qua ratione subiugata, homo, qui prius erat rationalis, efficitur totus carnalis, idest bestialis, admodum bestie que carnaliter vivit.

vv. 40-45

Et come li stornei. In hac parte autor duas comparationes inducit: in prima quarum exemplificando demonstrat quomodo anime carnalium a vento impetuoso continue impelluntur; in secunda vero ponit quomodo ipse anime per illum aerem eiulando discurrunt. De prima sic ait:
Et come li stornei ne portan l'ali

nel freddo tempo, a schiera larga et piena,
così quel fiato li spiriti mali

Sturnus est avis modica mira pennarum varietate depicta. Hec avis societatem diligit, rostro et pedibus se defendit, gregatim incedit, et in tanta multitudine tempore hyemis volat quod aerem et solem obnubilare videtur.

vv. 46-48

De secunda vero ait:
Et come i gru van cantando lor lai,
faccendo in aer di sè lunga riga,
etc.

Grus de propria voce nomen sumpsit; tali enim voce sonat, ut dicit Ysidorus: Est autem avis magnarum alarum et fortis volatus, aeris alta petens, ut videat quas velit pergere regiones, ut dicit Ambrosius in Exameron. Est autem avis diligens suam spetiem, et in societate vivens, habens regem, et ordine licterato volans. Ductor autem agminis quasi castigando et arguendo voce ad rectos cogit volatus, et si forte raucescat, succedit alia grus que officium supplet idem. Grues autem voce preconia terram petunt ut quiescant, et cum sederint ad custodiam sui vigiles ordinant, ut alie securius conquiescant. Vigiles autem super unum crus stant erecte, et cum alio pede a terra suspenso sive elevato lapillum tenent, ut si casu aliquo dormitarint, per lapsum lapilli excitentur, ut dicit Aristotiles.

vv. 52-54

La prima di color di cui novelle
tu vuo' saper, mi disse quelli allotta,
fu imperadrice di molte favelle.
Ista est Semiramis, uxor Nini regis, qui Ninivem condidit et a suo nomine appellavit. Hec civitatem Babilonie, quam Nembroth edificaverat, ampliavit, murosque urbis bitumine et cocto latere refecit, ut dicit beatus Ysidorus XV libro Ethymologiarum. Hoc idem asserit Ovidius ubi loquitur de Babillonia, quarto Methamorphoseos libro, dicens: Coctilibus muris cinxit Semiramis urbem. Hec regina, ut dicit magister in istoriis scolasticis, primo bracas et usum bracarum adinvenit. Tante autem incontinentie fuit, quod mortuo Nino viro suo, filium quem de eo suscepit in virum accepit. Sed, ut suam posset libidinem paliare, fecit in Babilonia leges, ut omnis mulier que vellet, filium posset accipere in maritum.

vv. 55-60

Ideo dicit autor:
A vitio di luxuria fu sì rotta,
che licito fè illibito in sua legge,
etc.

Orosius etiam hoc asserit libro primo sic dicens: Semiramis, libidine ardens, sanguinem sitiens, cum omnes quos concubitu oblectasset occideret, tandem filio nupsit flagitiose concepto, et privatam ignominiam publico scelere obtexit. Precepit enim ut inter parentes et filios, nulla delata reverentia nature de coniugiis appetendis cui libitum esset liberum fieret. Hucusque Orosius. Tandem ab eodem filio quem flagitiose in virum accepit interfecta est, postquam XLII annis regnaverat, ut ait Iustinus libro primo. Et quamvis fuerit sic luxuriosa et scelerata, fuit nichilominus in armis mirabiliter bellicosa. Ait nanque Valerius libro 9, capitulo de ira, quod ipsa Semiramis Assiryorum regina, cum ei circa cultum capitis sui occupate nuntiatum esset Babiloniam defecisse, altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit; nec prius decorem capillorum in ordinem quam tantam urbem in potestatem suam redegit. Quocirca statua eius Babilonie posita est illo habitu, quo ad ulctionem exigendam precipiti celeritate tetendit.

vv. 61-63

L'altr'è colei che s'ancise amorosa. Ista fuit Dido, filia Beli, non illius Beli qui fuit pater Nini regie, sed alterius Beli, illius scilicet qui fuit filius Agenoris. Hec Dido habuit fratrem regem, nomine Pigmalionem, qui dedit eam in uxorem Sicheo regi Tyri. Sed postquam Pigmalion interfecit cognatum suum, cupiditate potiundi regni, ad admonitionem viri sui qui sibi in somnis apparuit, accepit Cyneres sui viri et thesaurum incomparabilem et cum multitudine puerorum suorum in Affricam transmeavit,

ibique urbem Cartaginem condidit. Applicantem autem Eneam ad litora sua benigne recepit, ipsumque in virum accepit, et eius amore vulnerata, quia Eneas contradicente Didone recessit, se propiis manibus interfecit, ut libro quarto Eneydorum scribit Virgilius. Sed beatus Ieronimus in primo libro Contra Iovinianum dicit quod Dido se interfecit amore casto et non amore polluto. Ait enim sic: Dido soror Pigmalionis multo auri et argenti pondere congregato, Affricam navigavit, ibique urbem Cartaginem condidit. Et cum a Iarba rege Libie, in coniugium peteretur, paulisper distulit nuptias donec conderet civitatem. Que non multo post extracta in memoriam mariti quondam Sichei, pira maluit ardere quam nubere. Casta mulier Cartaginem condidit, et rursum eadem urbs in castitatis laude finita est. Nam Astrubalis uxor capta et incensa urbe cum se cerneret a Romanis esset capiendam, apprehensis ex utroque latere parvulis filiis, in subiectum domus sue devolavit incendium. Hucusque Ieronimus.

Et ruppe fede al cener di Sicheo. Ista Dido voverat cineribus viri sui nunquam cognoscere secundum virum. Sed postquam Eneam recepit hospitio et ipsum suo copulavit coniugio, ut vult ipse Virgilius et Ovidius, fidem rupit quam promiserat viro suo. Ideo autor, sequens opinionem Virgilii, ait: «et ruppe fede al cener di Sicheo». Unde Virgilius, quarto Eneydorum:
Non servata fides cineri promissa Sichei.

L'altra è Cleopatra luxuriosa. Cleopatra, ut in Sacra Pagina invenitur, fuit regina Egypti, quam Ptholomeus frater eius in uxorem accepit, ut scribit Valerius libro 9, capitulo de luxuria, dicens: Quid huius Ptholomei nequitia nequius? Sororem enim suam natu maiorem comuni fratri nuptam sibi nubere coegit. Postea deinde filia eius per vim strupata filiam ipsam dimisit, ut vacuum locum nuptiis puelle faceret. Huic enim Cleopatre Ptholomeus frater eius atque maritus communem filium nomine Menephiten membratim dilaceratum obtulit tanquam munus, ut scribit idem Valerius eodem libro, capitulo de crudelitate, dicens: Iterum Ptolomeus emergit paulo ante libidinose amentie teterrimum exemplum. Idem est inter precipua crudelitas indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? filium suum nomine Menephiten quem ex Cleopatra, eadem sorore et uxore, sustulerat, liberalis forme, optime spei puerum, in conspectu suo occidi iussit; protinusque caput eius et pedes precisos et manus in cistam clamide opertos pro munere natalitio matri misit, perinde quasi ipse cladis, quam illi inferebat, expers, ac non infelicior, quod in omni orbitate Cleopatram miserabilem cunctis, se invisum reddiderat. Adeo ceco furore summa quoque effervescit crudelitas, cum monumentum ex se ipsa reperit: nam cum animadvertit quanto suo odio patria teneretur, timori remedium scelere petivit quoque tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuventute gymnasium armis et igni circundedit, omnesque, qui in eo erant, partim ferro et partim flamma necavit. Hucusque Valerius. Re vera ista fuit crudelissima et luxuriosissima omnium feminarum. Omnes enim Romanos principes Egyptum intrantes, ad sui luxuriam provocabat, et hoc non solum propter suam concupiscentiam explendam, sed etiam quia mortem orientalium moliebatur regum ut ipsis mortuis ipsa sola cum Romanorum favore regnaret. Divum siquidem Iulium Cesarem, dum Egyptum intraret, ad sui concupiscentiam intantum Cleopatra inflammavit, quod illud proverbium ore divino promebat, sicut legitur in Policrate: In bello corpora gladiis, in pace voluptatibus vulnerantur. Et subitur ibidem: Senserat gentium triumphator voluptatem nullo alio modo tam facile superari posse quam fuga, eo quod ipsum qui gentes domuerat, venereis nexibus innodavit Cleopatra mulier impudica. Tandem Cesar Augustus intrans Egyptum, dum ipsa ornatu impudico ei obviam veniens ipsum sua pulcritudine inflammare ad luxuriam conaretur, ipsam despexit. Qua propter, videns se ipsam ab Augusto contemptam, mortem voluntariam ipsa subivit, ut dicetur infra in tertia cantica, cantu VI.

vv. 64-66

Helena vidi. Helena pulcherrima mulierum fuit regina Grecorum. Fuit enim uxor regis Menelay, fratris scilicet regis Agamenonis. Hanc Helenam propter incomparabilem pulcritudinem suam, rapuit Theseus dux Athenarum, sed fratres eius Castor et Pollux rapta matre Thesei Elenam rehabuerunt. Deinde capta est a Paride, filio Priami regis Troyanorum. Quod autem duabus vicibus rapta sit, patet per illud Pictagore, sicut scribit Ovidius in libro Metamorphoseos, dicens:
Cum Helena in speculo rugas aspexit aniles
flevit, et secum cur sit bis rapta requirit.

Hec autem secunda captio fuit causa troyane destructionis, sicut per prophetiam Cassandre et per evidentiam facti patet. Cassandra enim, filia regis Priami et soror ipsius Paridis, habens scientiam futurorum, predixit quod si Elena regina Grecorum Troyam duceretur a Paride, esset destructio omnium Troyanorum. Sicut inducit Ovidius in libro Epistularum ipsam Cassandram loquentem ad Oenonem dicens:
Quid facis Oenone, quid harene semina mandas?
Non profecturis litora bobus aras?
Graia iuvenca venit, que te patriamque domumque
Perdat! io prohibe! graia iuvenca venit!
Heu quantum Phrigii sanguinis illa vehit.

Facti vero evidentia manifestat quod Agamenon omnes Grecorum principes ad colloquium advocavit, et exposita captione cognate, omnes coniurant unanimiter contra Troyam. Et cum auxilio

totius Asie atque Europe, ipse Agamenon civitatem Troyanam X annis obsedit, sicut scribit Dares Phrigius in ystoria Troyanorum atque Grecorum. Hoc etiam asserit beatus Ieronimus, Contra Iovinianum libro I, sic dicens: Propter unius muliercule raptum Europe atque Asie decennalia bella consurgunt. Tandem completis X annis Greci Troyam ceperunt, Helenam rehabuerunt, et civitatem combusserunt. Ideo ait autor in textu: «Helena vidi, per cui tanto reo tempo si volse».

Et vidi 'l grande Acchille. Quia plures fuerunt qui hoc nomine sunt vocati, ideo ait autor: «vidi 'l grande Acchille». Iste est enim ille magnus Achiles qui pro maiori parte Troyanorum bellicosos iuvenes obtruncavit, et spetialiter, ut scribit Dares Phrigius, Hectorem fortissimum Troyanorum omnium prelio singulari devicit, et cum ipsius Hectoris balteo ipsum Hectorem circa muros troyanos vidente Priamo patre traxit. De isto siquidem baltheo unum maximum infortunium scribitur a poetis. Dicunt enim quod cum Hector et Aiax uno die ad colloquium convenissent, sibi tantum mutuo placuerunt quod militare munus unus alteri est largitus. Aiax enim suum baltheum Hectori, et Hector suum ensem donavit Aiaci, quod utrique infortunium cessit huiusmodi infortunata largitio. Nam Hector tractus est ipsius Ayacis baltheo ab Achille. Et Aiax furia ductus ense Hectoris se peremit. De qua furia 13 Methamorphoseos scribit Ovidius.

Hectora qui solus, qui ferrum ignemque Iovemque
Sustinuit totiens, unam non sustinet iram,
Invictumque virum dicit dolor, arripit ensem
Et meus hic certe est! an et hunc sibi poscit Ulixes?
Hoc, ait, utendum est in me michi, quique cruore
Sepe Frigum maduit, domini nunc cede madebit,
Ne quisquam Aiacem possit superare nisi Aiax.
Dixit et in pectus tamen demum vulnera passum,
Qua patuit ferro, letalem condidit ensem,
Ne valuere manus infixum educere ferrum.

Videns autem Hecuba suum primogenitum filium, qui erat lux et gloria Troyanorum, ab Achille peremptum, femineo cogitatu ipsum Achillem Polixene amore languentem ad colloquium convocavit, promittens sibi dare ipsam Polixenam in uxorem, si a troyana vellet obsidione recedere. Achilles autem, quia amore ipsius Polixene tenebatur, in quodam templo Apolinis prope muros urbis ad colloquium cum regina convenit, quem Paris, instructus a matre, sagitta peremit. Ideo ait autor in textu: «che con amore al fine combatteo». Nam amore ipsius Polixene pacem cum Troyanis Grecorum exercitui suadebat, bellare vetabat, et se a preliis abstinebat. Sed cum uno die Hector totum Grecorum exercitum trucidaret, Achilles, rogatus a principibus, bellum intravit et Hectorem interfecit. Unde Hecuba sub amoris pretextu ipsum Achillem, ut dictum est, morte insidiosa peremit. Sed postea capta Troya, Pyrrus, ipsius Achillis filius, ipsam Polyxenam supra patris tumulum immolavit, ut habetur infra, cantu [XXX].

vv. 67-69

Vidi Pari. Iste Paris fuit binomius, nam vocatus est Paris et Alexander. Iste enim fuit Priami regis filius et Hecube regine troyane, de quo Paride unam mirabilem fabulam composuerunt antiqui poete. Sed re vera, si ipsa fabula allegorice exponatur, non fabula a poetis ficta sive composita, sed vera prophetia sive parabula a sanctis prophetis conscripta et a Sancto Spiritu inspirata reputabitur a lectore. Dicunt enim, immo fingunt poete, quod dum ipse Paris esset in Yda troyana et solus esset in camera sua, fuit sibi proiectum unum pomum aureum incomparabiliter pretiosum. Quo proiecto, tres dee mirabiliter pulcre ad ipsum Paridem de celo venerunt: Iuno scilicet, et Venus, atque Minerva; unaqueque ipsum rogando ut ipsum pomum sibi liberaliter condonaret, et si hoc liberaliter faceret, quelibet eidem Paridi in munere valde munifico responderet. Iuno enim ait sibi: «Ego, ut nosti, sum dea divitiarum. Si istud igitur pomum michi dederis, thesauros innumerabiles et divitias tibi dabo». Post Iunonem Venus alloquitur Paridem in hoc modum: «Cum amoris dea et colar et dicar, et a meis sagittis atque vulneribus nullus se possit abscondere, si michi pomum dederis, dabo tibi in uxorem Helenam, Grecorum pulcerrimam omnium mulierum». Dehinc ait Minerva: «Cum sim dea sapientie et de capite Iovis nata, si pomum michi elargiri volueris, dabo tibi sapientiam, qua mediante non solum terrena sed et celestia, ipsumque etiam Iovem, de cuius capite nata sum, sine difficultate cognosces». Tunc Paris, allectus pulcritudine Elene et abiecta sapientia atque divitiis, Veneri pomum dedit.

Allegoria vero istius fabule talis est: Paris enim tenet figuram cuiuslibet hominis; quilibet enim homo, quia ad ymaginem et similitudinem Dei factus est, Paris dicitur, idest <par Deo>. Pomum autem aureum est liberum arbitrium, incomparabiliter pretiosum. De quo thesauro ait poeta:

Non bene pro toto libertas venditur auro;
Non sit alterius qui suus esse potest.

Per istas vero tres deas accipimus tres vitas in quibus se occupat universa gentium multitudo. Nam per Iunonem vitam activam accipimus, per Minervam vitam contemplativam, per Venerem autem vitam voluptuosam atque delitiosam. Per Iunonem dico accipimus vitam activam, nam Iuno pro dea divitiarum accipitur a poetis. Habet enim ipsa bona temporalia congregare, et hoc secundum

paganos. Secundum vero christianos, vita activa habet ipsa bona temporalia dispensare. Per Minervam autem, que est dea sapientie, et de capite Iovis a Grecis fingitur esse nata, accipimus vitam contemplativam, qua mediante cognoscimus Deum et substancias separatas. Per Venerem vero, matrem cupidinis atque ioci, vitam voluptuosam accipimus, sive carnalem. Igitur Paridi tres iste dee apparent, quelibet suum pomum aureum appetendo, dum quelibet istarum trium vitarum ad se conatur liberum hominis arbitrium inclinare. Et hoc est quod dicitur a Deo ipsi homini in suo proprio arbitrio constituto: Ecce ignem et aquam apposui tibi ad quod volueris extende manum tuam. In arbitrio hominis est flectere suum arbitrium sive ad actum vite active, sive ad actum vite contemplative, sive ad actum vite voluptuose. Paris autem, tenens figuram hominis in libero arbitrio constituti, dat pomum aureum Veneri, dum liberum flectit arbitrium non ad bene agendum, non ad Deum contemplandum, sed ad carnalia exercendum. Et ideo mare transnatat, in Greciam applicat, et Helenam amat; amatam autem per violentiam rapit, cum rapta in patriam redit; unde bellum decennale consurgit.

Tristano, etc. Iste Tristanus fuit mirabiliter filocaptus: unde cum ista multitudine hic ab autore ponitur. Cuius Tristani gesta non explico, quia sunt omnibus quasi nota; nam note sunt hystorie que in illo libro leguntur qui vulgo <Rotunda Tabula> nuncupatur.

vv. 97-99

Siede la terra dove nata fui
su la marina dove 'l Po discende
per aver pace co' seguaci sui.
Ista terra est quedam civitas, in partibus Ytalie sita, que vocatur Ravenna, caput quidem provincie Romandiole. Fuit autem antiquitus civitas famosissima, iuxta quam Padus, Lombardie fluvius, in mare descendit. Ideo ait autor: «su la marina dove 'l Po discende». Quod autem sequitur: «per aver pace co' seguaci sui», sic construe licteram: Padus ideo descendit in mare ut pacem habeat cum sequacibus suis, idest cum illis fluminibus que intrant in eum. Tunc enim flumina pacem habere dicuntur cum in mare descendunt, et tunc a suo fluxu et cursu rapido quietantur.

vv. 100-108

Amor, c'al cor gentil ratto s'apprende,
prese costui de la bella persona,
etc.

Autor in istis VIIII rithimis V sententias ponit. Prima est ista: quod in omni corde nobili et generoso de levi amor accenditur. Et quia in omni corde sic apto accenditur amor, ideo unus istorum, amore cogente, captus est pulcritudine et venustate istius mulieris, cuius verba diriguntur ad Dantem. Ideo ait in textu: «Amor c'al cor gentil ratto s'apprende», etc. Secunda sententia est quod amor nulli amato parcit quin, versa vicissitudine, diligat se amantem; hoc scilicet, supposito quod ille qui amatur ad suam notitiam veniat quod ametur. Unde infra, in secunda cantica, cantu XXII, ait autor: «pur che la fiamma sua paresse fuori». Ideo ait hic in textu: «Amor c'a null'amato amar perdona, / mi prese del costui piacere». Tertia sententia est ista, quod quando amor in corde fortiter radicatur, nunquam hominem derelinquit. Huic sententie videtur Seneca concordare qui ait: Amor arbitrii animo summitur, non ponitur, idest non deponitur. Quasi dicat: Licet homo ad suum arbitrium amorem induat, non tamen ad suum arbitrium illum deponere potest. Ideo ait in textu: «mi prese del costui piacer sì forte / che, come vedi, ancor non m'abandona». Quarta sententia est quod amor carnalis et voluptuosus amantes deducit ad mortem, et hoc intellige sive ad mortem culpe, iuxta sententiam Salvatoris in Evangelio dicentis: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechanematus est cum ea, sive ad mortem gehenne, iuxta verbum Apostoli: Neque adulteri regnum Dei possidebunt; sive ad mortem temporalem, iuxta leges civiles, que mandant adulteros iudicari; et etiam iuxta istius autoris sententiam, qui ponit hic istos causa adulterii fuisse peremptos. Ideo ait in textu: «Amor condusse noi ad una morte». Quinta sententia est quod quilibet peccator cum suo simili condemnatur, scilicet luxuriosus cum luxurioso, ut isti duo; gulosus cum guloso, ut Ciaccus cum gente sua, ut habetur infra; et proditor cum proditore, sicut iste qui proditorie fratrem germanum occidit, quem Caym, quando morietur, expectat. Ideo ait in textu: «Caym l'attende chi vita ci spense».

vv. 112-114

Quanti dolci penseri, quanto disio,
menò costoro al doloroso passo!

Vere omnis dulcedo et omnis delectatio que in actu venereo prelibatur, in amaritudinem convertitur et dolorem. Unde Salomon in Proverbiis: Favus distillans labia meretricis, novissima autem illius amara quasi absinthium. Et beatus Ieronimus: Voluptas presens non satiat, futura cruciat, preferita non delectat.

vv. 121-123

Et ell'a me, nessun magior dolore
che ricordarsi del tempo felice
ne la miseria;
Huic sententie concordat Boetius, secundo libro De Consolatione, dicens ad Philosophiam: Hoc est quod recolentem vehementius quoquit: Nam in omni adversitate fortune infelicissimum genus infortunii est fuisse felicem. Et nota quod non dicit infelix, sed infelicissimum. Nam, ut ait commentator, duo sunt genera infortunii, unum continuum, aliud interpollatum. Primum scilicet continuum est infelix; secundum vero, scilicet interpollatum, est infelicissimum, eo quod primum consuetudine minus nocet. Unde Seneca ad Serenum de tranquillitate animi ait: Tolerabilius faciliusque est non acquirere quam amittere. Ideoque letiores videbis quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Idem ad Hesbiam matrem suam de consolatione filii: Unum habet assidua infelicitas bonum, quod quos semper vexat indurat.

vv. 124-126

Ma s'a conoscer la prima radice
del nostro amor tu ài cotanto affecto,
dirò come colui che piange et dice.

Istud videtur sumptum de primo Eneydorum libro, ubi Eneas loquitur Didoni:

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros

Et breviter Troye suppremum audire laborem,

Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit.

vv. 73-75

In isto quinto cantu autor tangit duas historias, unam antiquam et unam modernam, quatuor comparationes, et duo notabilia. Modernam tangit ibi: «I' cominciai: <Poeta volontieri / parlerei a que' due>», etc. Antiquam vero tangit ibi: «Noi leggiavam un giorno per diletto / di Lancialotto», etc. Ad quorum evidentiam est sciendum quod in Ravenna fuit quidam nobilis homo qui vocabatur Guido de Polenta, dominus quidem civitatis Ravenne atque Cervine. Hic autem Guido habuit filiam pulcherrimam, nomine Franciscam, quam dedit in uxorem Gianciotto, filio domini Malateste de Arimino. Iste autem Gianciottus habebat unum germanum qui vocabatur Paulus, pulcritudinis multe venustum, et morum honestate preclarum. Accidit itaque quod Paulus fuit captus pulcritudine sue cognate, et ipsa, versa vice, istius Pauli amore fuit mirabiliter vulnerata. Principium vero huius infortunati amoris fuit quod quadam die, dum causa delectationis legerent de amore Lancialotti, et quomodo ipse Lancelottus reginam fuit osculatus, Paulus, toto corpore contremiscens, Franciscam cognatam suam fuit dulciter osculatus. Et sic ille liber quem legebant fuit medius inter eos copulans et concordans, sicut fuerat dominus Galeottus inter Lancialottum medius et reginam. Ideo dicitur in textu: «Galeotto fu il libro et chi lo scrisse». Gianciottus autem, suspitione plenus et stimulo dyabolico concitatus, ipsos ambos, germanum videlicet et uxorem, propriis manibus interfecit. Unde ait in textu: «Amor condusse noi ad una morte».

[Comparationes]

vv. 28-30

PRIMA COMPARATIO.

I' venni in luogo d'ogni luce muto,
che mughia come fa mar per tempesta,
se da contrari venti è combattuto.
Istam similitudinem sic expone tu Lucane, qui multotiens parambulas semitas maris. Iste enim locus, in quo carnales homines cruciantur, caret omni luce, ibique homines mugiunt pre dolore, quemadmodum mugit mare tempore tenebroso, quando scilicet ventis contrariis agitatur.

vv. 40-42

SECUNDA COMPARATIO.

Et come li stornei ne portan l'ali
nel freddo tempo, a schiera larga et piena,
così quel fiato li spiriti mali.

Ponit hic autor quod, quemadmodum sturni tempore hiemis in acie larga et plena volitant valde stricti, ita ille ventus animas carnalium per illum aerem caliginosum impellit.

vv. 46-48

TERTIA COMPARATIO.

Et come i gru van cantando lor lai,
faccendo in aer di sè lunga riga,
così vid'i' venir, traendo guai,
ombre,
etc. Vult hic dicere autor quod, sicut grues ordinate volantes vadunt semper per aerem eiulando, sic ille anime damnate catervatim a vento impulse sunt in continuo eiulatu. Ista comparatio sumpta videtur de V libro Lucani, ubi sic ait: «Effingunt varias casu monstrante figuras».

vv. 82-84

QUARTA COMPARATIO.

Quali colombe dal disio chiamate
con l'ali alzate et ferme al dolce nido
vegnon per l'aer, dal voler portate;
cotal uscir de la schiera ov'è Dido,
Utitur hic autor similitudine columbarum, que quando audiunt desideria filiorum piulantium et cibum unde pascantur expectantium, statim volatu celerrimo descendunt ad eos; tali itaque similitudine et forma predicti ad vocem Dantis exiverunt de acie ubi est Dido et venerunt ad eos, cum eis affectuosissime locuturi.

[Notabilia]

vv. 7-9

PRIMUM NOTABILE.

I' dico che qual anima malnata,
etc. In hoc notabili declaratur quod divine cognitioni sive nostre conscientie, quorum typum tenet Minos, nichil occultare valemus.

vv. 100-102

SECUNDUM NOTABILE.

Amor c'al cor gentil ratto s'apprende,
etc. In hoc notabili demonstratur quod homo generosus et nobilis absque amore esse non potest.

vv. 102-105

TERTIUM NOTABILE.

Amor c'a null'amato amar perdona,
etc. Hic ostenditur quod tanta est vis amoris, quod quicumque amatur amat vice reciproca se amantem.

vv. 121-123

QUARTUM NOTABILE.

Nessun magior dolore
che ricordarsi del tempo felice
ne la miseria.
Lictera plana est et sententia valde vera.

Et sic patet quintus cantus prime cantice.

VI

[Incipit]

INCIPIT VI CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto VI cantu poeta descendit in tertium circulum, et incipit tertius circulus ibi: «Io sono al terzo cerchio, de la piova»; et finit ibi: «venimmo al punto dove si digrada: / quivi trovamo Pluto, il gran nimico». In isto quidem circulo ponit autor quendam canem habentem tria capita; qui quidem canis Cerberus nominatur. Qui Cerberus tenet figuram et similitudinem peccati primorum parentum.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 10-115

Postquam in superiori cantu autor de secundo circulo pertractavit, in quo carnales homines puniuntur, nunc in isto cantu intendit de tertio circulo pertractare; in quo ponit homines gulosos, et penam describit que magis competit eis. Ingrediens autem istum tertium circulum, dicit quod in introitu ipsius invenit quendam canem qui habebat tria capita, qui cum omnibus tribus super illas animas canine latrabat. Et antequam per circulum vadat, duo ponit: primum est qualitas pene istius circuli; secundum est conditio istius canis. Quantum ad primum, describit penam per istum modum: quod ibi est pluvia eterna, frigida, atque adeo gravis quod nec regula nec qualitas ibi modo aliquo innovatur. Et ad maiorem declarationem istius pluvie, dicit quod ibi sunt tria que maximam generant tempestatem, scilicet grando grossa, aqua turbulenta, ac etiam nix. Quantum ad secundum, dicit quod ille canis habet tria capita, oculos rubeos, os unctum atque crudele, ventrem largum, et manus ungulatas, cum quibus laniat spiritus, deglutit, et lacerat. Propter istam vero tempestatem illi spiritus qui ibi puniuntur ululant velut canes, et ut unum latus a tempestate defendant, aliud latus obiciunt tempestati, et per istum modum sepe sepius se volvunt in miseras tempestates. Sed quando Cerberus de descensu eorum advertit, iracunda totus plenus, contra eos aperuit ora et dentibus subsannavit. Tunc Virgilius manus suas terra complevit, ipsamque in eius fauces iniecit. Et dum ille dyabolicus canis circa devorationem intenderet, ambo ad infima descenderunt. Cum vero illum circulum peragrarent, dicit autor quod omnes anime per terram sub tali tempestate iacebant, et nulla se breviter erigebat preter unam; que quando vidit iuxta se Dantem, statim ad sedendum celeriter se erexit, et ait ad eum: «O tu qui transis per istum infernum, recognosce me, si scis; tu prius fuisti factus quam ego consumptus». Et Dantes ad eum: «Angustia quam tu habes forsitan te abstrait de mente mea, adeo quod nunquam recolo te vidisse. Sed dic michi quis es tu qui in tam

dolenti loco es positus, et ad talem penam subiectus, quod si alia maior est, nulla tamen est magis displicibilis seu gravis». Tunc illa anima se manifestavit autori per tria signa: Primo per civitatem unde fuit oriunda, ibi: «La tua città, ch'è piena / d'invidia», etc. Secundo, per nomen suum, ibi: «Voi cittadini mi chiamaste Ciacco». Tertio, per culpam quam commisit in mundo, et propter quam damnatus est in Inferno, ibi: «per la dannosa colpa de la gola, / come tu vedi, a la piogia mi fiacco». Postquam vero cum isto Ciacco de quibusdam que in lictera exponentur locutus est autor, ab eo recessit et in septimum circulum de isto VI descendit. Ideo ait autor in textu: «Noi agiramo a tondo quella strada, / parlando più assai ch'i' non ridico: / venimmo al punto dove si digrada: / quivi trovamo Pluto, il gran nimico».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-12

Al tornar de la mente, che si chiuse,
etc.

In superiori cantu dicit autor quod, audiens infortunatum amorem illorum duorum qui erant singulari societate coniuncti, tanta fuit pietate commotus quod defecit velut adeo moreretur, et cedidit in mente sua propter dolorem quem sensit, sicut mortuum cadit corpus. Nunc autem in isto cantu dicit quod mens sua, que ita propter pietatem defecerat, ad sui status rectitudinem est reversa, dicens: «Al tornar de la mente, che si chiuse». Et est continuatio ad precedentia. Et dum sic in se ipsum reversus est, vidit in isto tertio circulo nova tormenta et novos ibidem pariter tormentatos. Que quidem tormenta enumerando declarat, dicens: «I' son al terzo cerchio, de la piova / eterna», etc. Ubi est notandum quod, quemadmodum in hac vita gulosi loca amena et omnia que possint delectare desiderant, ut sunt cibi delicatissime preparati, prata, fontes et viridaria, et odio atque fastidio habent tam cibos non bene paratos quam loca non bene apta, ac etiam pluviam, fumum, ventum, et malum tempus, ita e contrario in Inferno habent penuriam omnis cibi et omnis potus, et habent loca tristia plena continua pluvia, continuo ventu, et continua aque turbide tempestate, grandinis etiam atque nivis.

vv. 13-15

Cerbero, fiera crudele et diversa. Cerberus est quidam canis infernalis habens tria capita. De quo Seneca, primo libro Tragediarum, ait:
Sevus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vasto capita concutiens sono,
Regnum infernale tuetur.

Item V eodem libro:

Triceps catenas Cerberus movit graves.

Et Virgilius, 6 Eneydorum ait:

Cerberus hec ingens latratu regna trifauci

Personat adverso recubans inmanis in antro.

Et ponitur in isto circulo ab autore pro peccato gule: nam Cerberus dicitur quasi <carvaros>, idest <carnes vorans>. Dicitur autem habere tria capita propter tres partes orbis quas gula primi parentis destruxit, scilicet Asiam, Affricam, et Europam; vel ideo dicitur habere tria capita, quia gulositas et ebrietas tria bona humani generis devorat et consumit, scilicet personam, temporalia bona, et famam. Propter primum ait Salomon in Proverbiis: Propter crapulam multi perierunt, et qui abstinens est addiciet vitam. Propter secundum ait idem Salomon, eodem libro: Qui nutrit scortum perdit

substantiam suam. Propter tertium ait Seneca: Quosdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum. Vel ideo tria capita Cerberus habere dicitur, quia gulosorum affectus dividitur in tres partes: in qualitatem videlicet, quantitatem, et in quantum continuum. Appetitus enim qualitatis est affectare bonos cibos et non curare de quantitate. Appetitus autem quantitatis est affectare multos cibos et non curare de qualitate. Appetitus vero quanti continui potest dividi in duas partes, scilicet in quantum continuum et in quantum discretum. Quantum enim continuum est semper sive continue cibos querere, et circa ipsorum procurationem continue desudare et continue comedere. Quantum vero discretum est aliquando multum et aliquando parvum et procurare et comedere.

vv. 16-18

Li occhi à vermigli. Sex signa ponit hic autor in isto Cerbero propter VI mala que a vitio gule procedunt. Primo ponit quod habet oculos rubeos, ibi: «Li occhi ha vermigli»; et hoc quia gula et ebrietas oculos rubore conmaculant et interdum visum gulosorum extinguunt. Secundo ponit quod habet os brutali more perunctum, ibi: «la barba unta et atra». Et hoc quia gulosi turpiter et incomposite comedentes ora solent et barbam inficere cibo pingui, quare a continentibus peius quam stercora reputantur. Unde narrat Seneca quod Dyogenes philosophus, cum invitatus a quodam nobili viro fuisset, qui barbam et pectus habebat propter nimiam gulositatem cibis infectam, in faciem eius spuit, dicens se non vidisse in tota domo aliquid turpius in quo spuere posset. Tertio ponit quod habet ventrem largum et amplum, ibi: «il ventre à largo»; et hoc quia gulositas solum officio ventris intendit. De qua solicitudine ait Salomon: Sanguisuge due sunt filie dicentes affer affer. Nam gulositas admodum sanguisuge impleri non potest, quia uno ferculo devorato, ad aliud semper anelat. Quarto ponit quod habet manus ungulatas, ibi: «et unghiate le mani»; et hoc quia propter gulositatem homo aliquando efficitur rapax et raptor aliorum bonorum. Unde gula, ut manifeste videmus, multotiens parit furtum. Quinto ponit quod lacerat spiritus, ibi: «graffia li spiriti»; et hoc quia gulositas et ebrietas ad litem semper intendunt. Sexto ponit quod eosdem spiritus glutit, idest «ingoia et squatra»; et hoc quia gulosus et ebriosus famam et laudem bonorum denigrando consumit. Unde Psalmista: Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: iudica illos, Deus. Quanta vero mala peccatum gule homini inferat, beatus Augustinus ostendit, sic dicens: Gula per ebrietatem et crapulam aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, libidinem concitat, linguam involvit, sanguinem corrumpit, omnia membra debilitat, vitam diminuit, et omnem salutem exterminat.

vv. 34-36

Noi passavam su per l'ombre c'adona / la grave pioggia. Nota quod in duobus locis ponit autor in presenti cantica damnatas animas pedibus conculcasse. Primo hic, unde sequitur: «et ponavam le piante / sopra lor vanità». Secundo infra, cantu XXXII, circulo 9, prima parte Cociti, ibi: «se voler fu o destino o fortuna, / non so; ma, passegiando tra le teste, / forte percossi 'l piè nel viso ad una». Ubi est prudenter et sagaciter advertendum quod autor, gradiens per Infernum, in nulla parte animas calcat nisi animas gulosorum et proditorum; et hoc ad innuendum quod nulla peccata sunt ita vilia et abominabilia sicut ista. Nam peccatum gule est peccatum vile, immo vilissimum. Peccatum vero proditionis est peccatum non solum abominabile, sed etiam abominabilissimum. Primum enim facit hominem simillimum bestiis, et ideo vile. Secundum vero facit hominem similem dyabolo, et ideo abominabile. Et propter ista duo calcat animas gulosorum et proditorum, innuens atque monstrans quam sit vile, immo vilissimum, primum, et quam sit detestabile et abominabile secundum similiter reputandum.

Sopra lor vanità che par persona. Quia anima spiritus est, et quod spiritus est, corpus non est, ideo anima, cum non sit corpus, tangi non potest. Et ideo, licet autor animas gulosorum calcaret, nichil tamen sub pedibus invenire pronuntiat. Ideo ait in textu: «sopra lor vanità che par persona, ponavamo le piante». Anime enim ideo vane dicuntur quia tangi non possunt, licet aliquando videri possint.

vv. 40-42

Tu fosti, prima ch'io disfatto, fatto. Hoc est: Tu Dantes, primo fuisti natus quam ego mortuus, et ideo, quia te vidi in mundo, te modo hic in Inferno cognosco.

vv. 46-48

Ma dimmi chi tu se' che 'n sì dolente
luogo se' messo, et a sì facta pena,

che, s'altra è magio, nulla è sì spiacente.

Vult hic dicere autor quod, licet alia peccata sint maiora quam gula, tamen nullum est ita displicibile et ita vituperabile. Nam gula de homine rationali facit totaliter bestialem. Et hoc manifeste apparet in ira Dei, qua exarsit contra primos parentes, quando propter peccatum gule fecit eis tunicas pelliceas, dicens yronice: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Quasi diceret: Ecce Adam, qui Deo voluit similari, factus est velut animal brutum; et hoc demonstrat indumentum, quod consui super cutem suam.

vv. 52-54

Voi cittadini mi chiamasti Ciacco. Ciaccus, lingua tusca, <porcum> sonat. Nam gulosus per peccatum gule porci actibus similatur. Porcus enim, secundum beatum Ysidorum, dicitur quasi spurcus, quia spurcitiis utitur; sic gulosi, cum omnia velint munda in mensa sua, ipsi solum sunt inmundissimi. Unde beatus Tadeus in epistula sua: Hii sunt in epulis suis macule convivantes sine timore; et vere macule, quia ex delicatis cibariis et potibus magis ceteris maculantur. Porcus, postquam furfure et fece ventrem impleverit, luto se immergit. Sic gulosus, post vitium crapule, currit ad vitium luxurie. Unde beatus Petrus in epistula sua: Sus lota involutabro luti. Item porcus locum fedat ubi habitat; sic gulosi per vomitum se deturpant et statim ad illum redeunt, dum semper ad gule ingluviem properant et festinant; et in hoc similantur cani, de quibus idem Apostolus: Canis reversus ad vomitum suum. Item porcus est piger, tardus et nunquam laborat, cum cetera animalia suo more laborent. Sic gulosi sunt tardi et pigri. De quibus Paulus ad Titum: Cretenses male bestie, ventres pigri. Item gulosi multum dormiunt et iacent, unde requiescunt cum Moab in fecibus suis, ut habetur Ieremie XLVIII capitulo. Preterea Adam positus fuit in paradiso ut operaretur. Sed quia prius comedit quam aliquid operis fecerit, a loco delitiarum deiectus est, quia teste Apostolo: Qui non laborat non manducet. Item porcus comedit glandes sub quercu, sed unde cibus veniat non attendit. Sic gulosi cibum devorant, sed gratiam largitori non reddunt. Contra quos dicitur Deuteronomii LXVI; Adorato Domino tuo, epulaberis in omnibus bonis que Dominus Deus tuus dedit tibi. Et est mirabile de gulositate miserrimi hominis, qui prius alimenta expetit quam laboret, vel Deo laudes exsolvat, cum non sit tam parve avicula in silva que non prius cantet laudes Deo quam de ramis descendat et ad cibum intendat. Item, cum porcus fuerit bene inpinguatus tunc occiditur; sic gulosus incrassatus ferculum fit Inferni. Hoc figurat Agag pinguissimus et tremens qui in frustra concisus est a Samuele in Galgalis, ut in libro Regum habetur. Agag enim interpretatur solennis festivitas, et bene gulosos significat qui festum ventris querunt cum fame mentis, quia ab omni spirituali cibo ieiuni semper existunt. Merito igitur iste gulosus qui hic ponitur ab autore Ciaccus a suis civibus est vocatus. Unde ipse met ait:
Voi cittadini mi chiamasti Ciacco:

Sequitur:

per la dannosa colpa de la gola,

come tu vedi, a la piogia mi fiacco.

Circa peccatum gule quatuor utiliter investigare valemus: Primo, quid sit peccatum gule; secundo, quot sunt speties eius; tertio, quot modis in gula peccatur; quarto, quid facere debemus dum comedimus ne in peccatum gule cadamus. Circa primum sciendum est quod gula est immoderatus edendi et bibendi appetitus. Vel aliter: gula est immoderata qualiumcunque ciborum hyantis concupiscentie satisfactio. Et ideo, quia modum et mensuram non habet, merito ab autore damnosa culpa vocatur. Tauri enim, secundum beatum Ieronimum, paucorum iugerum pascuis aluntur; una silva pluribus elefantis sufficit. Homo vero mari et terra satiari non potest. Nam, ut manifeste videmus, omnes pisces maris, fluviorum, lacuum, et stagnorum, omnes volucres aeris, omnes bestias agri, omnes feras silvarum, omnes herbas et fructus terre et quicquit terra alimentorum gignit, gula hominis vorat pariter et consumit. Circa secundum nota quod sex sunt gule speties: Prima speties est ebrietas; et est ebrietas, ut dicit beatus Ambrosius, vile sepulcrum rationis, et subdit: Quid enim aliud est quam spontaneus furor? Cum quo concordat Seneca dicens: Ebrietas est voluntaria insania. Patet ergo per istas diffinitiones quod ebrietas tollit de anima ymaginem Dei, que rationali potentie est impressa, aufert usum rationis et infatuat eam, et ideo hominem assimilat bestiis, ut nec discretionem habeat nec verecundiam. Ecclesiastes 3°. Ostendit Dominus de filiis

hominum quod similes sunt bestiis. Secunda speties gule est mentis ebetudo, quia gula tollit acumen ingenii, quia ex multa fumositate cerebrum perturbat. Ieronimus, in libro de vita et honestate clericorum: Venter pinguis non gignit tenuem sensum. Tertia speties est voracitas, que transit mensuram edendi, et modum quem in se ipso reprehendit; Ecclesiastes VII: Quis ita vorabit et delitiis affluet ut ego, sed qui devorant devorabuntur, secundum Ieremiam XXX; quoniam illorum finis est infernalis vorago. Quarta speties est languor, idest humorum distemperantia ex superfluitate proveniens, quia in multis escis non deerit infirmitas, ut habetur Ecclesiastici XXXVIII. Et poeta: Languorem peperit cibus imperfectus ab herculis ardentis stomaco. Quinta speties est oblivio, que est preteritorum immemoratio. Gulosus enim et ebriosus multotiens nescit vespere quid fecit in mane. Genesis XL: Pincerna pharaonis oblitus est interpretis sui. Sexta speties est crapula, que est ciborum indigestio vel eorundem deiectio. Secundum enim Ysidorum XX libro Ethymologiarum: Crapula est immoderata voracitas, quasi cruda epula, cuius cruditate gravatur cor, et stomacus indigestus efficitur. Unde ex ipsa crapula multi infirmantur et moriuntur. Ecclesiastici XXXVII: Propter crapulam multi perierunt, et qui abstinens est adiciet vitam. Plures enim occidit cibus et potus quam gladius, secundum Almansorem. In huius figura dicit autor in textu de gulosis:
Urlar li fa la piogia come cani;
de l'un de' lati fanno a l'altro schermo;
volgonsi spesso i miseri profani.

Nam ex istis spetiebus gule consequuntur homines viscerum tortiones et membrorum dolores, unde sequuntur dolorosi clamores. Circa tertium nota quod in peccatum gule V modis incurrimus, quos ponit beatus Gregorius in Moralibus, quique in hoc versu comprehenduntur: «Prepropere, laute, nimis, ardenter, studiose». Primus modus est horam prandendi prevenire; ideo dicit prepropere. Unde Ionatas, filius regis Saulis, sententiam mortis meruit, quia gustavit mel ante tempus constitutum edendi. Ideo Ecclesiastes X: Ve terre cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt. Terra est ipse homo, cuius rex est ipsa ratio. Principes vero eius sunt V sensus, qui voluptatem suggerunt, et necessitati intendunt, ut dicit Gregorius. Secundus modus est cum quis delicate cibaria querit. Ideo dicit laute: Hoc modo peccavit dives epulo, qui epulabatur quotidie splendide, ut habetur Luce XVI. E contra dicit Seneca: Palatum tuum fames excitet, non sapores. Tertius modus est cibi nimietas. Ideo dicit nimis. Hoc vitio Sodoma maculata fuit, de qua dicitur Ezechielis XVI: Hec fuit iniquitas Sodome, saturitas panis et otium. Ubi dicit Gregorius: Sodoma salutem perdidit, quia cum superbie vitio mensuram moderate refectionis excessit. Ieronimus: Pluvia illa oportuna est, que sensim descendit. Subitus autem et nimis preceps hymber terram subvertit, et similiter nimius potus nocet. Quartus modus est aviditas comedendi; ideo dicit ardenter. Hoc redarguitur in Exau, qui pre fame se iam morientem reputavit dicens, ut habetur Genesis 69: En morior. Gregorius: Exau primogenitorum gloriam perdidit quia magno estu lenticulam concupivit. Contra quod dicitur Ecclesiastici XXXVI: Noli esse avidus in omni epulione. Quintus modus est studiositas, que pertinet ad solicitudinem et curiositatem cibos preparandi. Ideo dicit studiose. Pro quo peccato redarguunt filii Heli, qui ut habetur primo Regum VII: Carnem crudam rapiebant a populo ut eam sibi delicatius prepararent. De tali studio dicit beatus Ysidorus: Tota die epulas ruminant, qui ad explendam gulam vespere delitias parant. Et sic patet tertium. Circa vero quartum et ultimum est sciendum quod XV nos habere oportet in mensa si in gula peccare nolimus. Que in his versibus continentur:

Sit timor in dapibus, benedictio, lectio, tempus,

Sermo brevis, vultus hillaris, pars detur egenis,

Absint delitie, detractio, crapula, murmur,

Ebrietas, nimius affectus, et hystrionatus,

Finitoque cibo reddatur gratia Christo.

Ista XV autoritate sunt Sacre Pagine fulcienda. De primo Ecclesiastici 9: In timore Dei sint tibi et convivia. De secundo habetur in Evangelio: Benedixit et fregit. De tertio, Gregorius super Iob, primo, ubi Iob oravit pro filiis suis convivantibus, ait: Semper solet epulas comitari loquacitas et voluptas. Ideo contra loquacitatem est silentium, contra voluptatem vero lectio, que docet abstinentiam. De quarto admonemur in Actibus Apostolorum: Oram prandii non prevenire; intellige absque necessitate. De V ait Cato: Pauca in convivio loquere. De VI ait Paulus ad Corinthios 9°: Hyllarem datorem diligit Deus. Et Ovidius: Super omnia vultus accessere boni. De VII, Esdre VIII: Comedite pinguia et bibite vinum et mittite partes eis qui non habent. De VIII, Ecclesiastes X: Vescendum est ad reficiendum non ad luxuriandum. De VIIII ait Augustinus:
Si quis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.
De X, Luce XXI: Attendite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate. De XI, Ecclesiastici tertio: In nequissimo pane murmurabit civitas. De XII, Paulus ad Effeser, V: Nolite inebriari vino in quo est luxuria. De XIII, Ecclesiastici XXXVIII: Non te effundas super omnem escam. De XIIII, Esodi XXXVII: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, idest ydolum adorare. Nam hystriones pascere vel ystrioniter vivere est demonibus immolare. Ieronimus: Paria sunt demonibus sacrificare et hystrionibus dare. De XV vero et ultimo, habetur in Psalmo: Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, etc. Et sic patent quatuor superius requisita. Sed quia dubitabile est an liceat convivare propter peccatum gule, sciendum quod quatuor de causis convivia fiunt. Prima est causa misericordie; secunda causa benivolentie; tertia causa mercimonii; quarta causa lascivie. Circa primum nota quod convivia fiunt aliquando causa misericordie, et de hoc habetur Luce quarto: Cum facis prandium voca pauperes, claudos, et debiles, et tale convivium tunc est meritorium vite eterne. Unde sequitur in autoritate premissa et habebis mercedem in celo. Circa secundum nota quod convivia aliquando fiunt causa benivolentie amicorum, scilicet cum quando invitat quis amicos et parentes, et tunc tale convivium, si fiat causa amicitie vel parentele, est indifferens. Si autem fiat propter pacem et concordiam, tunc est meritorium, ut dicit Augustinus super epistulam ad Corinthos. Circa tertium nota quod convivia aliquando fiunt causa mercimonii, ut homo sic remuneretur, et tunc est indifferens, sicut Balthassar, rex Babillonie, fecit convivium optimatibus suis, ut habetur Danielis V. Circa quartum vero et ultimum nota quod convivia aliquando fiunt causa lascivie, ut mali vitia sua et loquantur et expleant; tale convivium meritorium est pene eterne. Ideo monet Salomon in Proverbiis: Noli esse in conviviis potatorum nec in commessationibus eorum qui carnes conferunt ad vescendum. Glosa: Illi carnes conferunt ad vescendum qui in conviviis conferunt vitia proximorum.

vv. 58-75

I' li risposi; «Ciacco, il tuo affanno
mi pesa sì, c'a lagrimar mi 'nvita;
ma dimmi, se tu sai, a che verranno

Usque ibi:

le tre faville c'ànno i cuori accesi».

Istum Ciaccum, licet fuerit gulosus, tamen, quia sapiens homo fuit, autor de quibusdam secretis ac etiam futuris interrogat, et maxime de tribus. Sed ante benivolentiam eius captat, ibi: «il tuo affanno mi pesa sì», etc. Primo enim querit ad quid devenient Florentini, ibi: «ma dimmi, se tu sai, a che verranno / li cittadini de la città partita». Secundo querit si in Florentia, illo scilicet tempore quo ita erat divisa, posset iustus aliquis inveniri, ibi: «s'alcun v'è giusto». Tertio querit que est causa tante divisionis et discordie inter cives, ibi: «et dimmi la cagione / perchè l'à tanto discordia assalita». Ad primum ait autori Ciaccus quod post longam altercationem venient ad sanguinem, ibi: «Dopo lunga tencione / verranno al sangue». Et postquam inter se sanguinem fuderint, una pars ab alia expelletur, ibi «e la parte salvagia / caccerà l'altra con molta offensione». Que clausula sic intelligi debet: In civitate enim Florentina erant tunc temporis due partes: una vocabatur pars Alborum, secunda vero dicebatur pars Nigrorum. Primam partem, scilicet Albam, vocat autor partem silvestrem, et hoc quia erant novi, non antiqui cives; nam Circuli, qui erant caput istius partis, noviter de comitatu venerant, et cives effecti erant. Unde autor infra, tertia cantica, XVI cantu, loquens de Circulis ait: «sarìan sì i Cerchi nel pivier d'Acone». Aliam vero partem per oppositum vocat partem utriusque partis civitatem intravit, Albos deiecit et Nigros erexit. Ideo ait autor in textu: «Poi appresso convien che questa cagia / infra tre soli», idest infra trium annorum spatium, «et che l'altra», idest pars Nigrorum, «sormonti», idest ascendat, «con la forza di tal che testè piaggia». Postea sequitur:
Alte terrà lungo tempo le fronti,
tenendo l'altra sotto gravi pesi,
Hoc est dicere, ista pars Nigrorum per longum tempus regnabit, tenendo frontes erectas more regnantium, et aliam partem, scilicet Alborum, tenebit pondere gravi depressam tanquam omnino devictam, dato quod exinde dedigneris et plores; et hoc dicit quia ipse erat de parte Alborum, que fuit postea una cum ipso pariter expugnata. Ad secundam vero interrogationem dicit quod in civitate Florentie non sunt nisi duo iusti, ibi: «Iusti son due, ma non vi sono intesi»; quorum nomina non declarat. Sed nos istos duos iustos intelligere possumus primum Dantem, autorem istius altissime et profundissime Comedie, secundum vero Guidonem de Cavalcantibus: qui duo soli illo tempore, quo civitas Florentie fuit intus et extra bellis conquassata civilibus, iusti et amatores patrie sunt reperti, et rei publice defensores. Quorum primus, propter ingratitudinem et alia peccata que in civitate Florentina vigebant, fuit, prout superius annotatur, expulsus, et alter immatura morte preventus. Ad tertiam autem interrogationem dicit quod tria peccata, que vigent et regnant in Florentia, sunt causa et materia sue divisionis: Primum peccatum est superbia, secundum invidia, tertium vero avaritia. Ista enim tria peccata corda Florentinorum, velut tres facule ardentissime, succenderunt. Unde ait autor in textu: «superbia, invidia et avaritia sono / le tre faville c'ànno i cuori accesi».

vv. 76-84

Farinata et Teghiaio. Postquam autor de quibusdam futuris atque secretis fuit certificatus a Ciacco, adhuc eum interrogat, volens de statu quorundam nobilium certitudinem obtinere, qui eiusdem civitatis fuerunt, utrum sint damnati vel salvati. Ideo ait in textu:
«Ancor vo' che m'insegni,
et che di più parlar mi facci dono,
Farinata et Teghiaio, che fur sì degni,
Iacopo Rusticucci, Arrigo e 'l Mosca,
et li altri c'a ben far puoser li 'ngegni,
dimmi ove sono, etc.».
Cui respondens Ciaccus ait ipsos esse damnatos, ibi: «Ei son tra l'anime più nere». Et quia fuerunt culpis gravioribus onerati, ideo magis ad infima sunt retrusi. Ideo ait in textu: «diverse colpe giù li grav'al fondo: / se tanto scendi», etc. Diversas culpas ideo dicit, quia non uniformiter, sed diversimode sunt damnati. Postquam vero Ciaccus autorem de eo quod petiit certum fecit, dicit quod si ad yma descenderit, eos poterit invenire, ibi: «se tanto scendi, là i potrai vedere».

vv. 94-99

Lo buon maestro a me: «Più non si desta
di qua dal suon de l'angelica tromba,
quando vedrà la nimica podesta»:

Hic respondet Virgilius uni tacite questioni. Posset queri: Isti qui sunt sub tali tempestate damnati, nunquit ad aliqualem eorum recreationem vel pene mitigationem valent se erigere vel movere? Cui respondet Virgilius quod hinc ad diem iudicii nullus potest caput vel aliquod membrum de tali tempestate levare. Et confitetur hic Virgilius resurrectionem mortuorum cum Paulo Apostolo qui ait: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba et mortui resurgent. Ideo ait in textu: «di qua dal suon de l'angelica tromba». Michael enim Arcangelus tubam debet tam terribiliter personare, quod ad suum sonum omnes mortuos excitabit, et tunc anima quelibet induet suum corpus. Ideo ait in textu:

ciascun rivederà la trista tomba,
ripillierà sua carne et sua figura,
etc.

vv. 100-102

Sì trapassammo per sozza mixtura
de l'ombre et de la piogia,
etc.

Hoc est dicere, sic videndo et sic loquendo transivimus per turpem animarum mixturam et pluvie. Nam iste tertius circulus est mixtus et compositus ex duobus, scilicet ex animabus gulosorum et terribili tempestate, ibi ab alto continue descendente.

vv. 112-115

Noi agirammo a tondo quella strada,
parlando più assai ch'i' non ridico;
venimmo al punto dove si digrada;
quivi trovammo Pluto, il gran nimico.

Hic finit tertius circulus. In isto cantu continentur una comparatio, unum vaticinium, una questio, et duo notabilia. Sed quia vaticinium iam est superius explicatum, ideo ad alia breviter transeamus.

[Comparatio]

vv. 28-30

PRIMA COMPARATIO.

Qual è quel cane c'abaiando agogna,
etc.

Volens autor demonstrare quomodo et qualiter quieverunt latratus illi terribiles quos Cerberus super animas damnatas emittit et tam magis super eum emisit, dicit quod quemadmodum canis, dum latrat, si proiciatur in os eius aliquod frustrum panis, statim quietatur, intendens solummodo ad cibum quem dentibus conterit devorandum, sic Cerberus, postquam Virgilius terram in eius ora proiecit, statim siluit a latratu. Per hoc innuens quod gulosus nisi proiectum fuerit aliquid in os eius, ut ait Propheta, sanctificat super eos bellum.

[Questio]

vv. 103-111

QUESTIO.

Peragrans autor regiones Inferni, et audiens a magistro quod omnes sunt surrecturi et carnem propriam assumpturi, interrogat eum dicens: «Dic, queso, magister, ista tormenta que video, nunquid post magnam ultimi diei sententiam augmentabuntur, an minorabuntur, an erunt ita quoquentia sicut modo»? Cui ait Virgilius: «Revertere ad tuam scientiam naturalem, que vult quod quanto res est magis perfecta, tanto magis bonum sentiat similiter et dolorem». Quasi dicat: Anima per se sola non est perfecta nisi suo corpori, quod est suum perfectibile, coniungatur. Cum itaque homines post generalem resurrectionem in anima et corpore remunerabuntur et punientur, manifestum est quod, quanto maiorem perfectionem habebunt, tanto beate anime maiorem gloriam obtinebunt, et damnate maiorem penam similiter sustinebunt. Ideo ait in textu:
«Ritorna a tua scienza,
che vuol, quanto la cosa è più perfecta,
più senta 'l bene, et così la doglienza.

Postea sequitur:

Tutto che questa gente maledetta

in vera perfection giammai non vada,

di là più che di qua esser aspecta».

In quibus verbis respondet Virgilius duabus questionibus que fieri possunt. Prima est talis: Tu dixisti superius quod quanto res est magis perfecta, tanto magis sentit bonum et malum. Sed cum perfectio sit optimum quid, et in Inferno non sit aliquod bonum nedum optimum, qualis erit ista perfectio in damnatis? Respondeo: Duplex est perfectio in corporibus suscitatis: una qua corpus ab anima animatur; altera qua a corpore suscitato omnis defectus penitus resecatur. Primam perfectionem habebunt anime damnatorum quando cum suis corporibus coniugentur. Secundam vero anime beatorum quando ab eis omnis defectus protinus abscidetur, iuxta illud versus: Non esurient neque sitient amplius, et non cadet super illos sol neque ullus estus, quin priora transierunt. Et ideo primo non est vera perfectio, de qua ait Apostolus: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Ideo ait in textu:

Tutto che questa gente maledecta

in vera perfection giammai non vada.

Secunda vero questio potest esse talis: Quod est maius spatium temporis, an illud quo anime sunt a corporibus separate, an illud quo erunt cum eisdem corporibus reconiuncte. Et respondet cum fide catholica Mantuanus, quod spatium illud quo anime stant a corporibus separate durabit usque ad diem iudicii. Illud vero spatium quo anime erunt cum corporibus reconiuncte erit interminabile, quia per infinita secula seculorum. Ideo ait: «di là più che di qua esser aspecta», idest anime expectant maius esse post diem iudicii quam ante. Et hoc esse quod expectant potest dupliciter intelligi: primo quantum ad esse persone, quia erunt in anima simul et corpore, nunc autem sunt solum in anima; secundo quantum ad esse temporis, quia illud tempus erit interminabile; istud vero est terminabile.

[Notabilia]

vv. 43-45

PRIMUM NOTABILE.

L'angoscia che tu ài
forse ti tira for de la mia mente,
sì che non par ch'i' ti vedesse mai.
In hoc notabili evidenter apparet quomodo angustie deformant hominem a statu pristino consueto in tantum quod dum videtur a notis recognosci non potest.

vv. 46-48

SECUNDUM NOTABILE.

Ma dimmi chi tu se' che 'n sì dolente
luogo se' messa, et a sì fatta pena,
che s'altra è maggio, nulla è sì spiacente.

In hoc notabili demonstratur quantum sit vile et displicibile gule peccatum, quia licet alia vitia sint maiora, nullum tamen reddit hominem ita vilem. Et ideo Seneca: Quosdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum.

Et sic patet sextus cantus prime cantice.

VII

[Incipit]

INCIPIT VII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto cantu autor descendit in quartum circulum, et incipit quartus circulus ibi: «Noi discendemo ne la quarta lacca»; et finit ibi: «Or discendiamo omai a magior pieta». Ubi tractat de peccato avaritie et prodigalitatis, et de pena que prodigis competit et avaris; que pena est continua revolutio ante et retro magnorum ponderum et saxorum.

[Deductio]

vv. 1-108

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

In superiori nanque cantu autor prosecutus est de gulosis et in fine ponit quod, illo tertio circulo pertractato, venit ad punctum ubi descenditur; et in illo descensu, hoc est in introitu quarti circuli, Plutonem invenit, quem vocat maximum inimicum, supple generis humani. Ideo ait in textu:
venimo al punto dove si digrada:
quivi trovamo Pluto, il gran nimico.

Nunc vero in isto VII cantu dicit quod iste Pluto, dum ipse autor in quartum circulum introiret, ad imperatorem Inferni voce fracta clamavit dicens: *Pape Satàn, pape Satàn aleph*! Tunc Virgilius autorem ne timeret dulciter confortavit dicens: «Non tibi noceat timor tuus, quia potestas istius, licet sit magna, non tamen impedimentum prestabit quin istam ripam descendere possis». Postquam vero magister discipulum confortavit, se volvit ad illum dicens: «Tace, maledicte lupe, et cum tua rabie interius te consuma; non enim sine causa per nos ad yma descenditur». Et statim respondet tacite questioni: Poterat enim dicere Pluto: De cuius licentia vos itis ad yma? Et ille: De licentia certe illius altissime voluntatis que habitat in illo loco in quo Michael fecit vindictam de strupo illo superbo; idest primo angelo qui tunc strupum commisit quando divinam potentiam affectavit. Et nota quod in nulla parte Inferni Deus simpliciter nominatur; et iste est mos omnium poetarum, Deum cum damnatis nullatenus nominare. Unde Statius, VIII Thebaydos: Testor inane chaos – quid enim iurandus Apollo? Audiens autem Pluto rationem quam Virgilius assignavit, ad terram taliter est prostratus qualiter vela navium fracto mali gubernaculo presternuntur, et

tunc secure in quartum circulum descenderunt. Ubi dicit autor se invenisse maximam gentium multitudinem, que una contra aliam magna saxa volvebant. Et videbatur ipsi autori quod omnes de isto circulo qui erant ad sinistram suam essent clerici, propter quod ait ad Virgilium: «Dic michi magister, que gens est ista et si fuerunt clerici omnes isti quos hic cernimus a sinistra». Et Virgilius ad eum dicit quod omnes fuerunt clerici, peccato quidem duplici maculati, avaritia scilicet et prodigalitate. Sed postquam istum quartum circulum peragrassent, penam avarorum mentaliter contemplando, et de fortuna que temporalia bona commutat diutius disputando, ad unum fontem turbidum devenerunt; qui quidem fons per unum fossatum ad yma descendit, et in quadam planitie requiescit. Et tunc ista aqua efficitur quedam palus, in cuius medio est quedam civitas infernalis que Ditis ab omnibus antiquis sapientibus nuncupatur. Sed antequam istam paludem, que Ditis circuit civitatem, autor intrasset, dicit quod circuerunt aliquantulum dicte paludis ripam. Ideo ait in textu:

Così girammo de la lorda pozza

grand'arco, tra la ripa secca e 'l mezzo,

con li occhi volti a chi del fango ingozza.

Venim'al piè d'una torre al da sezzo.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

«Pape Satàn, pape Satàn aleppe!» / cominciò Pluto. In isto circulo in quo peccatum avaritie condemnatur, autor ponit Plutonem tanquam episcopum avarorum. Interpretatur enim Pluto <terra>, sive <divitie>. Unde beatus Ysidorus, VIII libro Ethymologiarum ait: *Pluto* grece, latine <Diespiter> vel <*Ditis* pater>, quem alii Orcum vocant, quasi receptorem mortium. Ab antiquis autem poetis presul vocabatur terrarum. Et ideo autor sub istius episcopatu ponit et subicit clericos et laycos prodigos et avaros. Qui quidem Pluto, dum vidit ad considerationem sui regni hominem descendere sapientem, videns suum iter impedire non posse, tria breviter facit: Nam primo miratur et expavescit; secundo dolet et contristatur; tertio auxilium maioris implorat. Quod miratus et pavore plenus fuerit patet per illud verbum quod protulit, <Pape>, quod quidem verbum est interiectio admirantis. Quod doluerit et contristatus fuerit patet per illud aliud verbum cum dixit <aleph>. Aleph enim interiectio est dolentis, que tantum sonat aput Hebreos quantum *A* aput Latinos. Nam in omni alfabeto cuiuscunque lingue prima lictera est *A*, quam Hebrei dicunt *aleph*, et Greci *alpha*, et in omni lingua interiectio est dolentis. Quod vero auxilium maioris clamaverit, patet quia Luciferum imperatorem Inferni in auxilium sui voce fracta clamavit, cum dixit: «Sathàn, Sathàn».

Con la voce chioccia. Nota hic duo pulcra moralia: Primum est quod, non valens Pluto in suo episcopatu impedire autorem, autoritatem sui maioris implorat; quemadmodum episcopi nostri ea que ipsi non possunt ad Dominum Papam significant, quia ipsi de minoribus et ipse habet de maioribus iudicare. Secundum est quod Pluto, dum clamare voluit, non alta voce sed fracta clamavit. Et hoc est ad derisionem prelatorum nostrorum qui, statim quod sunt facti episcopi, dum cantant missas habent voces debiles atque fractas admodum campane, que dum est fracta non clare sonat. Ideo ait in textu: «*con la voce chioccia*».

vv. 22-24

Come fa l'onda là sovra Caribdi. In mari nanque Sicilie sunt duo marina pericula, unum quod vocatur Caribdis, alterum vero Sylla. Et est Caribdis dicta quasi <*carinas abdens*>, eo quod gurgitibus occultis naves absorbet et glutit. Nam ibi mare voraginosum existit et quasi reflexum in se et tortuosum, et ideo naves inde transeuntes in se attrait et deglutit. Ter in die fluctus eicit et ter sorbet. Nam aquas accipit ut evomat, vomit ut sursum eiciat, ut dicit Ysidorus. Et Ovidius: Evomit et potat dira Caribdis aquas. Unde Caribdis causatur ex repercussione aquarum ad invicem coeuntium, que tunc in celum ascendere videntur; dum vero retrocedunt, videntur descendere in abyssum. Silla enim est ingens saxum in mari Sicilie eminens, habens multa promuntoria sive capita ad que collisi fluctus horrendum strepitum faciunt. Unde fabulose canes ibi latrare dicuntur. Ovidius: Silla rapax canibus Siculo latrare profundo. Cui naves casu aliquo inpingentes, a naufragio non evadunt. Ista autem duo pericula sunt navibus et navigatoribus inimica, nam dum naute unum vitare cupiunt, in aliud sepius impelluntur. Iuxta illud: Incidit in Sillam cupiens vitare Caribdim. Exemplificat itaque autor et dicit quod quemadmodum in Caribdi una aqua cum alia frangitur, sic illa gens avarorum et prodigorum, dum una contra aliam saxa volvit, ex percussionibus retrocedit.

vv. 25-27

Qui vid'i' gente più c'altrove troppa. Nota quod de nullo peccato dicit autor tantam multitudinem in Inferno vidisse, quantam vidit in isto circulo de multitudine avarorum. Et hoc quia iuxta Prophetam, a maiore usque ad minorem omnes avaritie student.

vv. 46-48

Piloso al capo papi et cardinali. Cum omnes clerici habeant capita rasa, quare ponit autor quod pape et cardinales capita pilosa habeant? Respondeo: Capilli enim, qui sunt superfluitates corporis, divitias et bona temporalia prefigurant. Et quia clerici debent a se avaritiam et amorem pecunie removere, ideo capita rasa gerunt; et quia clericis secularibus sunt possessiones concesse, ideo concessum est eis longiores portare capillos quam religiosis, quibus nichil conceditur possidere. Habent igitur omnes clerici capita pilosa, quia omnes bona temporalia avare desiderant, avare procurant, avare tenent, avare dispergunt, et avare dimittunt.

vv. 55-57

In eterno verranno a li due cozzi. Hic dogmatizat Virgilius penam Inferni esse eternam, et subdit quod omnes avari clauso pugillo de sepulcro resurgent. Unde dicit in textu: «Questi surgeranno del sepulcro / col pugno chiuso». Et hoc quia avare bona temporalia clauserunt in hac vita, et ideo in alia vita nichil poterunt de eo quod congregarunt penitus invenire. Unde Psalmista: Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea, quia relinquent alienis divitias suas; et sepulcra illorum que sunt omnino vacua, domus illorum in eternum. Et iterum: Nichil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Et questi con i crini mozzi. Hic tangit clericos prodigos et avaros qui capitibus rasis in derisionem eorum de sepulcro in resurrectione generali resurgent: et sic implebitur illa cominatio quam facit eis Dominus per Prophetam dicens: In die illa decalvabit Dominus verticem filiarum Syon, idest animas clericorum qui debent super populum cura solicita vigilare. Nam Syon specula interpretatur, et signat ecclesiam, in qua tanquam in specula ponuntur clerici ut super populum vigilent et ipsum custodiant et defendant.

vv. 58-60

Mal dare et mal tener lo mondo pulcro. Hic autor tractat de duobus vitiis sibi invicem oppositis, de avaritia videlicet et prodigalitate: circa que tria breviter videamus. Et primo, utrum ista vitia sunt opposita; secundo, de ipsis vitiis; tertio, quid istorum gravius iudicatur. Circa primum sequamur sanctum Thomam doctorem. Queritur enim, secundum eundem, utrum prodigalitas et avaritia opponantur, et videtur quod non; triplici argumento. Primum enim tale est: Opposita enim non possunt esse simul in eodem, sed aliqui sunt simul prodigi et liberales; ergo prodigalitas non opponitur avaritie. Preterea, opposita sunt circa idem; sed avaritia, secundum quod opponitur liberalitati, est circa passiones quasdam quibus homo afficitur ad pecuniam; prodigalitas autem non videtur esse circa aliquas anime passiones; non enim afficitur circa pecunias nec circa aliquid aliud huius; non ergo prodigalitas opponitur avaritie. Preterea, peccatum principaliter recipit spetiem a fine; sed prodigalitas semper videtur ordinari ad aliquem finem illicitum, propter quem bona sua expendit, et precipue propter voluptates. Unde et Luce XV dicitur de filio prodigo quod dissipavit substantiam suam luxuriose vivendo. Ergo videtur quod prodigalitas opponatur magis temperantie

et insensibilitati quam avaritie et illiberalitati. Sed contra est quod Philosophus in secundo et quarto Ethycorum ponit, prodigalitatem oppositam liberalitati et illiberalitati, quam nunc avaritiam dicimus. Respondeo dicendum quod in moralibus attenditur oppositio vitiorum ad invicem et ad virtutem secundum superabundantiam et defectum diversimode. Nam in affectione divitiarum avarus superabundat plus debito eas diligens; prodigus autem deficit minus debito earum solicitudinem gerens. Circa exteriora vero, ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo et acquirendo; ad avaritiam autem pertinet, e contrario, deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiendo et retinendo. Unde patet quod prodigalitas avaritie opponitur. Ad primum ergo dicendum quod prodigalitas attenditur circa passiones pecunie, non sicut abundans in eis, sed sicut deficiens. Ad secundum dicendum quod nichil prohibet eidem in esse opposita secundum diversa; ab illo tamen aliquid magis denominatur quod est principalius. Sicut autem in liberalitate, que medium tenet, precipua est datio, ad quam acceptio et retentio ordinantur, ita etiam avaritia et prodigalitas precipue attenduntur secundum dationem. Unde ille qui superabundat in dando vocatur prodigus, qui autem deficit in dando, qui tamen non excedit in accipiendo, ut Philosophus dicit in quarto Ethicorum. Similiter etiam contingit quod aliquis excedat in dando, et ex hoc est prodigus, et simul cum hoc excedat in accipiendo; vel ex quadam necessitate, quia dum superabundant in dando, deficiunt eis propria bona, unde coguntur in debite acquirere, quod pertinet ad avaritiam; vel etiam propter animi inordinationem, dum enim non dant propter bonum, quia, contempta virtute, non curant undecumque et qualitercumque accipiant. Et sic enim secundum istud sunt prodigi et avari. Ad tertium dicendum quod prodigus non semper abundat in dando propter voluptates, circa quas est intemperantia; sed quandoque quidem ex eo quod taliter est dispositus ut divitias non curet, quandoque autem propter aliquid aliud, ut frequentius tamen temperantias declinant. Tamen, quia ex quo superflue expendunt in aliis, etiam in rebus voluptuosis expendere non verentur, ad quas magis inclinat concupiscentia carnis; tunc etiam, quia non delectantur in bono virtutis, querunt sibi delectationes corporales, et inde est quod Philosophus dicit in quarto Ethycorum, quod multi prodigorum fiunt intemperati.

Circa secundum, primo videamus de avaritia, secundo de prodigalitate. Circa vero avaritiam tria summarie videamus: primo, ipsius diffinitionem; secundo, ipsius dannificationem; tertio, ipsius parturitionem. Quantum ad primum, taliter avaritia diffinitur: Est enim avaritia, secundum Augustinum De Civitate Dei, immoderata libido habendi. Secundum vero theologos, avaritia est multa perquirere et superflua pauperibus non erogare. Secundum autem Philosophum, avaritia est glorie sive quarumlibet rerum insatiabilis et inhonesta cupido. Et dicitur <avarus> quasi <eris>, vel <auri cupidus>. Non est enim avaritia auri vitium, sed hominis perverse amantis illud, ut XIII De Civitate Dei dicit Augustinus. Vel avaritia dicitur ab *a* quod est <sine>, et *varex*, quod est nervus in poplice, qui succisus facit claudicare; et avaritia facit hominem claudum ad celestia et curvum ad terrena: *Abacuch* tertio: Incurvati sunt colles mundi, idest divites, superbi ab itineribus eternitatis eius, quia non procedunt ad ullas divitias future beatitudinis. Quantum vero ad secundum, nota quod avaritia iniuriatur Deo, ledit suum subiectum, et defraudat proximum. Iniuriatur enim Deo, quia aufert ei summum amorem, debitum honorem, et divinam ordinationem. Primo, aufert sibi summum amorem, qui sibi debetur a creatura rationali, quia cum Deus sit summe bonus, summe est ab homine diligendus; bonitas quidem est causa amoris summi, et summa bonitas est causa summi amoris. Ideo Deus summe diligendus est. Unde *Mathei* XXII precipitur: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua et ex tota mente tua. Quam autoritatem sic exponit Augustinus: Ex tota anima, idest ex tota voluntate, sine contradictione; ex tota mente, idest ex tota memoria sine oblivione. Hec omnia aufert avarus Deo et convertit in terram: ideo in celo nullum habet premium. Ieronimus: Rogo quo pudore mercedem laboris vel obsequii speret in celo cui in terra orta fuit solicitudo. Secundo, aufert Deo summum honorem, scilicet latriam que est servitus Deo debita a sua creatura, et facit eos aureos et argenteos contra legem; *Exodi* XX. Unde merito ipsa avaritia ydolatria appellatur, *Ad Effeser* V: Avaritia que est ydolorum servitus. Et poeta: Quod quis colit et veneratur, hoc illi deus est. Tertio, avaritia nititur pervertere divinam ordinationem. Deus enim ordinavit sursum celum et terram deorsum, sed avaritia preponit terram celo et lutum stellis. Materia nempe auri et argenti lutum est, ut dicit Philosophus. Cum ipsa terra sit sex elementorum lutum, eius est aurum et argentum. Fit etiam aurum per artificium ex stercoribus quorundam animalium; unde anime recte disposite procul abiciendum est aurum, et non amore aliqualiter complectendum. Modici enim flores herbarum multo sunt nobiliores auro et argento, que humana facit cupiditas pretiosa. Item avaritia ledit suum subiectum, idest hominem in quo regnat. Homo enim avarus in acquirendo divitias sustinet multos labores; in custodiendo ipsas metum patitur et timorem; in perdendo vero eas vel in morte relinquendo affligitur dolore. Unde versus:

Dives divitias non congregat absque labore,
Non tenet absque metu, non perdit absque dolore.

Sed nota quod V modis peccat avarus in divitiis: primo, nimis ardenter appetendo; secundo, iniuste vel illicite acquirendo; tertio, avare retinendo; quarto, prodigaliter dispergendo; quinto et ultimo, in morte non debite relinquendo. Omnia ista sunt autoritatibus fulcienda. De primo Psalmista: Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium? De secundo, Abacuch secundo: Ve qui congregat avaritiam domui sue; usquequo aggravat contra se dempsum lutum. De tertio, Ecclesiastici V: Est et alia infirmitas quam vidi sub sole: divitie congregate in malum Domini sui. De quarto, Luce XV: Reprobatur filius prodigus qui consumpsit

substantiam lasciviose vivendo. De V et ultimo, habetur in Psalmo: Relinquent alienis divitias suas. Item avaritia dannificat proximum. Nullus enim avarus multum dives effici potest sine multorum depauperatione. Unde Seneca, in epistula LXXVII ad Lucilium contra divitias sic arguit: Ex malis bonum non fit; divitie ex multis paupertatibus fiunt; ergo divitie bone non sunt. Circa tertium vero nota quod avaritia parturit multos filios, videlicet fraudem, dolum, inimicitiam, lites, mendacia, periuria, usuras, symonias, inquietudinem, et proditionem. De quibus cum occurrerit suis locis dicetur. Circa prodigalitatem vero est notandum quod prodigalitas ita est opposita avaritie, ut ex superioribus patet, quod quemadmodum avaritia omnia tenaciter tenet, ita prodigalitas omnia vane dispergit. Sed circa hoc queritur quod istorum duorum sit gravius peccatum. Et sic deveniemus ad ultimum.

Videtur enim quod prodigalitas sit gravius peccatum quam avaritia, quod sic probatur: per avaritiam enim homo nocet proximo, quia bona sua ei non comunicat; per prodigalitatem vero homo nocet sibi ipsi. Dicit enim Philosophus in quarto Ethycorum quod corruptio divitiarum per quas homo vivit est quedam ipsius esse perditio. Gravius autem peccat qui sibi ipsi nocet quam alii, secundum illud Ecclesiastes XIIII: Qui sibi nequam est, cui bonus erit. Ergo prodigalitas erit gravius peccatum quam avaritia. Sed contra est quod Philosophus dicit 2° Ethycorum, quod prodigus multum videtur melior illiberali, idest avaro. Respondeo dicendum quod prodigalitas secundum se considerata minus peccatum est quam avaritia. Et hoc triplici ratione: Primo quidem, quia avaritia magis differt a virtute opposita quam prodigalitas. Magis enim ad liberalitatem pertinet dare, in quo superabundat prodigus, quam retinere, in quo superabundat avarus. Secundo, quia prodigus est multum utilis quibus dat; avarus autem nulli, sed nec sibi ipsi, ut in quarto Ethycorum habetur. Tertio, quia ut ait Seneca, illud peccatum est gravius cuius est insanabilior egritudo. Sed prodigalitas curatur vel curari potest duobus modis: primo, paupertate, quia si prodigus efficitur pauper, erogare non potest; secundo modo, senectute, quia naturaliter avaritia sequitur senectutem. Sed avaritia nullo istorum modorum curatur; nam si avarus efficitur pauper, magis in avaritia induratur. Si autem efficitur senex, magis in ipso senio iuvenescit. Ad argumentum vero in contrarium positum, dicendum quod differentia prodigi et avari non attenditur secundum hoc quod est peccare in se ipsum et in alium. Nam prodigus peccat in se ipsum dum bona sua consumit, unde vivere debet. Peccat etiam in alterum consumendo bona ex quibus aliis providere deberet; et precipue hoc apparet in clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesie, que sunt pauperum, quos defraudant prodige expendendo. Similiter etiam avarus peccat in alios inquantum deficit in dationibus; peccat et in se ipsum inquantum deficit in sumptibus. Unde dicitur Ecclesiastes V: Vir cui Deus dedit divitias nec tribuat ei potestatem ut comedat ex eis. Sed tamen in hoc superabundat prodigus, quia sicut et sibi quibusdam aliis nocet, quod tamen aliquibus prodest. Avarus autem nec aliis nec sibi prodest, quia non audet uti etiam ad suam utilitatem bonis suis. Propter ista itaque duo peccata ait autor in textu:

Mal dare et mal tener lo mondo pulcro
à tolto loro, et posti a questa zuffa:

Ista enim duo peccata avaris et prodigis auferunt Paradisum, et ponunt eos ad illam rixam que superius est taxata. Ideo ait in textu: «à tolto loro lo mondo pulcro». Et qualis sit illa rixa adiungit dicens: «qual ella sia, parole non ci apulcro», idest verba ad hoc exprimendum non pulcrifico.

vv. 61-63

Or puoi, filliuol, veder la corta buffa
de' ben che son commessi a la fortuna,
etc.

Hic tangit autor quomodo bona fortunalia non sunt stabilia, immo fluxa. Ad cuius rei clariorem evidentiam est sciendum quod, sicut dicunt philosophi, quelibet spera sive celum movetur, gubernatur, et regitur per unam substantiam separatam, idest per unum angelum. Motus vero primi mobilis causatur a mente divina, unde Philosophus: Oportet, inquit, virtutem moventem celum habere potentiam infinitam, et sicut Deus omnia celestia per se aut per angelos gubernat et regit, ita rebus temporalibus rectorem et gubernatorem instituit. Iste autem rector et gubernator non est aliud nisi velle suum; et ista sua voluntas bona temporalia dat, dividit et commutat secundum beneplacitum suum. Unde beatus Augustinus ait: Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium atque spiritualium motionum. Nichil enim fit sensibiliter et visibiliter quod non de invisibili atque intelligibili summi imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam premiorum atque penarum gratiarum et retributionum in ista totius creature amplissima quadam immensaque re publica. Hucusque Augustinus. Et Daniel ait ad regem Nabuchodonosor: Est excelsus in regno hominum et cui voluerit dabit illud. Ista autem dispensatio et divisio sive provisio temporalium bonorum a paganis antiquitus, et etiam a mundanis hodie, fortuna vocatur. Quam, re vera, catholicus verus, licet credat mutabilitatem in rebus esse fortunam, confiteri non debet. Unde Augustinus: Linguam corrige, sententiam tene. Quasi dicat: Licet in sententia teneas omnia temporalia esse mutabilia atque fluxa, hoc dicas a velle divino non a fortuna vel fato procedere. Fortuna enim nichil aliud est nisi temporalis dispositio provisorum, vel ipsarum rerum temporalium mutabilitas secundum quod a voluntate divina procedit; et hoc non solum

sentiunt catholici sed etiam prudentissimi paganorum. Nam Seneca, licet fortunam nominet, tamen Deum mutare omnia dicit. Ait enim secundo libro Tragediarum:
Quicquid a nobis minor extimescit
Maior hoc vobis dominus minatur;
Omne sub regno graviore regnum.
Nemo confidat nimium secundis.
Nemo desperet meliora lapsis,
Miscet hoc illis, prohibetque Cloto
Stare fortunam; rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes;
Crastinum [ut] posset sibi polliceri:
Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Hucusque Seneca. Pingebatur autem ab antiquis ipsa fortuna in rota, in forma mulieris oculos cecos habentis. In forma mulieris ideo pingebatur, quia bona temporalia fragilia sunt et fluxa. Ideo ceca, quia bona temporalia hominem excecant, dum se extollit in prosperis et deprimit in adversis. Vel ceca ideo pingebatur, quia ad modum hominis ceci bona sua inordinate dispergit. Unde quarto Tragediarum ait Seneca:
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera ceca, peiora fovens;
Vincit sanctos dira libido,
Fraus sublimi regnat in aula.
Tristis virtus perversa tulit
Premia recti; castos sequitur
Mala paupertas vitioque potens
Regnat adulter.

Pingebatur et gemino vultu. Nam anterior facies erat alba propter prosperitatem, sed posterior nigra propter adversitatem. In rota autem ideo pingebatur, quia in rota sunt quatuor diversitates. Est enim una pars recte summa; est alia infima; est tertia que descendit de summo deorsum; est et quarta que scandit ab ymo sursum. Similiter in temporalibus quidam sunt in summa prosperitate, quidam in infima adversitate, quidam descendunt a prosperitate in adversitatem, quidam vero de adversitate eriguntur in prosperitatem. Autor autem, cum antiquis cupiens concordare fortunam, idest mutabilitatem rerum temporalium, sub nomine cuiusdam dee designat. Et est hic quedam figura que dicitur prosopopeia. Est autem prosopopeia formatio nove persone. Ista vero fortuna omnia bona temporalia mutat. Et ideo qui bonis temporalibus inmituntur oportet, secundum sententiam beati Gregorii, ut cum ipsis corruentibus corruant. Unde Philosophia ait ad Boetium, secundo De Consolatione: «Si ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret promovereris. Si arvis semina crederes, feraces inter se annos sterilesque pensares. Fortune te regendum dedisti; domine moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rote impetum retinere conaris?» Et infra, eodem libro, ait ipsa fortuna ad Boetium: «Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus». Et poeta:
Ex humili ad summa parvum fastigia rerum
Extollit quotiens, volvit fortuna iocari.

vv. 64-66

Chè tutto l'oro ch'è sotto la luna
et che già fu, di quest'anime stanche
non ne potrebe far posar pur una.

Vere omnes thesauri qui sunt sub luna mentem avari hominis satiare non possent; et hoc quia, ut ait Seneca: Avaro tam deest id quod habet quam quod non habet. Ea vero que sunt supra lunam, sicut sunt celestia, possunt mentem hominis quietare. Unde beatus Augustinus ait: Quicquid Deus potest michi dare non me satiaret nisi se ipsum dare promitteret. Et alibi: Inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Et Psalmista: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

vv. 82-84

Che d'è occulto come in erba l'angue. Vult hic dicere autor quod iudicium fortune est nobis occultum sicut occultatur aliquando anguis, idest serpens, in herba, quam dum homo vult carpere, pungitur a serpente. Vel sicut venenum est occultum in herba, que licet appareat pulcra, odorifera, et suavis, si est venenosa interficit comedentem. Et sic bona temporalia, licet videantur pulcra, delectabilia et utilia, multotiens tam anime quam corpori sunt nociva. Quod noceant anime patet quia bona temporalia Dei oblivionem inducunt. Unde Psalmista: Incrassatus est dilectus et recalcitravit: incrassatus, inpinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo.

Quod vero noceant corpori patet quia quanto homo ascendit in altum, tanto magis cum cadit descendit ad ymum. Unde poeta Claudianus: Tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant. Idcirco beatus Gregorius dicit quod cum omnis fortuna sit timenda, magis est timenda prospera quam adversa. Adversa enim multotiens hominem corrigit et ad Deum deducit. Unde idem Gregorius: Mala, inquit, que nos hic premunt ad Deum nos ire compellunt; sed prospera, ut iam dictum est, totum contrarium operatur.

vv. 85-87

Vostro saver non à contrasto a lei:
questa provede giudica et persegue
suo regno come il loro li altri dèi.

Dicit hic autor quod nulla humana sapientia potest obviare vel resistere voluntati divine. Unde Apostolus: Non est sapientia contra Dominum. Et Salomon ait ad Deum: Non est qui tue possit resistere voluntati. Quod autem dicit: «Questa provede / suo regno come il loro li altri dèi», sic est exponendum: Quemadmodum enim Dei, idest Angeli, movent sua regna, idest celos, ita Fortuna movet regnum sibi commissum. Angeli enim dicuntur Dii, ut ibi: Deus stetit in synagoga Deorum, idest Angelorum.

vv. 91-93

Quest'è colei ch'è tanto posta in croce
pur da color che le dovrian dar lode,
dandole biasmo a torto et mala voce.

More mundanorum loquitur hic autor, contra clericos verba dirigens; qui quidem, ut manifeste videmus, pro maiori parte indigni, de infima paupertate ad ditissimas prelaturas, et de infimo statu ad statum excellentissimum extolluntur, et semper istam fortunam condemnant, a qua tota die bonus et sapiens eicitur, et malus et inscius sublevatur. Unde poeta: Tolluntur ad astra nefandi.

vv. 97-99

Or discendiamo omai a magior pieta.

Hic finit quartus circulus. Et finito hoc circulo, dicit Virgilius ad autorem: Descendamus admodo ad videndum maiora tormenta. Maiora enim dicit, quia quanto magis descendit, tanto magis maiora invenit et graviora peccata. Et assignat causam quare debent descendere, nec hic debeant ulterius immorari, dicens: «Già ogni stella cade che saliva / quando mi mossi». Ad cuius evidentiam est sciendum quod autor, quando intravit Infernum, dies recedebat et nox veniebat. Unde supra, secundo cantu: «Lo giorno se n'andava et l'aer bruno», idest nox – supple «veniebat»; et non erat ei concessum stare in Inferno nisi quantum Christus stetit in Limbo. Unde illa hora qua tenebre facte sunt super universam terram, quando scilicet Christus in Limbum descendit, autor ingressus est Infernum; et illa hora qua Christus resurrexit a mortuis, autor de Inferno exivit. Et nota quod totum illud tempus quod autor in Inferno consumpsit, ab illa scilicet hora qua intravit, usque ad illam qua inde exivit, computat unam noctem. Et hoc quia ibi nulla est dies sed perpetua nox; in celo autem est dies sine nocte; in mundo autem sunt dies et noctes. Et quia istud tempus breve erat ad tot et tanta videnda, ideo ait Virgilius autori: «Quando nos incepimus nostrum iter, nox surgebat, et ille stelle que ascendebant a parte orientali iam incipiunt cadere versus occidentem; idcirco oportet nos iter nostrum accelerare». Ideo sequitur in textu: «e 'l troppo star si vieta».

vv. 100-102

Noi ricidemo 'l cerchio a l'altra riva. Hic incipit quintus circulus, et finit in cantu sequenti, ibi: «Venimo in parte la 've il nocchier forte, / «Usciteci», gridò, «qui è l'entrata». Qualiter autem in V circulum de quarto descendat, ostendit per hunc modum: quod ipsi reciderunt circulum ad aliam ripam; non enim totum ipsum perscrutati fuerunt, sed ipsum reciderunt, et sic recidendo devenerunt ad unum fontem qui ebullit et effunditur per unum fossatum, quod quidem ab ipso fonte derivatur. Qualis autem sit ipsa aqua que ab isto fonte descendit, ostendit dicens: «L'aqua era buia assa' vie più che persa». Hoc idem ponit Statius, primo Thebaydos: Tuque umbrifero Styx livida fundo. Ipsi vero iuxta descensum istius aque descenderunt ad yma. Et cum in ymo fuissent, dicit autor quod ista aqua facit in quadam planitie unam paludem que dicitur Stix, in qua dum ipse autor actente consideraret, vidit unam gentem nudam, lutosam, et valde melancolicam; que gens in illa palude lutosa unus alium percutiebat non solum cum manibus, sed etiam cum capitibus, pectoribus, atque plantis; et

quod dolorosius est, membratim se dentibus detruncabant. Tunc Virgilius dixit autori: Fili, vide animas illorum quas ira devicit; et volo etiam quod pro certo credas quod sub ista aqua est gens aliqua que respirat, et sic respirando facit istam aquam pullulare ad summum, sicut oculus tibi dicit quocunque se girat. Ille vero misere anime que sic erant in lymo defixe suam sortem narrabant dolendo dicentes: «Nos fuimus tristes et accidiosi in illo aere dulci qui a sole alacer efficitur, nunc vero in isto lymo misero contristamur». Virgilius autem et autor iuxta paludem iter arripientes a fossato recedunt, et contemplando fangosos sive lymosos in ripa ipsius paludis inveniunt finaliter quandam terram.

In isto VII cantu autor ponit duas comparationes et duo notabilia.

[Comparationes]

vv. 13-15

PRIMA COMPARATIO.

Quali dal vento le gonfiate vele
cagiono avolte, poi che l'arbor fiacca,
tal cadde a terra la fiera crudele.

vv. 22-24

SECUNDA COMPARATIO.

Come fa l'onda là sovra Caribdi,
che si frange con quella in cui s'intoppa,
così convien che qui la gente riddi.
Iste due comparationes superius exposite sunt in glosis.

[Notabilia]

vv. 10-12

PRIMUM NOTABILE.

Non è sanza cagion l'andare al cupo.
In hoc notabili in fide catholica confirmamur, que credit et predicat quod nichil in mundo accidit sine causa. Nichil enim fit sensibiliter et visibiliter quod non de invisibili atque intelligibili summi imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur, ut ait Augustinus.

vv. 25-27

SECUNDUM NOTABILE.

Qui vid'i' gente più c'altrove troppa.
Vere nullum peccatum est quod ita repleverit orbem terrarum sicut est peccatum avaritie et prodigalitatis, quia, iuxta Prophetam, a maiori usque ad minorem omnes avaritie student.

Et sic patet septimus cantus.

VIII

[Incipit]

INCIPIT VIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto octavo cantu autor sequitur quod incepit in fine superioris cantus tractare, scilicet de V circulo, quod incepit superius, ibi: «Noi ricidemo 'l cerchio a l'altra riva», et finit infra in isto, ibi: «venimo in parte dove 'l nocchier forte: / «Usciteci», gridò: «qui è l'entrata». Et tractat in isto circulo de quatuor peccatis, scilicet de accidia, ira, invidia, et superbia, et de pena que optime competit eis. Figure autem istorum quatuor peccatorum sunt iste: Stix tenet figuram accidie; Flegias tenet figuram ire; fumus paludis tenet figuram invidie; limus vero paludis tenet figuram superbie.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-64

Ut in superiori cantu patet, postquam autor de quarto circulo, in quo puniuntur avari et prodigi, pertractavit, dicit se per unum fossatum de quarto in quintum circulum descendisse. Qui quidem V circulus non est aliud nisi una palus obscura, livida, fetida, et lymosa, iuxta quam dum animas contemplando transirent, devenit ad quandam turrim que in ripa istius paludis erat. In cuius cachumine antequam ad ipsam turrim appropinquaret vidit duas faculas accensas, sicut in processu istius cantus declarat, et etiam unam aliam tertiam, que respondit istis, vidit tam a longe demonstrari quod vix poterat eam oculus contemplari. Tunc ait autor ad Virgilium: «Iste ignis quid dicit, et qui sunt illi qui eos fecerunt?» Et Virgilius ad eum: «Iam», inquit, «super sucidas undas discernere potes id quod ab istis faculis expectatur, si fumus paludis illud non tibi celat». Et statim facta responsione Virgilii, dicit autor se vidisse versus eos unam naviculam venientem sub gubernaculo unius solummodo galeoti, qui veniendo clamabat: «Or se' giunta, anima fella». Cui Virgilius ait: «O Fregias, o Fregias, tu clamas in vacuum ista vice, quia nil aliud habebis nisi quod lutum transibis». Et his dictis, descendit in barcam, et post ipsum secutus est Dantes; et statim fuit propter gravidinem corporis onerata. Ideo dicit: «et sol quando fui dentro parve carca». Et quia tunc magis onerata erat, ideo magis de aqua secabat. Hoc videtur de VI libro Eneydorum extractum, ubi de descensu Enee in barcam loquitur Mantuanus dicens: «Gemuit sub pondere cimba / subtilis et multam accepit rimosa paludem». Natura enim navium est quod quando non sunt onerate modicum secant aquas, quando vero sunt onerate tunc magis, propter honera, demerguntur et aquas secant; et sic cum navicula Fregias portat solummodo animas, tunc leviter transit aquas; sed cum portavit Dantem, quia in anima et corpore erat, ideo navicula aquas dicitur secuisse. Unde in textu dicitur: «Tosto che 'l duca et io nel legno fui, / secando se ne va l'antica prora / dell'acqua più che non fa con altrui». Et dum sic per illam aquam mortuam navigarent, unus qui erat in illa palude submersus surrexit et ait ad Dantem: «Quis es qui ante horam – supple mortis – venis?» Et Dantes ad eum: «Si ego venio, non remaneo. Sed tu quis es, qui factus es ita turpis?» Cui ille respondit: «Sicut tu vides, sum unus qui plango». Et cum Dantes sibi respondisset dicens: «Cum planctu et luctu, spiritus maledicte, remaneas», ille ut naviculam submergeret ambas manus ad ipsam extendit. Quod ut Virgilius perpendit, statim illum in aquam reiecit dicens: «Vade istac cum aliis canibus». Et postea cum brachiis amplexatus est sibi collum, et dans sibi osculum ait: «O anima que abhorres et dedignaris superbos, benedicta sit illa que te concepit. Iste enim, sicut fuit in mundo persona arrogans et superba, et nullum bonum memoriam suam ornat, sic sua umbra est hic furiosa. Et dico tibi quod multi superius, hoc est in mundo, se reputant magnos reges, qui in ista palude stabunt sicut porci in volutabro suo». Tunc Dantes ait ad Virgilium: «Magister, multum delectarer videre istum in ista aqua lymosa submergi». Et Virgilius ad eum: «Antequam aliam ripam videas, erit de hoc tuus animus satiatus». Et ecce non multo post ab aliis damnatis iste damnatus capitur, deridetur, et in aqua submergitur, clamantis omnibus: Ad Phylippum Argenti de Florentia, spiritum bizarrum, idest inconversabilem ac iracundum. Et ille, iracundia ductus, semetipsum dentibus attrettabat.

vv. 65-81

His omnibus visis, dicit autor quod illum spiritum in tali pugna derisoria dereliquit, et ad quamdam civitatem ferro ignito muratam, que dicitur Ditis, sic navigando pervenit. Ad quam cum appropinquassent, Fregias ad eos alta voce clamavit dicens: «Exite de navi. Hic est introitus civitatis». Et tunc illi ambo, scilicet Virgilius et Dantes, de navicula descenderunt. Et hic finitur quintus circulus.

vv. 82-130

Quo finito, facit autor preambulum ad sextum, dicens quod ad clamorem Fregias vidit super portas civitatis plus quam mille demones, qui superstitiose dicebant: Quis est iste qui sine morte, hoc est antequam moriatur, vel sine morte, idest sine peccato, vel sine morte, idest sine pena Inferni, vadit per regnum mortue gentis[?] Virgilius autem fecit signum quod secrete alloqui vellet eos. Tunc illi dixerunt ei: «Veni tu solus et ille recedat, qui tam audaciter per istum regnum intravit. Solus revertatur per fatuam stratam. Probet si per eam scit reverti, quia tu hic remanebis, qui eum per tam obscuram duxisti contratam». Quod audiens, autor tanto fuit timore ac pavore simul arreptus,

quod nunquam inde credidit ad propria remeare, et totus pavidus ad Virgilium ait: «O mi care dux, qui plus quam septem vicibus me in periculis securasti, et de eisdem me protinus extraxisti, noli me hic dimittere, queso, taliter desolatum; et si transire nobis ulterius est negatum, reinveniamus statim vestigia nostra simul». Cui Virgilius ait: «Noli timere, quod nostrum iter non potest nobis quisquam auferre, a tali nobis domino est concessum. Sed hic me expecta, et spiritum tuum fessum conforta et ciba spe bona, quod ego te in mundo infimo non relinquam». Et his dictis, a Dante recedit et versus ianuam civitatis, demonibus locuturus, accedit. Qui cum eis modicum loquendo stetisset, et nichil cum eis profecisset, quia in faciem eius portas clauserunt, melancolia plenus reversus est ad autorem, dicens: «Licet ego irascar, tu fili, noli timere, quia ego vincam pugnam, malis gratibus quorumcumque qui intus ad defensionem se volvant. Non enim est nova michi ista eorum superbia, quia iam usi sunt ea michi in illa porta sacrata que adhuc sine clavibus aperitur. Super quam portam tu vidisti mortuam scripturam, et iam citra eam per descensum descendit transeundo per circulos sine duce unus talis, quod per eum aperietur nobis civitas, iuxta votum. Unde ait autor in textu: «tal che per lui ne fi' la terra aperta».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-6

I' dico, seguitando, c'assai prima
che noi fossim'al più de l'alta torre,
li occhi nostri n'andar suso a la cima
per due fiammette,
etc.

Continuatio est ad precedentem cantum. Superius nanque dixit: «Venimo al piè d'una torre al da sezzo». Nunc vero continuando dicit quod antequam ad pedem turris venissent, vidit in cacumine ipsius turris duas accensas faculas elevari. Quem quidem ignem ideo demones qui ibi habitant ostenderunt, ut signum darent demonibus civitatis que in medio paludis est sita, ut barcam mitterent, que eos ad ripam aliam transportaret. Duas autem ideo faculas ostenderunt, ad ostendendum quod due anime veniebant, quia quot anime veniunt, tot facule accenduntur. Illi vero demones qui super portas habitant civitatis, visis faculis, unam faculam elevarunt ad respondendum quod navicula veniebat.

vv. 7-9

Et i' mi volsi al mar di tutto 'l senno. Magistrum suum mare totius sapientie autor appellat, quia, re vera, in omni mundana scientia profundissimus homo fuit. Unde Macrobius, super Somnio Scipionis de Virgilio ait: Virgilius nullius discipline expers plene per omnia beatos exprimere volens ait: «O terque quaterque beati»: quam quidem autoritatem sic exponit ipse Macrobius: Anima, inquit, constat ex tribus potentiis: prima dicitur rationalis, secunda concupiscibilis, tertia vero irascibilis, idest animositas. Corpus autem constat ex quatuor elementis, scilicet terra, aqua, aere, et igne. Volens itaque ipse Virgilius beatitudinem anime simul et corporis ponere ait: «O terque quaterque beati». Et beatus Augustinus vocat ipsum Virgilium egregium poetarum.

vv. 19-21

Fregias, Fregias, etc. Iste Fregias, qui cum navicula animas descendentes portat a turri usque ad civitatem Ditis, interpretatur <ira fremens>, vel <conturbatio mentis>. Et ponitur hic ab autore quasi punitor sive executor quatuor peccatorum, scilicet accidie, ire, invidie, et superbie. Ad quorum omnium evidentiam clariorem est sciendum quod, postquam autor in superioribus circulis de peccatis carnalibus, que sunt tria, scilicet luxuria, gula, et avaritia, pertractavit, nunc in isto V circulo de peccatis spiritualibus que sunt quatuor, scilicet accidia, ira, invidia, et superbia, compendiose pertractat. Et quoniam iste quatuor vitia dolorem et tristitiam inducunt in animum, ideo ipsa in uno loco concludit. Quod vero dolorem et tristitiam gignant, patet: nam accidia nil aliud est quam dolor et tristitia de bono spirituali inquantum bonum impedit corporale. Ira autem, secundum Philosophum, est appetitus vindicte; sed talis appetitus continua tristitia noscitur esse mixtus. Similiter invidia est dolor proveniens ex felicitatibus alienis, de qua poeta: Invidus invidia comburitur intus et extra. Et Socrates: Utinam, inquit, omnes invidi in omnibus locis oculos et aures haberent, ut de omnium prosperitatibus torquerentur. Superbia vero, quia est appetitus proprie excellentie, Philosopho attestante, et semper appetat altiora, in quibus ruina maxime continetur, sine dolore vel timore mixta continuo esse non potest. Nam, pagina divina docente, didicimus quod inter superbos semper iurgia sunt. In peccatis autem carnalibus aliqua delectatio reperitur, ut patet in luxuria, gula, et aggregatione pecunie. Quod enim in duobus primis delectatio sit annexa ad sensum, manifeste videmus. Quod autem in aggregatione bonorum temporalium animus delectetur, patet quia multas

tribulationes sustinent homines pro temporalibus congregandis, in quibus, nisi esset delectatio, minime laborarent. Unde Lucanus:
Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Cum igitur illa quatuor vitia ad tristitiam pergant, merito autor iste homines his vitiis laborantes in palude Stygia ponit esse submersos. Nam secundum beatum Ysidorum, XIIII Ethymologiarum, Stix a tristitia dicitur esse dicta, eo quod tristes faciat vel quod tristitiam gignat. Quod autem ista quatuor genera hominum autor in ista palude submergat, patet: Peccata enim capitalia, a quibus multa alia derivantur, sunt VII. Primo est, descendendo dico deorsum, luxuria, secundum gula, tertium avaritia, quartum accidia, quintum ira, sextum invidia, septimum vero superbia. De primo peccato egit autor secundo circulo, cantu V; de secundo egit circulo tertio, cantu VI; de tertio egit circulo IIII, cantu VII et octavo. Postquam vero de V circulo, hoc est de palude Stigia exit, civitatem ingreditur, in qua ponit sepultam hereticam pravitatem. Patet ergo quod, ex quo ad illa peccata que non sunt capitalia sed ex capitalibus oriuntur, progreditur, quod in isto V circulo alia quatuor poetando concludat. Quod autem hic ea concludat patet per textum: et primo de accidiosis, ibi: «Fitti nel limo dicen tristi fummo / nel aer dolce che dal sol s'allegra, / portando dentro accidioso fummo». Secundo, de iracundis, ibi: «Figlio, or vedi, l'anime di color cu' vinse l'ira». Tertio, de invidis habetur ibi: In eo quod dominus Phylippus Argenti, tactus dolore cordis quod autor per penas Inferni sine pena transibat, navem submergere conatus fuit, et in eo quod Virgilius vocavit eum canem, dicens: «Via costà con li altri cani». Nam canes naturaliter sunt invidi; unde unus non suffert quod alius rodat ossa. Quarto, de superbis habetur ibi: «Quanti si tengon or là sù gran regi / che qui staranno come porci in brago, / di sè lasciando orribili dispregi». Et ideo istius paludis Fregias ponitur gubernator, qui in lingua Greca, ut dictum est, dicitur <ira fremens> vel <conturbatio mentis>, quia ista peccata mentem hominis dolore conturbant.

Et quia in toto isto loco de quatuor peccatis capitalibus pertractatur, ideo de ipsis hic aliqua ad utilitatem legentium videamus. Et primo de accidia, circa quam quatuor consideranda occurrunt: Primo, eius quiditatem; secundo, eius damnabilitatem; tertio, remediorum oportunitatem; quarto, spetierum multiplicitatem. Circa primum nota quod accidia multipliciter diffinitur. Est enim accidia, secundum Damascenum, quedam tristitia aggravans animum, et secundum hanc diffinitionem, accidia importat in se quoddam tedium operandi, ut patet per hoc quod dicitur in glosa super illud Psalmista: Omnem escam abominata est anima eorum. A quibusdam etiam dicitur quod accidia est torpor mentis negligentis bona inchoare. Et secundum hanc diffinitionem, accidia semper est mala, quia nullum bonum attentare presummit. Vel accidia est tedium boni, secundum Augustinum, vel anime nausea et vite fastidium, et secundum hanc diffinitionem accidia habet odio omne bonum. Unde dixerunt filii Israel, ut habetur Numerorum XI: Anima nostra na[u]seat super cibo isto levissimo: quia accidia est de cibo levissimo fastidita. Vel accidia est dolor de bono spirituali inquantum bonum impedit corporale. Et secundum hanc diffinitionem accidia includitur in quolibet capitali peccato, quod sic patet: nam luxuriosus dolet de castitate inquantum suam impedit improbam voluptatem; et gulosus dolet de ieiunio et abstinentia inquantum suam impedit ingluviem et ebrietatem; et sic de aliis. Circa secundum est notandum quod accidia est damnabilis, spetialiter propter quatuor: primo, quia Deo iniuriatur; secundo, quia saluti anime adversatur; tertio, quia vite corporali insidiatur; quarto et ultimo, quia pene eterne assimilatur. Deo quidem iniuriatur, quia aufert ei debitum cultum et famulatum ad quem creatus est homo. Ysaye LX: Germen plantationis mee ad glorificandum; idest ad hoc plantatus est homo in terra ut Deum coleret, idest laudaret. Preterea, Deo debet homo servire cum diligentia, 2° Paralipomenon 9: Omnia facite cum diligentia. Sed accidia omnia facit cum tedio et desidia. Unde et accidia maledictionem incurrit, Ieremie VIII: Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter. Preterea, debet homo Deo servire cum letitia; Psalmista: Servite Domino in letitia. E contra: accidia facit omnia cum tristitia. Hoc ostendunt eius signa in gestu, scilicet, et vultu; quia accidiosus semper habet tristem vultum et tristem incessum. Saluti anime adversatur secundum omnem statum hominis, cum sit status eius triplex: scilicet innocentie, gratie, et culpe. In statu innocentie tenebatur homo ad opus, quia ad laudem Dei et cultum eius, Genesis II: Posuit Deus hominem in Paradiso ut operaretur et custodiret illud. In statu culpe pene est subditus et labori. Genesis tertio: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. In statu gratie tenetur ad opera penitentie, et maxime post lapsum, Apokalipsis II: Memor esto unde excideris et age penitentiam; sed his omnibus accidia adversatur. Vite corporali insidiatur, quia cum accidia sit tristitia, quedam est vite corporalis consumptiva et mortificativa, iuxta illud Proverbiorum: Sicut tynea vestimento et vermis ligno, sic tristitia nocet cordi. Assimilatur enim accidia aque quiescenti; manifestum est enim quod aqua currens non corrumptitur, sed aqua in fovea quiescens. Unde Oratius: Et vitium capiunt ni moveantur aque. Sic homo accidiosus et tediosus in suis otiis conputrescit. Item accidia assimilatur salicibus iuxta aquas, que nullum afferunt fructum, quamquam frondose existant. Sic accidiosi, quamvis membra habeant quibus valeant operari, fructuosa opera non producunt. Ideo dicitur in Psalmo: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Accidiosus enim organa divine laudis suspendit cum a bono spirituali propter carnis quietem recedit. Item accidiosus comparatur turdo: dicitur enim turdus a tarditate volatus. Avis enim pinguis et ponderosa est, et eius stercus viscus est; unde sepe suo proprio stercore inviscatur. Sic accidiosus sua desidia et tristitia ab omni bono retardatur et requiescit cum Moab in fecibus suis, ut habetur

Ieremie XLVIII. Unde Dominus conminatur accidioso, Sophonie primo: Visitabo super viros [et] defixos in fecibus suis. Pene eterne assimilatur; nam accidia videtur in se habere damnatorum pigritiam et ponderositatem. Mathei XXII: Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Ubi dicit glosa: Ille habet manus ligatas qui bonum operari negligit; ille vero pedes, qui bonum velle abicit. Ecce quam similes sunt damnatis accidiosi. Accidia enim est spiritualis paralisis, que totum hominem dissolvit et tollit usum membrorum, unde impedit meritum et aufert premium; secundo Machabeorum, 9: Alchimus percussus est paralisi.

Circa tertium nota quod remedia contra accidia sunt considerationes creaturarum tam superiorum quam inferiorum, que continue suis laboribus debitis occupantur. Superiora enim sicut est firmamentum, sol, luna, et stelle, eundem tenent ordinem atque motum quem a principio a divina obedientia acceperunt; et in hoc nec deficiunt nec languescunt. Unde primo Regum, 31°: Hec dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lune et stellarum in lumine noctis: non deficient leges iste coram me. Unde continuus motus et obedientia eorum excitare debet tarditatem pigrorum. Sed nota quod licet Saturnus situ sit altior, natura tamen est superior et motu tardior. Sic est in Ecclesia, que est Dei celum, ubi maiores quandoque magis gravat accidia, ut negligentes fiant in sua et suorum custodia. Sepe est in eius vita prava et sedes iniqua sermo multus et fructus nullus, lingua magniloqua et manus otiosa, ut dicit Bernardus. Sed nota quod etiam minima negligentia in prelatis grave reputatur peccatum, i[m]mo quod plus est, ea que sunt minima in laicis maxima sunt in ipsis. Unde Ieronimus: Nuge in ore secularium nuge sunt, in ore vero sacerdotum blasphemie. Inferiora autem debent humanam accidiam excitare, ut sunt arbores, plante, semina et alia terre nascentia; que multas patiuntur et sustinent tempestates, ut gelu, nives, glacies, grandines, pluviam, ventum et estum, et singulis annis spoliantur foliis et fructibus; nec tamen cessant crescere, frondes, flores et fructus producere. Talis est vir sanctus circa salutem suam solicitus et attentus, cuius folium, idest propositum sive desiderium, semper est viride, nec aliquando deficit facere fructum, eo quod ipse sit lignum super aquas gratie transplantatum, ut habetur Ieremie XVII. A minutis etiam animalibus humana pigritia summat exemplum. Seneca: Erubescant homines ab exiguis animalibus non trahere mores. Unde precipit Salomon, Proverbiorum VI: Vade ad formicam, o piger, et disce semitas eius; que cum non habeat ducem cuius scilicet exemplum imitetur, nec preceptorem cuius doctrina instruatur, nec principem cuius sententia eius negligentia puniatur, preparat tamen sibi in estate necessaria. Et nota quod cum formica sit minimi corporis, portat tamen pondus maius se. Piger vero cum sit magni corporis, nec vult digito onera tangere, nec minima adimplere, ut dicitur Mathei 13. Apis etiam, licet sit parva et modica musca, tamen mirabilia operatur, ut patet in compositione domorum, discursione locorum, et in confectione mellis et cere. Ecclesiastici VI: Brevis in volatilibus apis, et tamen initium dulcoris habet fructus eius. Dicitur etiam de apibus quod nulla inter eas potest vivere otiosa. Valet etiam ad excitationem huius humane pigritie quod legitur in Vitis Patrum, quod cum quidam sanctus vidisset ornatum cuiusdam mulieris, flens ait: Ignosce michi omnipotens Deus, quia unius diei huius meretricis ornatus superavit totius vite mee industrie ornamenta. Et abbas Pannutius, videns mulierem in Alexandria, flevit; et causam querentibus sic respondit: Fleo propter duo: primum est perditio istius mulieris; secundum est quia non habeo tale studium placendi Deo, quale ut placeat hominibus habet ista. Circa quartum vero et ultimum, nota quod de accidia multiplices filie oriuntur, et spetialiter novem: quarum prima est tepiditas sive remissio, per quam homo languet ab opere bono; et quia tepidus est, ab ore Dei est totaliter evomendus; Apocalipsis tertio: Utinam calidus esses aut frigidus; sed quia tepidus es, evomam de ore meo. Que quidem autoritas est taliter secundum veros expositores catholice exponenda. Ille est enim calidus, qui divino amore fervescit; ille vero est frigidus, qui a divino calore elongatus frigescit; ille autem tepidus dicitur qui, licet non sit malus, tamen in divino obsequio tepide operatur. Sed quia talis ex quadam fiducia de suis bonis posset confidere, aliquando suam negligentiam non curaret. Idcirco Deus talem volens corrigere, sibi tam terribiliter comminatur. Secunda est mollities sive pigritia, que non vult pati aspera nec aggredi ardua. Circa que duo, scilicet pati aspera et aggredi ardua, fortitudo versatur. Tertia est timor servilis qui penam habet, sed non meretur palmam, ut dicit Gregorius. Hic vero, quia presummit mala et difficiles circumstantias circa bonum, ideo non audet aggredi illud.

Quarta est desperatio, que est relaxatio mentis ad peccandum, ut dicit Augustinus; et hec est valde periculosa, quia qui desperat de venia, non est scelus quod facere abhorreat; 2° Regum secundo: An ignoras quod periculosa res sit desperatio. Est etiam periculosa corpori desperatio, quia quandoque homo per ipsam incidit in mortem corporalem, ut patet in Iuda, qui laqueo se suspendit, ut patet Mathei XXVII et 2° Regum XVII: Dicitur quod Achitofel, sciens regnum redditurum ad David, ascendit in domum suam, in gilo et laqueo se suspendit. Quinta est somnolentia, que corpus et animam gravitate premit, et usum sensuum tollit. Sic somnus dicitur a quadam potentia que dicitur sensus, licet minus improprie, et gignitur somnolentia ex pigritia, quandoque vero e converso pigritia nascitur de somnolentia, sicut contigit de nube et aqua, quia ex aqua oritur nubes et ex nube funditur aqua; Proverbiorum XIX: Pigredo immittit soporem, etc. Sexta est negligentia, que non curat facere ea ad que quis de iure tenetur. Unde Petrus Apostolus, In Itinerario Clementis, ait: Omnium malorum mater est ignorantia, nutrix vero negligentia; ex quo apparet quod negligentia est malorum nutrix. Sed Ecclesiastes VII dicitur: Qui timet Deum nichil negligit. Septima est pusillanimitas, que a pusillo animo dicitur, et mediam habet fiduciam aggrediendi bonum. Ieronimus: Pusillanimis aut non incipit,

aut ab incepto desistit. Ideo Ad Corinthios 9° confortat Apostolus ipsos dicens: Reformamini pusillanimes; quasi dicat, ne pre debilitate animi deficiatis. Octava est otiositas, que fugit opus, sicut e converso negotiatio fugit otium. Hec filia est ianua ad omnia mala; Ecclesiastici XXIII: Multa mala docuit otiositas. Et poeta: Sempter variam dant otia mentem. Istud enim vitium, cum abundantia rerum temporalium conciunctum, peccatum pessimum adinvenit, scilicet masculum in masculum exardescere; Ezechielis XVI: Hec fuit iniquitas Sodome, saturitas panis et otium. Nona est torpor que gelidum facit affectum, et totum hominem vere pigrum, ut fiat quasi uter in pruina, idest gelidus et strictus, et ad omne opus bonum inutilis.

Secundo loco tractandum est de ira, circa quam quatuor sunt videnda: primo, quid est ira; secundo, si in sapientem potest cadere ira; tertio, que mala infert homini ira; quarto, de spetiebus ire. Quantum ad primum, sciendum quod ira tripliciter diffinitur. Prima diffinitio est talis: Ira est impetus concitati spiritus, idest anime rationalis que per iram inflammata precipitatur in furorem. Hec diffinitio pater per Salomonem, Proverbiorum XXVI. Cum hac diffinitione concordare videntur Philosophus ac etiam Damascenus. Dicunt enim ambo quod ira est accensio sanguinis circa cor, ex cuius calore anima inflammatur. Inflammatur enim et accenditur ex contumeliis atque minis. Nam sicut ex collisione lapidis et ferri gignitur ignis, sic ex contumeliis receptis anima exardescit. Sed nota quod est quedam materia que ad ignem non consumitur, sicut hebanus, que est arbor quam nullus devorat ignis. Talis est vir patiens, qui iracundie igne non superatur nec iniuria frangitur, quia non contristabit iustum quicquid acciderit ei, ut habetur Proverbiorum VII. Alia est materia que de levi accenditur et de levi extinguitur, sicut candela. Hec est ira que de facili mitigatur, super quam sol non occidit, quia talis iratus cum ipsa ira noctem non ingreditur, implens illud Apostoli ad Ephesios IIII: Sol non occidat super iracundiam vestram. Alia est materia conservativa ignis, ut sunt ligna et maxime iuniperus, qui dicitur quasi <iuvans pirum>, idest ignem. Dicit enim Ysidorus quod eius carbo succensus et cinere reconditus servat ignem per annum. Talis est iratus, cuius ira non de facili aboletur nisi prius se vindicet; et tales vocantur a Philosopho in quarto Ethycorum difficiles. Ponit enim ibi Philosophus tria genera iracundorum, videlicet acutos, amaros, difficiles, sive graves, que quidem distinctio sic exponitur a Thoma de Aquino. Potest enim secundum eundem ira ex duobus attendi: Primo quidem ex ipsa ire origine, et hoc pertinet ad acutos, qui nimis cito irascuntur, et ex qualibet levi causa. Alio modo potest attendi ex ipsa ire duratione, eo scilicet quod ira nimis perseverat, quod quidem potest esse dupliciter: Uno modo quia causa ire, scilicet illata iniuria, nimis in memoria hominis perseverat; unde ex hoc homo diutinam tristitiam concipit, et ideo sunt sibi ipsis graves et amari. Alio modo contingit ex parte ipsius vindicte quam aliquis ostinato querit appetitu, et hoc pertinet ad difficiles sive graves, qui non dimittunt iram quousque puniant. Ideo dicit idem Philosophus quod punitio quietat impetum ire. In fornace autem ire tres fabri operantur: primus est superbia, que exsufflat folles tumidorum verborum; secundus est invidia, que tenet ferrum duritie cordis cum forcipe inveterati rancoris; tertius est contumelia, que assidue cundit nimis opprobiis et contumeliis. Isti tres fabri uno versiculo continentur: Flat forcipes rectusque tenet cunditque piragmon.

Secunda diffinitio est talis: Ira est perturbatio mentis. Circa quam diffinitionem nota quod triplex est perturbatio: una meritoria, secunda prohibita, tertia permissa; de quibus supra habetur cantu V. Tertia diffinitio talis est secundum Augustinum XIII, De Civitate Dei: Ira est ulciscendi libido. Cum quo concordat etiam Philosophus dicens: Ira est appetitus vindicte. Circa quam diffinitionem nota quod triplex est appetitus sive libido vindicte: una remissa, alia inordinata, tertia ordinata. Remissa enim tepide corrigit. Hanc habuit Hely sacerdos Dei qui, ut habetur in primo Regum, filios suos peccantes tepide arguebat, et in peccato perseverantes non corrigebat; propter quam remissionem ablatum est sacerdotium a domo sua; et tandem cadens de sella retrorsum, fractis cervicibus expiravit. Inordinata autem nimis et indebite contra delinquentes irascitur. Unde tali ire a sapienti viro est frenum sagaciter apponendum, sicut fecit Architas Tarentinus qui, ut scribit Valerius libro quarto, capitulo de moderatione, cum iratus esset villico suo ait: Summerem a te supplicium, nisi nimis iratus essem. Et subdit Valerius: Maluit enim impunitum dimittere quam propter iram gravius punire. Ordinata autem ira que nobis ad corrigendum male facta conceditur habet suas circunstantias observare, videlicet tempus, modum, et locum.

Quantum ad secundum, queritur utrum ira et cetere passiones possint cadere in hominem sapientem. De qua questione aliter sentiunt ystoyci, aliter peripatetici, aliter vero christiani. Ystoyci enim dicunt huiusmodi passiones non cadere in sapientem; quantumcunque enim ipsi sustineant adversa, ipsi tamen tenent animum firmum atque constantem. Unde refert Galienus de Socrate quod potionem accepit et, diu de immortalitate anime disputans, potionem illam letus hauxit. Peripatetici vero dicunt has passiones in sapientem cadere, sed moderatas et rationi subiectas. Et ponit exemplum Seneca de rege qui, audita filii sui morte, dolens coronam de capite deposuit; et audiens quod fortiter pugnando obcubuisset, cororam resumpsit, dicens se magis gaudere de filii virtute, quam dolere de morte ipsius. Narrat Tullius quod dum Catoni nuntiata fuisset mors filii ait: Satisfecit nature filius meus, quia mortalis erat. Unde ipse Tullius in libro De Amicitia in laudem Catonis ait: «Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut si quisquam est, ille sapiens fuit. Quomodo, ut alia omittam, mortem filii tulit?» Quam ob rem cave ne Catoni anteponas Socratem, quem Apollo, ut ait, sapientissimum iudicavit. Huius enim dicta, illius vero facta laudantur. In disciplina autem christiana, ut ait Augustinus, De Civitate Dei, non queritur utrum prius animus

irascatur aut tristetur, sed unde. Nam, ut idem dicit in lictera: Aliud est irasci fratri, aliud culpe fratris. Non enim fratri irascitur qui peccato fratris irascitur, nec sine causa irascitur.

Quantum ad tertium, nota quod secundum Gregorium ira infert homini VIII mala: Primum est quod per ipsam sapientia perditur; Ecclesiastes VII: Ira in sinu stulti requiescit. Secundum est quod non solum vita temporalis diminuitur, sed spiritualis sepe amittitur; Ecclesiastici 30: Zelus et iracundia minuunt dies. Tertium est quod mansuetudo amittitur, que est custos anime; Ecclesiastici quarto: Fili in mansuetudine serva animam tuam. Quartum est quod iustitia relinquitur; Iacobi primo: Ira viri iustitiam Dei non operatur. Gregorius: Dum turbatus animus iudicium rationis sue exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Quintum est quod socialis vita perditur; Ecclesiastici VIII: Cum iracundo non facias rixam. Gregorius: Qui ex humana ratione iram non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. Sextum est quod concordia rumpitur; Proverbiorum XV: Vir iracundus provocat rixas. Septimum est quod lux veritatis absconditur; Gregorius: Cum iracundia menti confusionis tenebras incutit, huic Deus radium sue cognitionis abscondit. Octavum, quod Spiritus Sancti splendor excluditur. Gregorius: Cum ira quietem menti subtrahat Spiritui Sancto, suam inhabitationem claudit.

Quantum ad quartum et ultimum est sciendum quod ab ira VI filiarum speties oriuntur, videlicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, et blasphemia. Que isto ordine distinguntur : quia ira aut est in corde, aut profertur ex ore, aut demonstratur in opere. Si in corde tantum, tunc est indignatio et tumor mentis; indignatio quidem inquantum irascitur contra aliquem quem reputat indignum quod talem iniuriam intulit contra eum; tumor autem mentis est inquantum iratus cogitat diversas vias vindicte, et talibus cogitationibus animum suum replet. Item ex ira, secundum quod progreditur ex ore, tres filie oriuntur: Prima est clamor, qui est confuse vocis immoderantia. Gregorius: Iratus ore sue clamorem format, sed quid sensus loquatur ignorat. Alia est secundum quod aliquis prorumpit in verba iniuriosa, et hoc dupliciter: vel contra Deum, vel contra proximum. Si contra Deum, sic est blasphemia; et est blasphemia verborum contra Deum sordidata prolatio. Dicit enim Ieronimus super Matheum quod blasphemare est de Deo inordinata verba proferre. Si contra proximum, sic est contumelia, qua quis alicui inordinate minatur; Sapientie VII: In voce malorum contumelia est. Item ex ira secundum quod est in opere nascitur una filia, scilicet rixa, per quam intelliguntur omnia nocumenta que infert proximo iracundus, propter quod dicitur in Proverbiorum: Vir iracundus provocat rixas. Ubi dicit glosa: Iracundia est ianua omnium vitiorum, qua clausa virtutibus extrinsecus aperta ad omne facinus armabitur animus.

Tertio loco sequitur de invidia, circa quam tria breviter videamus: primo, eius diffinitionem; secundo, eius transgressionem; tertio, eius conditionem; quarto, ipsius parturitionem. Circa primo queritur utrum invidia sit peccatum, et videtur quod non. Scribit enim Ieronimus cuidam nobili viro pro instructione filie sue: Habeat, inquit, socias cum quibus adiscat, a quibus invideatur, quarum laudibus mordeatur: et sic non videtur esse peccatum; dicendum quod invidia est tristitia de bono alterius inquantum est diminutivum proprii boni. Et ideo homines qui sunt amatores glorie et honoris sunt invicem invidi, et maxime in illis bonis in quibus homines amant honorari; de quibus dicit sapiens in secundo Rethorice: Hec quidem bona sunt aut secundum genus, aut secundum conditionem, aut secundum statum, aut secundum habitum, aut secundum opinionem. Et ideo ad illos tantum invidia habetur in quibus homo vult se equare, vel in aliquo istorum preferre. Et ideo non est invidia respectu multum a se distantium; puta plebeius homo non studet se equare regi, quoniam rex multum eum excedit, et ideo hiis qui multum distant loco, vel tempore, vel statu, homo non invidet. Et ratio huius est quia nullus conatur ad ea in quibus est multum deficiens. Et ideo cum aliquis in hoc eum excedat non invidet, sed si modicum deficiat, videtur quod ad hec pertingere possit, et ideo ad hoc conatur. Iterum pusillanimes sunt invidi, quia quicquid boni alicui accidit, reputant se in magno superari. Et ideo dicitur in Iob: Parvulum occidit invidia. Secundo, videndum est de ipsius transgressione utrum sit mortale peccatum. Et dicendum quod cum invidia sit tristitia de alienis bonis, hoc contingit quatuor modis: Uno modo quando aliquis dolet de bono alicuius, inquantum ex eo timetur nocumentum vel sibi vel aliis sibi astrictis, et talis tristitia non est invidia; et potest esse sine peccato, iuxta quod Gregorius in Moralibus dicit: Evenire plerumque solet ut non amissa caritate, inimici nos ruina letificet, et rursum eius gloria sine invidie culpa nos contristet; ut cum, ruente eo, quosdam bene erigi credimus et proficiente illo plerosque iniuste opprimi formidamus. Alio modo potest contristari quis de bono alterius, non ex eo quod ille habet bonum, sed ex illo quod ei deest; et hoc proprie vocatur zelus, ut sapiens dicit in secundo Rethorice; et si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est; iuxta id quod habetur Ad Corinthios: Emulami spiritualia. Sed si fit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato et sine peccato. Tertio modo tristatur aliquis de bono alterius, eo quod indignus est ille cui accidit bonum. Et est intelligendum de bonis temporalibus que proveniunt interdum dignis et indignis, et hec tristitia, secundum quod dicit sapiens in secundo Rethorice, vocatur nemesis, que est quedam medietas, ut ipse sapiens narrat. Nam invidus qui est in uno extremo tristatur de bonis concessis dignis et indignis; alius autem qui est in alio extremo non tristatur, sive bona concedantur dignis sive indignis. Nemesicus vero, qui consistit in medio, gaudet de bonis concessis dignis et tristatur de bono concesso indignis. Sed hec tristitia prohibetur in divina scriptura: Noli emulari in malignantibus neque zelaveris facientes iniquitatem. Et ratio huius est quia sapiens moralis considerat ista bona temporalia secundum se, prout possunt magna videri non respicientibus ad eterna. Sed secundum doctrinam fidei, ista

temporalia proveniunt indignis ex iusta Dei ordinatione, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem; huius autem bona nichil sunt in comparatione ad bona futura que servantur bonis et dignis.

Quarto tristatur aliquis de bonis alicuius in quantum alter ipsum excedit in bonis, et hec proprie est invidia; et hoc est semper pravum, sicut sapiens dicit in secundo Rethorice, quia dolet de eo de quo esset gaudendum; et secundum suum genus est peccatum mortale; quod patet ex suo genere. Mortale enim dicitur quod vitam aufert et mortem inducit. Cum igitur invidia contrarietur caritati, per quam est vita anime spiritualis, iuxta illud Iohannis in canonica: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Manifestum est quoniam est peccatum mortale, nam caritas gaudet de bono proximi; invidia autem tristatur nisi excusetur propter imperfectionem actus, quia in quolibet genere peccati mortalis sunt aliqui actus imperfecti, qui sunt peccata venialia. Circa tertium nota quod conditio invidie est valde turpis et periculosa, quia invidia est fel diaboli infusum cordi humano. Unde in Actibus Apostolorum VII dixit Petrus ad Symonem: In felle amaritudinis video te esse. Fel enim est principium putrefactionis in corpore mortuo, quia cum frangitur cista fellis noxius humor diffunditur, qui est causa putrefactionis. Et invidia omnia interiora bona corrumpit in ipso momento; Proverbiorum XVIII: Putredo ossium invidia. Item invidia comparatur urso qui ad pelvim candentem excecatur; sic invidus ad bonum proximi obfuscatur, ut de eo dicatur illud Ecclesiastici XXV: Excecavit vultum suum quasi ursus. Ursus enim diebus festivis magis torquetur, quia per vicos trahitur, verberatur, a pueris lapidatur, et a canibus laceratur. Sic invidus magis affligitur videns honorem et decorem proximi. Unde Socrates: Quanta sunt felicium hominum gaudia, tanti sunt invidorum gemitus. Item invidia similatur talpe, que lumen solis sine morte diu ferre non potest. Habet enim oculos sub pelle debiles valde. Sic ipse invidus bonum proximi sine morte anime nequit aspicere. Gregorius: Invidus dum de alieno bono affligitur, quasi de radio solis excecatur. Item invidia est fera pessima, de qua ait Iacob patriarcha: Fera pessima devoravit filium meum. Est enim sevior leone, qui cum sit sevissimus inter omnia animalia, tamen predam suam inferioribus comunicat tanquam a natura edoctus, quod omne bonum in comuni est comuniter deducendum. Nam sine socio, teste Seneca et Boetio, nullius rei est iocunda possessio. Exemplum de quodam rege, qui concessit uni avaro et uni invido quod eligerent unum munus, ita tamen quod donum eius qui posterior peteret duplicaretur; et cum uterque differret petere, precepit rex ut prius petenti alter oculus erueretur. Statim petiit invidus ut sibi erueretur oculus unus, ut socio suo eruerentur duo. Et nota quod apparent exterius signa invidie que poeta Ovidus ponit in libro Metamorphoseos, libro 2°:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, liventque rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores;
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis.

Hiis signis poeticis consonat Gregorius dicens: Invidia est arbor cuius radix est superbia, truncus malivolentia, rami rancor et odium, folia detractio et mendacium, flores pallor et macies, fructus dolor et gaudium; dolor quem non extorquet nisi gaudium alterius, gaudium quod non provocat nisi dolor alienus.

Quantum ad quartum nota quod invidia parturit V pravas filias, scilicet odium, sussurrum, detractio, exultatio, et afflictio. Odium quidem, quia cum homo videt proximum suum in bonis temporalibus prosperari, incipit eum odire. Item aliquis diminuit gloriam et famam alicuius, et hoc dupliciter: vel scilicet in occulto, et sic est sussurrum; si vero in manifesto, sic est detractio. Et est sussurrum quasi occultum murmur. Sussurrare enim proprie est apum; translative vero, sussurrare est occulte detrahere. Detractio vero est quando quis malitiose diffamat absentem. Sed nota quod detractionis V sunt speties: prima, simpliciter malum de aliquo dicere, sicut Pharisei dicebant de Christo: Nequaquam bonus est, sed seducit turbas; Iohannis VII. Secunda est pervertere intentionem agentis vel dicentis; Ysaie V: Ve qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem. Tertia est minuere bonum etiam si omnino appareat bonum; Iob XI: In electis ponit maculam – subaudi detractor. Quarta est comparatione melioris alium deprimere, ut in Psalmo: Destruxisti eum ab emundatione, idest emendando unum, idest conmendando eum destruxisti reliquum, idest depressisti illum de quo fiebat sermo prius. Quinta est assentire murmurationibus. Augustinus: Qui libenter detrahit vel detractores audit, uterque diabolum habet; ille in ore, iste in aure. Et iterum Augustinus: Detractio tres interficit uno ictu: detrahentem, audientem, et illum de quo fit detractio.

Sequitur quarto loco de superbia, quam beatus Gregorius in libro Moralium inter vitia capitalia non assignat, sed dicit ipsam esse reginam et matrem omnium vitiorum. Est autem superbia, secundum Augustinum, XIIII libro De Civitate Dei, perverse celsitudinis appetitus. Et ideo homines de solis excellentiis superbire videntur; nam quidam superbiunt de scientia, que est excellentissimum bonum. Taliter autem superbienti dicit Dominus, Luce XI: Vide ne lumen quod in te est tenebre sint, ut patet in Lucifero, qui pro luce invenit tenebras. Sed nota quod propter duo spetialiter nullus debet in scientia gloriari, nec de ipsa inaniter superbire. Primo, quia pauca scimus; Ecclesiastes 93: Pauca novimus. Paulo autem dictum est, ut habetur in Actibus Apostolorum XXVI: Multe lictere te faciunt insanire. Secundo, quia nichil perfecte scimus. Intellectus enim humanus sic

se habet ad manifesta nature sicut ad lumen solis oculus noctue, ut dicit Philosophus. Ideo bene Plato aiebat: Hoc solum scio, quod nescio. Ieronimus: Nec etiam naturam unius culicis perfecte cognoscimus. Unde Symon magus quesivit a beato Petro, ut *In Clementis Itinerario* continetur, quare culex cum sex pedibus habet alas, camelus vero cum quatuor non habet. Nec est nobis alia ratio nisi voluntas creatoris, qui sicut voluit fecit. Quidam superbiunt de pulcritudine, que est excellens donum, quia per pulcritudinem corporalem devenimus in pulcritudinem spiritualem, et maxime creatoris. Dicitur enim quod dum quidam hereticus diceret quid est anima? et audientes nil respondere scirent, unus puer ait ad eum: Anima, licet videri non possit, tamen considerari potest eius essentia ac etiam pulcritudo, quia anima resoluta a corpore, corpus remanet quasi nichil, et tota eius perditur pulcritudo. Sed talis pulcritudo, quia inde homines inaniter gloriantur, vana protinus iudicatur. Unde Salomon: Fallax gratia et vana est pulcritudo. Vana ideo dicitur quia non diu manet; Ysidorus: Vanum est quod statum suum diu servare non potest. Ideo comparatur flori et nivi. Comparatur enim primo flori, qui ad tempus virescit et statim transit et marescit, deinde vanescit. Ideo monet poeta:

O formose puer, nimium ne crede colori;
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Secundo comparatur nivi super fimum, quia dum nix operit fimum, totum videtur album, sed ad solis calorem nix liquescit et fimus magis putrescit. Boetius: Quid est pulcritudo corporis nisi velamen turpitudinis? Boetius in libro De Consolatione: Si linceis oculis homines uterentur, ut visus queque obstacula penetraret, Alchibiadis corpus superficie pulcerrimum nonne turpissimum videretur? Et concludit: Te igitur pulcrum videri, non tua natura, sed spectantium oculorum reddit infirmitas. Hoc apparet in noctiluca, que in tenebris videtur aurea, in luce vero vermis. Adsili hominibus carnalibus, quia in tenebris sunt, pulcritudo venerea videtur incomparabiliter pretiosa. Sed non considerant quod pulcritudo veneris est excecatio mentis. Exemplum de Holoferne, qui dum vidit pulcritudinem et ornatum Iudit et maxime pedum, statim mente captus, ab ipsa fuit capite detruncatus. Unde Iudit X: Sandalia eius, idest calciamenta, Iudit rapuerunt oculos eius, scilicet Holofernis. Et ideo, secundum Gregorium, non licet intueri quod non licet concupisci. Impudicus enim oculus impudici cordis est nuntius, ut dicit Agustinus. Magna est enim vicinitas inter oculos et cor. Dicunt enim naturales quod in formatione hominis primo effigiatur cor, postmodum oculi. Ideo Augustinus, in VII Confessionum: Per quales, inquit, ymagines ibant oculi mei, per tales ibat et cor meum. David autem, nisi vidisset Bersabee nudam, nec adulterium cum illa perpetrasset, nec virum eius morti per suas licteras destinasset. Quidam superbiunt de veste pretiosa, quod est valde vanum, quia vestis non est homini concreata, sed aliunde mutuo acquisita. Nam ab ove habemus lanam, a terra linum, a vermibus siricum, et a bestiis corium; et hoc quia nudi ingredimur in hunc mundum. Damnatur autem vestis propter V, que arguuntur et inducunt peccatum in luxu vestium: Primum est pretiositas vel sumptuositas, quando tantum in uno vestimento expenditur de cuius superfluo possent vivere multi pauperes. Luce VIII: Ecce qui in pretiosa veste sunt, in domibus regum sunt. De nimio ornatu reprehendit Apostolus Timothi 2: Mulieres dicens volo vos orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Similiter et mulieres in habitu ornato – glosa decenti – cum verecundia et sobrietate – glosa mentis – ornantes se, non in tortis crinibus aut auro aut margaritis aut veste pretiosa. Secundum est multiplicitas, ut quando pertice pendent onerate vestibus et pauperes moriuntur frigore. Iob XXIV: Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes quibus non est operimentum in die frigoris. Ieronimus: Alicam rapere convincuntur qui ultra necessitate sibi retinere probantur. Tertium est curiositas quando nimis accurate sunt, etiam si sint viles. Augustinus: Nemo putet in luxu et studio vestium deesse peccatum, alioquin de asperitate vestium non laudaretur. Iohannis, Mathei VII. Quartum est indecentia, que respicit ordinem et statum persone: non enim decet clericum vestiri veste militari, vel hystrionica vel meretrica. Deuteronimi XXII: Non induetur mulier veste virilem, nec vir vestem muliebrem. Sophonias primo: Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina, idest qui nova genera vestimentorum procurant ad vanam gloriam. Quintum est ostensio, que respicit vanitatem et laudem, cum potius sit vituperium. Oportet enim ovem gloriari de lana, non te, et verme de sirico; Ecclesiastici XI: In vestimento ne glorieris unquam. Item nota quod purpura sanguine tingitur. Purpura ergo utuntur qui vestimenta sua multiplicant de sanguine crucifixi, ut clerici maxime, vel de sanguine pauperum, ut avari, raptores, et huiusmodi. Quidam superbiunt de dignitate, que terminatur in deiectione et vilitate. Exemplum de rege Anthioco, qui, ut habetur 2° Machabeorum V, videbatur sibi pre superbia imperare fluctibus maris, montes in statera appendere, et tandem consumptus vermibus et fetore expiravit. Pessima igitur est conditio superbie que facit hominem sui status protinus oblivisci. Nam homines positi in sublimi in principio quidem sunt mansueti, sed in fine feroces: et hoc totum superbia operatur. In figura huius habemus exemplum de Nabuchodonosor, qui elatus in superbiam effectus est divino iudicio in parte anteriori bos, qui est animal mansuetum; in parte vero posteriori factus est leo, qui est animal ferox. Et ideo homo superbus nec Deo obedit, nec consortio humano consentit, nec rationis regulis acquiescit. Dico primo quod homo superbus Deo non obedit, quia sicut dicitur in Iob: Ambulant adversus Deum erecto collo. Et Boetius dicit quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit, quia cum in quolibet peccato sint duo, scilicet aversio et conversio, alia peccata dicuntur per respectum ad conversionem, superbia vero principaliter per aversionem. Et ideo in omni peccato superbia includitur, per quam homo a Deo avertitur. Secundo, homo superbus humano consortio non consentit. Videmus enim quod omnia secundum quendam

ordinem sunt disposita et ad invicem consortia habentia. Sed superbia istum ordinem dissipat; et hoc sic patet, que secundum conditionem res nobilitatem recipiunt et locum altiorem sortiuntur. Unde animalia que conditionem sensibilem habent sunt semper vegetabilia, herbas, et plantas. Et quia homo habet cognitionem intellectualem, constituitur super omnia alia, et super ea dominium habet iuxta id ut presit volatilibus, celi, et piscibus maris. Et quia Deus nobilissimam habet conditionem super omnia exaltatur, et istum ordinem invenimus in humana natura, quia, sicut dicit sapiens in sua Politica, homo qui intellectu viget naturaliter aliis dominatur, et qui deficit intellectu et prevalet robore naturaliter est servus. Et hoc est quod dicitur in Scriptura Divina: Qui stultus est, serviet sapienti. Sed hunc ordinem subvertit superbus. Unde dicitur in Ecclesiastico: Vidi aliud malum sub sole quasi per errorem egrediens a facie principis, scilicet stultum positum in sublimi. Sed ratio huius est quia iusto iudicio Deus hoc permittit, quia quanto superbus altius elevatur, tanto profundius demergitur. Unde dicitur in Psalmo: Vidi impium superexaltatum et elevatum. Et sequitur: Transivi et ecce non erat. Tertio, homo superbus non acquiescit regulis rationis: unum quodque enim habet aliquod bonum per quod aliquam excellentiam assequitur, et quanto magis aliquid est bonum, tanto maiorem excellentiam habet. Et ideo, cum aliquis attribuit sibi maius bonum quam habeat, consequens est quod eius appetitus ultra modum sibi convenientem in propriam excellentiam tendat. Et ideo quandocunque homo recedit a regulis rationis, sive per excessum sive per defectum, oportet quod peccatum incurrat, et moraliter loquendo, a propria natura recedat. Et huius exemplum habemus a sapiente in numeris. Accipiamus enim ternarium: si ei unitas auferatur, mutatur ipsius ternarii speties et remanet binarius; et si ternario addatur unitas, resultat quaternarius. Et simile est in proposito: si enim homo sequatur regulam rationis vere, dicitur homo; si autem a ratione defluat per luxuriam, iam non erit de eo iudicium sicut de homine, sed sicut de bruto animali. Si autem excederet regulam rationis per superbiam, tunc de eo erit iudicium sicut de dyabolo, qui fuit pater superbie. Unde fit, secundum Boetium, quarto De Consolatione, ut qui probitate deserta homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belvam. Quidam superbiunt de scemate, idest de nobilitate generis, quod est valde fatuum triplici consideratione: prima consideratio est quia omnes facti sumus ab uno Deo, et omnes descendimus ab uno homine, scilicet Adam. Non enim factus est unus ab uno Deo et alius ab alio, nec unus descendit ab uno homine et alius ab alio, sed omnes habemus unum Deum qui nos fecit et unum patrem a quo processimus. Nec etiam Adam habuit nisi unam uxorem, quod homo possit dicere ego sum natus de una et illa erat nobilis, et tu de alia et illa erat ignobilis. Unde Boetius, tertio De Consolatione: Omne hominum genus simili surgit ab ortu: unus enim pater est. Quid genus et proavos strepitis? Si primordia vestra autoremque Deum spectes, nullus degener extat, ni vitiis peiora fovens proprium deserat ortum. Secunda consideratio est quia omnes facti sumus ex una et eadem materia, scilicet de terra lymosa. Non enim fecit Deus unum hominem aureum vel argenteum, ex quo nascerentur nobiles, et alium terreum sive luteum, ex quo nascerentur ignobiles, sed omnes sumus ex eadem massa creati. Ideo de nobilitate generis superbire non decet. Versus:

Cum fex, cum lymus, cum res vilissima simus,
Unde superbimus? ad terram terra redimus.

Tertia consideratio est quia omnes nudi in hunc mundum intramus et nichil nobiscum, preter culpam, portamus. Non enim rex Francie, aut soldanus Babilonie, nascitur indutus vel coronatus. Unde Salomon: Nemo ex regibus habuit aliud nativitatis exordium. Ideo beatus Iob, qui fuit rex, dicebat: Nudus egressus sum de utero matris mee, nudus illuc revertar. Si autem dicis, et si omnes intramus in hunc mundum uniformiter pauperes et mendici et similiter inde eximus, tamen multi in vita sunt divites et potentes. Audi quid dicat de eis propheta, Baruch 3°: Ubi sunt principes gentium qui dominantur in bestiis terre? qui in avibus celi ludunt, qui argentum et aurum thesaurizant, in quo confidunt homines? Et respondet: Exterminati sunt. Idest extra terminos celi et mundi positi sunt et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. Et poeta: Quo pater Eneas, quo dives Tullius Anchus? Pulvis et umbra sumus. Preterea, si omne quod nascitur ex nobili viro est nobile, pediculi nobilium debent dici nobiles, quod falsum est. Sic simili modo filii nobilium qui non sunt in vita et moribus generosi, non nobiles sed degeneres sunt dicendi. Unde Boetius: Si malus es, incipit contra te ipsorum parentum stare nobilitas. Et Iuvenalis, satira VIIIa: Malo pater tibi sit Tersites, dum modo tu sis / cachidi similis vulcanaque arma capescas / quam te Thersite similem producat Achilles. Si autem queris que sunt filie superbie, respondeo quod omnia peccata et omnia scelera ac etiam omnia mala ab ipsa procedunt. Et sic patent quatuor vitia capitalia que in ista palude Stigia sunt submersa.

vv. 43-45

Alma sdegnosa,
benedetta colei che 'n te s'incinse.

Verba sunt Virgilii ad autorem. In quibus verbis duo facit ipse Virgilius; nam primo commendat autorem cum dicit ipsum habere naturam contra vitium arrogantie dedignantem, in eo quod Dantes dedignatus fuit contra arrogantiam illius anime paludose. Ideo ait: «Alma sdegnosa». Secundo, benedicit et laudat illam que talem fructum gestavit in utero, ibi: «benedecta colei che 'n te

s'incinse»; idest, benedicta sit illa que tui gravida fuit. Et est istud «incingere» vocabulum Romanorum; nam cum volunt dicere: «Illa mulier est gravida, sive pregnans», dicunt: «Illa mulier est incincta».

vv. 61-63

Tutti gridavano: «A Phylippo Argenti». Iste fuit quidam miles de Adimaribus de Florentia, totus accidiosus, iracundus, invidus, et superbus. Et dicitur quod vocabatur Phylippus Argenti quia equum suum faciebat ferreis argenteis ferriari.

vv. 64-66

Quivi 'l lasciamo, che più non ne narro;
ma nell'orecchie mi percoss'un duolo,
perch'io avanti intento l'occhio sbarro.

In ultimis quando autor dimisit istum Phylippum in illa derisione ab illis peccatoribus taliter derideri, ille Phylippus quibusdam verbis autorem in aure percussit, que quidem verba, quia ipse autor non bene intellexit, ideo ipsa non scribit; sed ut moris est in illo dolore quem in aure recepit, oculos aperuit et extra produxit. Ideo ait: «perch'io avanti intento l'occhio sbarro»; *sbarrare*, idest <aperire>.

vv. 67-69

Lo buon maestro diss'«Omai, filliuolo,
s'appressa la città c'à nome Dite,
etc. Ditis est quedam civitas in medio Inferni posita, in cuius circuitu est illud pantanum obscurum, turbidum et nubilosum, quod dicitur Stix. Que civitas ideo Ditis a poetis appellatur, quia in ea et subter eam sunt thesauri Inferni absconditi, idest peccatores maximi collocati, ut sunt heretici, tyranni, raptores, desperati, blasphemi, sodomite, usurarii, fraudulenti, et proditores. Ideo sequitur in textu: «co' gravi cittadin, col grande stuolo». De hac civitate ait Ovidius, IIII libro Metamorphoseos: «Mille capax aditus et apertas undique portas / urbs habet». Mille autem portas habere dicitur, quia per mille vias itur ad Infernum.

vv. 70-72

Et io, maestro già le sue meschite
là entro certo ne la valle cerno.
Meschite proprie lingua sarracenica sunt phana et templa ipsorum. Hic autem ponuntur pro turribus et meniis civitatis.

vv. 124-126

Questa lor tracotanza non è nova;
che già l'usaro a me in secreta porta.

Ista porta sacrata est illa prima porta Inferni super quam scripti sunt novem rithimi qui incipiunt: «Per me si va ne la città dolente», etc. <Sacrata> autem dicitur propter duo, secundum quod res dicitur sacrata duabus de causis, dico quantum ad presentem materiam. Nam res dicitur <sacrata>, primo propter immunitatem, sicut sunt templa sive ecclesie sacre, que ab imperatoribus sunt dotate et privilegiate ut nullus malefactor intrans illud templum, vel illam ecclesiam, possit inde extrahi vel moveri; secundo modo res dicitur <sacra> quando violari non licet, sicut quedam leges vel statuta civitatum sacra dicuntur quia violari non possunt. Et secundum istos duos modos porta Inferni dicitur sacrata: Primo, quia nulli intrare negatur accessus. Ideo autor ait in textu: «la qual senza serrame ancor si trova»; et similiter

nulli intranti exitus condonatur. Secundo, quia leges Inferni violari non possunt. Unde infra, secunda cantica, cantu primo, dixit Cato Virgilio et autori quando vidit eos de Inferno exire:

Son le leggi d'abisso così rotte?

o è mutato in ciel nuovo consillio,

che, dannati, venite a le mie grotte?

Et propter ista duo dicitur ibi in textu: «Lasciat'ogni speranza voi ch'entrate».

Sopr'essa vedestù la scritta morta. Ista scriptura mortua est illa de qua dicit superius autor tertio cantu: «Queste parole di colore obscuro / vid'io scritte al sommo d'una porta».

vv. 127-130

Et già di qua da lei discende l'erta. Quando demones in faciem Virgilii clauserunt ianuas civitatis, statim missus fuit de celo unus Angelus ut, malis gratibus illorum spirituum malignorum, civitatem aperiret, et eis liberum introitum exhiberet. Ideo ait autor in textu:
Et già di qua da lei discende l'erta,
passando per li cerchi senza scorta,
tal che per lui ne fia la terra aperta.
Iste cantus continet duas comparationes et V notabilia.

[Comparationes]

vv. 13-15

PRIMA COMPARATIO.

Corda non pinse mai da sè saetta
che sì corresse via per l'aere snella,
com'i' vid'una nave piccioletta.
Lictera plana est.

vv. 22-24

SECUNDA COMPARATIO.

Qual è colui che grande 'nganno ascolta
che li sia fatto, et poi si ne rammarca,
fecesi Fregias nell'ira accolta.
Lictera etiam plana est.

[Notabilia]

vv. 34-36

PRIMUM NOTABILE.

S'i' vengo, non rimango. Interrogatus autor a domino Phylippo Argenti dicente: «Chi se' tu che vieni anzi ora»? Hoc est, quis es tu qui ante horam mortis ad inferna descendis? ait: «S'i' vengo, non

rimango». In qua responsione unum pulcerrimum notabile et valde morale breviter continetur. Homo enim sapiens, licet peccet, non tamen in illo peccato perseverare proponit. Ideo ait: «Si ego venio, non remaneo». Vel aliter, multotiens accidit quod homo sapiens atque bonus aliorum peccata considerat, scrutatur, et videt, non ut peccet, sed ut ab ipsis caveat, vel peccantes ab eisdem peccatis erigat ad salute[m].

vv. 46-48

SECUNDUM NOTABILE.

Bontà non è che sua memoria fregi. In hoc notabili demonstratur quam sit vilis conditio hominis arrogantis, in hoc quod nulla memoranda memoria de ipso remanet in hoc mundo. Ideo ait, ubi loquitur de domino Phylippo: «Nulla bonitas memoriam suam ornat».

vv. 49-51

TERTIUM NOTABILE.

Quanti si tengon or là sù gran regi
che qui staranno come porci in brago.

Quam sit dispar in Inferno superborum et arrogantium conditio sive status, a conditione et statu quem habent et obtinent in hac vita in hiis duobus rithimis a Virgilio demonstratur; in quibus ponit quod omnes illi qui se superbe et arroganter retinent vel reputant esse magnos, erunt in Inferno velut porci in volutabro involuti. Et istud concordat cum sententia Salvatoris, qui ait in Evangelio beati Mathei, XXIII capitulo: Qui se exaltat humiliabitur.

vv. 106-108

QUARTUM NOTABILE.

Ma qui m'attendi, et lo spirito lasso
conforta et ciba di speranza bona.

Licet, secundum sententiam Salomonis, spes que differtur affligat animam, nichilominus tamen spes habet animam cibare et confortare, propter premium quod expectat. Unde videmus in homine militari quod, propter spem quam habet de premio, audacter aggreditur non solum ardua, sed etiam ipsam mortem.

vv. 109-111

QUINTUM NOTABILE.

Che 'l sì e 'l no nel capo mi tenciona. In hoc notabili ostenditur causa quare spes dilata habet animam tormentare; quia sic et non in capite altercantur.

Et sic patet VIII cantus prime cantice.

IX

[Incipit]

INCIPIT VIIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto VIIII cantu prosequitur quod in superiori incepit preambulum, scilicet ad circulum sextum, in quo ponit hereticos tumulatos et incipit ibi: «Dentro vi 'ntramo senz'alcuna guerra», et finit in subsequenti cantu, ibi: «Lo nostro scender convien esser tardo», etc. Et tractat in isto cantu

principaliter tria: Primo de tribus Furiis infernalibus, que tenent typum heretice pravitatis; secundo de Gorgone, que tenet typum terroris et oblivionis; et tertio de quodam nuntio, qui fuit missus de celo ut portas panderet civitatis, qui nuntius tenet figuram sive similitudinem veritatis, que omnia secreta et absconsa revelat.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-30

Sicut in superiori cantu habetur, quando demones clauserunt portas civitatis Virgilio, reversus est ipse Virgilius ad autorem totus melancolicus et quasi totus in mente prostratus; quod attendens et considerans ipse autor totus pusillanimus est effectus, et ista talis pusillanimitas colorem pallidum in faciem eius pinxit; qui quidem pallor similem colorem quem habebat Virgilius tunc restrinxit. Ideo continuando, sic incipit istum cantum:
Quel color che viltà di fuor mi pinse
vegendo 'l duca mio tornare in volta,
più tosto dentro il suo novo ristrinse.
Hoc est, ille color quem pusillanimitas exterius in me depinxit, videndo ducem meum reverti sconfictum, citius suum novum colorem restrinxit interius. Et bene dicit novum, quia sapiens non ita de levi a passionibus conmovetur. Et statim illo colore pallido interius ad se tracto, attente se firmavit ipse dux, sicut solet facere auscultans et expectans aliquid quod videre non potest. Et sic auscultans si veniret, scilicet id quod expectabat, quia a longe videre non poterat, propter aerem caliginosum et nebulam spissam, ait ut confortaret autorem: «Omnino sine dubio nos vincemus, sin autem talis fuit punitus. O quantum videtur michi tardum quod id quod expecto huc veniat». Audiens autem Dantes ista verba Virgilii, quorum principium cum fine minime concordabat, ne momentum aliquod pertransiret quod ipse cum magistro non proficeret, ex quo non ibant quia aliquid expectabant, ait ad eum: «In istum fundum Inferni descendit unquam aliquis de primo gradu? hoc est de primo circulo? in quo quidem circulo non est alia pena nisi spes protinus detruncata?» Et Virgilius ad eum ait: «Raro de nobis qui habitamus in primo circulo in castro, scilicet illo aliquantulum luminoso, aliquis vadit per istud iter per quod nos vadimus modo. Verum est quod una alia vice huc inferius fui adiuratus ab illa avida Eritone que antiquitus, dum vivebat, animas ad sua corpora revocabat. Et fecit me intrare, modicum post mortem meam, in illum circulum ubi habitat Iudas Scarioth, ut extraherem inde unum spiritum quem volebat. Ille enim locus in quem descendi est obscurior et magis elongatus a celo quam locus aliquis infernalis. Unde, quia alias inferius huc descendi, bene scio istud iter, et idcirco facio te securum».

vv. 34-133

Et dum sic autorem huiusmodi locutionibus et demonstrationibus confortaret, dicit ipse autor se vidisse in chacumine unius turris excelse tres Furias infernales, sanguine tinctas, ydris viridissimis cinctas, et cerastibus coronatas; quarum una vocatur Alecto, altera Thesiphon, et tertia Megera. Que quidem Furie, quia succursum de celo missum venire sciebant, cum unguibus pectora sua scindebant, manibus se percutiebant, et alta voce Gorgonem clamabant dicentes: «Veniat Medusa, ut ipsum convertat in lapidem. Male enim fecimus non vindicando nos de Theseo». Tunc Virgilius ait ad Dantem: «Volve te retro et tene visum clausum, quia si Gorgon se ostenderet et tu eum videres, nunquam posses reverti superius». Et hoc dicto, statim Dantem convertit ad se ipsum, et propriis manibus cooperuit sibi visum. Et quamvis Dantes aliquid oculis discernere non valeret, tamen auditu persensit super aquas Stigias unum sonum terribilem, tanto pavore repletum, quod ambe ripe illius paludis ex tali conmotione tremebant. Et ille rumor tam terribilis et tam pavidus nichil aliud erat nisi adventus Meduse, que ad clamorem Furiarum veniebat, ut Dantem in lapidem conmutaret. Sed postquam pertransiit talis tremor, Virgilius solvit oculos ipsi Danti. Et tunc vidit quendam benignum nuntium super aquas Stigias siccis pedibus ambulantem, ante cuius faciem omnes anime, que sunt in illa palude submerse, contuse, timore terribili fugiebant. Quem cum vidisset Virgilius innuit Danti ut ei inclinato capite reverentiam exhiberet. Et ille nuntius sic super aquas Stygias ambulando devenit ad ianuas civitatis, quas cum una virgula reserans, ait ad illos demones qui clauserant eas: «O expulsi de celo, gens despecta, unde ista superba arrogantia in vobis allicitur? Cur recalcitratis illi voluntati, cui nunquam potest finis esse truncatus? Quid iuvat cum fronte percutere petram? Cerberus enim vester, si bene recolitis, propter hunc simile gestat adhuc mentum depilatum et guttur». Et hiis dictis, per viam qua venerat est reversus. Et tunc, videntes portas civitatis apertas, intus sine impedimento aliquo intraverunt. Quibus ingressis, dicit autor quod tota illa civitas erat plena sepulcris, et sepulcra interius adeo plena flammis, quod nulla ars reperitur in mundo que ferrum magis requirat ignitum. Et de istis sepulcris terribiliter tam ignitis, quia erant omnia opertoria sublevata, exibant ita dure lamentationes, quod bene videbantur lamentationes protinus miserorum. Quas voces miseras audiens, autor ait ad Virgilium: «Que sunt iste gentes que sepulte in istis archis se faciunt sentiri cum suspiriis dolentibus?» Cui ait ipse Virgilius: «Hic sunt heresiarche, cum eorum sequacibus cuiuscunque secte, et multo plus quam tu credas ex eis sunt iste tumbe replete. Similis

hic cum simili est sepultus, et monumenta sunt calida secundum magis et minus, idest secundum quod magis et minus in hoc mundo heretici erraverunt». Et postquam Virgilius assignavit Danti miseram conditionem istius misere civitatis, dicit ipse autor quod inter muros et sepulcra iter a dextris arripuerunt. Unde ait in textu: «Poscia c'a la man dextra si fu vòlto, / passamo tra' martiri», idest sepulcra, «et li alti spaldi», idest altos muros.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Quel color che viltà di fuor mi pinse

Iste color, quem pusillanimitas in faciem Dantis pinxit, est color pallidus, qui quidem accidere solet duabus de causis: prima est quando homo interius concipit timorem; secunda est quando concipit amorem. Corpus enim, secundum philosophos, ad conceptionem anime commovetur; nam ad conceptionem rei terribilis totus homo pallescit. Et ratio huius est quia quando homo timet, totus calor naturalis fugit ad interiora, et sic exterius remanet pallidus ac etiam congelatus. Unde poeta: «Calor exteriora reliquit». Et per istum modum videns autor suum ducem a demonibus sic derisum, et quodammodo debellatum, quia erat ei suum iter ita rustice impedimentum ad conceptionem rei tam terribilis, totus pavidus est effectus. Sicut solent fieri milites pavidi dum vident suum ducem fugere vel timere in prelio, similiter quando concipit amorem, interius totus pallescit et frigescit exterius: et hoc etiam propter causam iam superius assignatam. Unde Ovidius: «Palleat omnis amans, hic est color aptus amanti». Similiter, ad conceptionem rei verecunde, homo exterius erubescit. Et ratio huius est: Quando enim homo facit vel recipit aliquod turpe, quod sit verecundia dignum, calor interior ad exteriora procedit, ut illum verecundum a se proiciat et expellat. Unde, de primo, Ovidius in libro Metamorphoseos: «Heu quam difficile est crimen non prodere vultu». De secundo idem Ovidius, eodem libro: «Nays ab his tacuit pueri rubor ora notavit; / nescit quid sit amor, sed erubuisse decebat». Quia nanque puer ille de turpi requirebatur a Nay, ideo totus in facie apparuit rubicundus.

vv. 7-9

«Pur a noi converrà vincer la punga»,
cominciò ei, «se non... Tal ne soferse,
etc.

Virgilius sic turpiter a demonibus debellatus, de celo auxilium expectabat, et ideo dicebat: «Pur a noi converrà vincer la punga», sin autem talis fuit punitus. Vult hic dicere Virgilius: Si nos non vincemus, isti qui clauserunt portas terribiliter punientur, quia Cerberus non tantum peccavit in impediendo Theseum, quando momordit Caronem, quantum peccaverunt isti quando clauserunt ianuas civitatis. Et nichilominus erit nobis tandem civitas patefacta. Sed quia spes que differtur affligit animam, secundum sententiam Salomonis, ideo adiungit ipse Virgilius: «O quanto tard'a me c'altri qui giunga».

vv. 16-18

Ke sol per pen'à la speranza cionca. Illi qui habitant in primo circulo nullam aliam penam habent nisi solummodo spem truncatam: Ubi est notandum quod due sunt spes: una secundum naturam; altera secundum gratiam. Spes enim secundum naturam est illa, qua mediante, ex uno iuvene et una iuvene, vel altero iuvene et altero sene, nasciturus filius expectatur. Spes vero secundum gratiam est illa, qua mediante, de ambobus senibus filius generatur; sicut ex Abraham nonagenario et Sarra octagenaria natus est filius, scilicet Ysaach. Et de his duabus spebus ait Apostolus, loquens de Abraham, qui contra spem in spem credidit ut esset pater multarum gentium, idest contra spem nature in spem gratie credidit Abraham ut esset pater multarum gentium, idest ut haberet filium multarum gentium genitorem. Sic eodem modo philosophi, et poete, et alii qui habitant in primo circulo, contra spem gratie, qua privatos omnino se sentiunt, sperant in spem nature vel rationis. Non enim dictat lex vel ratio naturalis ut homo non peccans temporaliter nedum eternaliter puniatur. Cum itaque illi iusti qui sunt in primo circulo iuste et virtuose vixerint in mundo, non debent secundum legem vel rationem humanam eternaliter condemnari. Sed lex divina mandat quod quicumque in Christum non crediderit et baptizatus non fuerit, condemnetur. Et sic contra spem que procedit a gratia habent spem sive desiderium quod oritur a natura. Et ideo ait Virgilius supra, quarto cantu, circulo primo: «Per tai difecti, non per altro rio / semo perduti, et sol di tanto offesi / che senza speme vivemo in disio». Et hic ait autor in textu: «che sol per pen'à la speranza cionca».

vv. 22-24

Ver'è c'altra fiata qua giù fui,
congiurato da quella Ericto cruda,

etc. Ista Ericto fuit quedam mulier de Thesalia, maga et venefica valde magna, que, ut scribit Lucanus in VI, suis incantationibus animas mortuorum ad propria corpora revocabat. Ad hanc enim Erictonem accessit Sextus filius Pompei, volens ab ea scire quem finem habitura erant bella plus quam civilia, que in brevi tractanda erant, sive potius finienda, inter Cesarem et Pompeum. Et ait ei:

O decus Emenidum, populis que pandere fata

Queque suo ventura potes devertere cursu,

Te precor, ut certum liceat michi noscere finem

Quem belli fortuna parat. Non ultima turbe

Pars ego Romane, Magni clarissima proles,

Vel dominus rerum vel tanti funeris heres.

Ad cuius preces Ericto unam animam in corpus proprium revocavit, ipsum admirans, ut sibi dicat quid de bello futuro senserit in Inferno. Tunc ille: Vidi Decios Curiosque tristes flentemque Camillum, pro destructione – intelligas Romanorum. Vidi Scipionem, qui plorabat pro nepote suo qui erat interficiendus in Libia cum Catone. Solum autem Brutum, qui Tarquinum fugavit, vidi gaudentem, quia Brutus, qui erat de domo sua, erat Cesarem occisurus. Tibi autem Sexte dico quod ducibus busta parantur, uni in Nilo, alteri vero in Tiberi. Et hoc dicit quia Pompeius erat interficiendus in Egypto, et Cesar in Roma.

vv. 37-39

dove in un punto furon dricte ratto
tre furie inferna di sangue tinte,
che membra feminili aveno et acto.

Tractaturus autor de sexto circulo, in quo heretica pravitas est sepulta, primo ponit tres infernales Furias se vidisse eiulantes, flentes, et alta voce Medusam vocantes. Ad quorum omnium notitiam est notandum quod iste tres Furie gerunt typum et figuram heretice pravitatis. Nulla enim pravitas est ita prava et ita periculosa, sive procedat a corde, sive procedat ab ore, sive procedat ab opere, sicut hereticorum sive paterinorum nequitia. De qua ait Leo papa, in epistula ad Flavianum Constantinopolitanum contra Euticen hereticum: «Quid iniquius quam impia sapere et sapientioribus doctioribusque non credere?» Tres autem ideo furie sunt, quia tres sunt hereticorum prave et periculose nequitie. Nam prima procedit a corde: impia scilicet sapere et impia credere; secunda procedit ab ore: divinam scripturam falsis expositionibus exponere et predicare; tertia vero procedit ab opere: simplices animas sub pretextu salutis in errorem inducere. Hiis tribus pravis nequitiis correspondent nomina Furiarum. Nam Alecto correspondet prave cogitationi; interpretatur enim Alecto <impausabilis>, idest <mala et prava cogitatio>. Thesiphone correspondet prave locutioni; interpretatur enim Thesiphone <supposita vox>; nam *thesis* grece, latine <positio>; *phonos* vero

<vox> interpretatur; inde Thesiphone, idest <mala et prava locutio>. Megera vero correspondet prave operationi; interpretatur enim megera <magna in malo constantia>. Unde versus:
Mentes, verba, manus, Alecto corda flagellat,
Thesiphone verba corrumpit, Megera manus.

Item alii versus:

Excitat Alecto mentes, ad iurgia linguas

Thesiphone stimulat, ad turpia facta Megera.

Medusam autem ideo vocant, quia terrorem et oblivionem inmittere sibi volunt; quia videndo autor ipsam, que Gorgon alio nomine nuncupatur, totus territus extitisset, et ex terrore fuisset sibi oblivio subsecuta. Interpretatur enim Medusa <terror>, et Gorgon <oblivio>. Ideo ut Dantes Inferni secreta non videat sibi terrorem conantur immittere, et ut ea que iam viderat aliis revelare nequeat, conantur ipsum in oblivionem inducere. Ex terrore enim nascitur oblivio. Idcirco fingitur Medusa homines in lapides convertisse, quia terror aufert homini interius consilium atque mentem, exterius vero potentiam sensuum et membrorum. Unde Iulius Celsus: Terror, inquit, hominibus consilium mentemque eripit et membra debilitat. Mos itaque est omnium hereticorum eorum nequitias et pravitates semper occulta[s] tenere, et ab oculis bonorum et catholicorum protinus occultare. Et sic verificatur in eis illud Evangelicum: Qui male agit, odit lucem. Et Iob: Oculus adulteri observat caliginem.

Quidam autem istas Furias dicunt esse tres in homine passiones, scilicet concupiscentiam, cupiditatem, et iram; quibus Deus imposuit certos terminos sive leges, videlicet ut homo utatur concupiscentia ad filiorum procreationem, cupiditate ad necessariorum procurationem, ira vero ad subditorum correctionem. Si vero homo istos terminos excedit, tunc iste passiones iam non passiones, sed Furie appellantur; quia, ut ait Lactantius, nisi reprimantur et refrenentur, faciunt furiosum hominem et insanum. Nam libido adeo insanit et furit, quod trahit hominem aliquando ad bestiales etiam voluptates. Exemplum habemus in libro Regum de Amon filio David qui, bestiali furens voluptate, suam germanam Thamar virginem violavit. Cupiditas etiam facit ita hominem insanire, quod de fido socio et amico seu fratre facit multotiens non solum inimicum, sed etiam proditorem. Exemplum in ystoriis Romanorum de Romulo, qui fratrem suum Remum callide occidi mandavit. Unde Ovidius: Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Ira vero intantum furit quod multotiens in sua viscera retorquetur, sicut de Romanis habemus, qui tempore plus quam civilis belli gladios hostiles in sua viscera retorserunt. Unde Lucanus in primo: Qui[s] furor, o cives, que tanta licentia ferri? / Gentibus invisis Latium prebere cruorem. Et de istis tribus furiis ait beatus Ysidorus, VIII Ethymologiarum: Aiunt pagani tres furias crinitas serpentibus, propter tres effectus qui in animis hominum multas perturbationes gignunt: ira, que vindictam cupit; cupiditas, que desiderat opes; libido, que appetit voluptates. Que ideo furie appellantur, eo quod stimulis suis mentem feriant et quietam esse non sinant. Et secundum istam intentionem non referuntur iste furie solum ad hereticos, ut in superiori expositione patet, sed etiam ad omnes universaliter peccatores, qui istis passionibus tanquam furiis agitantur. Sed autor videtur primam intentionem habuisse ex quo ipsas Furias collocat in meniis civitatis, ubi stant heretici tumulati, ac etiam propter interpretationes tam in diffinitionibus quam in versibus superius assignatas.

vv. 40-42

Et con idre verdissime eran cinte. Ydre sunt serpentes aquosi; nam *ydor* grece, latine dicitur <aqua>. Et signant isti serpentes aquosi duo peccata principaliter in hereticis: primum est venenosa locutio, quia serpens venenum portat in ore: Unde Psalmista: venenum aspidum sub labiis eorum. Secundum est lasciva et luxuriosa operatio, qua quidem cincti et circumcincti sunt heretici, et maxime epycurei, qui summam felicitatem ponunt in delectatione carnali. Contra quos ait Dominus in Evangelio: Sint lumbi vestri precincti. Ubi ait beatus Gregorius: «Lumbos enim precingimus cum carnis luxuriam per continentiam coartamus».

Serpentelli ceraste aven per crine. Cerastes est serpens parvus et cornutus, et dicitur a *ceros*, quod est <cornu>. De quibus cerastibus illud idem sentit Statius ubi loquitur de Thesiphone, primo libro Thebaydos, dicens: Centum illi stantes umbrabant hora ceraste. Et Seneca, primo libro Tragediarum: Seva Thesyphone caput / vallata serpentibus. Et Claudianus libro primo, ubi loquitur

de Alecto, ait: Alecto stetit in mediis vulgusque tacere iussit, et obstantes integrum repulit angues; per que humeros errare dedit. Et eodem libro, ubi loquitur de Megera ait: Illa ubi ceruleo erines connexuit angue. Et signant isti serpentes cornuti venenosam hereticorum nequitiam, qua tanquam cornibus inpugnant agnitam veritatem.

vv. 43-45

de la regina de l'eterno pianto,
«Guarda», mi disse, «le feroci Erine.
Questa è Megera.

Potest hic merito queri, cum sint tres Furie, scilicet Alecto, Thesiphone, et Megera, quare Megera eterni luctus regina vocatur. Respondeo: Peccatum enim quanto hic est maius, tanto maiorem penam et luctum in Inferno meretur; iuxta illud: Quantum se glorificavat et in delitiis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. Et iuxta illud: Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus. Cum itaque Megera peccatum inique operationis importet, merito eterni luctus regina vocatur. Interpretatur enim, ut dictum est, <magna in malo constantia>. Non enim prava cogitatio nec prava locutio, sed prava operatio hominem hereticum facit. Unde beatus Augustinus: Error non facit hereticum, sed erroris defensio. Et ideo bene Claudianus ipsam Megeram, tanquam reginam, dicit in Inferno sedere. Ait enim de ipsa, libro primo: Improba mox surgit tristi de sede Megera.

vv. 46-48

Et tacque a tanto. Verba sunt Dantis loquentis de Virgilio. Quam quidem clausulam sic expone: Virgilius enim demonstravit ac etiam denominavit illas tres Furias ipsi Danti, dicens: illa que est in medio est Thesifone; illa que est a sinistris est Megera; illa vero que est a dextris est Alecto. Et sic prima est Alecto, secunda Thesyphone, tertia vero Megera. Et hiis dictis, siluit Virgilius. Ideo ait autor in textu: *Et tacque a tanto*.

vv. 52-54

Vegna Medusa, sì 'l farem di smalto. Furie infernales, videntes descendere ad considerationem Inferni hominem sapientem, Medusam invocant alta voce, ut suo aspectu homo carneus in lapidem commutetur, ne secreta que sunt in illa civitate sepulta videat, et nec aliis revelare queat. Ubi notandum est quod quidam rex nomine Phorcus habuit quandam filiam que dicta est Medusa, sive Gorgon. Huic Meduse pater regnum reliquit, que sua pulcritudine intuentes totaliter dementabat. Unde fabulose ponit Ovidius ipsam Medusam homines in lapides convertisse. Sed re vera quedam lasciva mulier fuit, que tanta pulcritudine pollebat quod quicunque eam aspiciebat extra mentem statim fiebat. Hanc autem Medusam, ut ponit magister in ystoriis scolasticis, Perseus filius regis Athenarum interfecit. Ait enim sic super librum Iudicum: Perseus Gorgonam occidit meretricem, que ob nimiam pulcritudinem speculatores suos mentis impotentes reddebat. Huius autem Meduse dico fabulas consectando incredibilis pulcritudo et fama divitiarum excitaverunt Perseum, qui in manu potenti regnum ipsius Meduse intravit, regnum cepit, caput illi amputavit, ventrem eius ense aperuit, ex cuius sanguine, ut poetarum fabule ponunt, ortus est quidam equus alatus qui vocatus est Pegasus; qui equus ad montem Elycon currens ungula fodit terram, et fontem Musarum et poetarum produxit. Allegorice per Medusam, sive Gorgonem, accipimus terrorem et oblivionem, quibus Perseus, idest homo sapiens, caput amputat, dum tenaci memorie terrorem fugiens semper intendit. Mortua autem oblivione pariter et terrore, Pegasus oritur qui, secundum Fulgentium, fama eterna interpretatur: qui ideo alatus dicitur, quia fama omnia visibilia et invisibilia cursu veloci perlustrat; ad montem autem Elycon dicitur cucurrisse quia semper fama sapientiam querit; nam ex sapientia fama oritur, et orta sapientiam querit. Et postquam quesiverit ipsam sapientiam, aliis propinare procurat. Unde bene Pegasus ex sanguine, idest ex morte terroris et oblivionis, oritur, et ad montem sapientie currit, et fontem sapientie ungula, idest sua investigatione, producit; qui quidem fons etiam Pegasus, idest eterna memoria, nuncupatur. Unde non absurde Furie Medusam clamant, ut suo aspectu Dantes in lapidem convertatur, ut Inferni secreta non videat, et que iam vidit oblivioni tradere non omittat. Et sic videmus quod non solum in principio sue visionis ferarum aggredientium, sed etiam in medio impedimenta sustinuit per strepentium Furiarum; inveniens per hoc quod homo in principio et in processu sui operis a bono opere impeditur, sed tamen propter impedimenta a bono incepto resilire non debet.
Mal non vengiamo in Theseo l'assalto.

Ystoria talis est: Theseus et Piritous, secundum quod scribit Ovidius XII libro Metamorphoseos, iactaverunt se quod non nisi filias Iovis ducerent in uxores. Qua propter Theseus Elenam reginam Grecorum, germanam scilicet Castoris et Pollucis, rapuit; sed Castor et Pollux, capta matre Thesei, suam sororem rehabuerunt. Piritous vero cum nullam filiam Iovis invenire posset in terris, descendit

ad inferos cum Theseo, ut raperet inde Proserpinam et suo matrimonio copularet. Iste enim due, Helena scilicet et Proserpina, a poetis finguntur filie Iovis fuisse. De prima ait Ovidius in libro Epistularum: O viro digna Iove in Iove nata fores. De secunda ait idem Ovidius in libro Methamorphoseos, ubi inducit Cererem matrem ipsius Proserpine loquentem cum Iove: Ante Iovem sparsis stetit invidiosa capillis. / Pro que tuo supplex veni tibi Iupiter, inquit, / sanguine proque tuo: si nulla est gratia matris / Nata patrem moveat. Illi autem ambo, scilicet Theseus et Piritous, fuerunt ibi retenti et gravi et diro supplicio cruciati. Tandem Piritous absolvitur et liber, sine coniuge, abire inde permittitur. Qui ad Herculem ivit et Theseum religatum a Furiis nuntiavit. Sed magister ystoriarum dicit quod Pyritoum Cerberus devoravit. Tunc Hercules cum clava descendit ad inferos pro liberatione Thesei, et a Carone navigio est deductus. Cerberus autem, videns quod Caron hominem carne vestitum in navigio duceret, ipsum Caronem gravi morsu momordit. Quod videns Hercules Cerberum traxit foras et adeo ipsum clava percussit quod fecit ei spumam vomere venenosam; et sic Theseum ab inferis liberavit. Ideo Furie dicunt: «Mal non vengiamo in Theseo l'assalto», idest male fuit factum quod non vindicavimus in Theseum insultum quem fecit; quia si ipsum convertissemus in lapidem, Pyritous pro auxilio Herculis non ivisset. Et ideo, antequam isti aliquis veniat in succursum, ipsum per aspectum Meduse in lapidem convertamus.

vv. 61-63

O voi c'avete li 'ntellecti sani,
mirate la doctrina che s'asconde
sotto 'l velame delli versi strani.
Doctrina ista que absconditur sub velamine licterali non est aliud nisi allegoricus intellectus qui in Gorgonis fabula continetur, que quidem fabula et eius allegoria est superius exarata.

vv. 64-66

Et già venia su per le sucide onde
un fracasso d'un suon, pien di spavento,
Iste sonus pavore plenus et omnia frangens, non erat aliud nisi illa maledicta Medusa, que ad clamorem Furiarum cum tanto impetu veniebat, ut autorem in lapidem commutaret.

vv. 73-75

Li occhi mi sciolse. Postquam ille sonus terribilis et horribilis pertransivit, Virgilius solvit autori oculos et ait ad eum: «Dirige nervum oculi super illam spumam antiquam et vide». Et tunc dicit autor se vidisse unum nuntium benignum missum de celo, super aquas Stigias siccis pedibus ambulantem, ante cuius faciem omnes illi maligni spiritus fugiebant. Qui cum ad portas civitatis venisset, cum una virgula quam gestabat in manu ipsam portam aperuit, demones qui ipsam clauserant increpavit, et eis liberum introeundi aditum demonstravit. Iste enim Angelus tenet figuram et similitudinem veritatis, que omnia secreta et abscondita producit in lucem. Et de hoc ait veritas in Evangelio: Nichil secretum quod non reveletur, et absconditum quod non sciatur. Nullum enim secretum fuit in Inferno quod iste poeta nesciverit, et nullum absconditum quod sibi non fuerit revelatum.

vv. 97-99

Che giova ne le fata dar di cozzo? More antiquorum poetarum loquitur hic autor, qui ponunt quod omnia veniunt a fato, idest a constellationibus. Dicunt enim quod id quod constellatio tibi dictat, de necessitate omnino evenire oportet. Unde Ovidius: Certa prius eram, sed mea fata me trahebant. Isto itaque modo, sed non ista intentione loquitur hic autor. Non enim credit christianus poeta a fato vel constellationibus aliquid provenire quod Sacre Scripture vel libero repugnet arbitrio, sed omnia que eveniunt a voluntate credit evenire divina. Unde ait superius in textu:
Perchè ricalcitrate a quella vollia
a cu' non puote 'l fin mai esser mozzo,
et che più volte v'à cresciuta doglia?

Et sequitur: «Che giova ne le fata dar di cozzo?» ac si dicat: Quid iuvat voluntati contrariare divine? Et ponit exemplum de Cerbero, qui volens divine contradicere voluntati, ab Hercule fuit in barba terribiliter depilatus. Unde sequitur:

Cerbero vostro, se ben vi ricorda,

ne port'ancor pelato 'l mento e 'l gozzo.

Ystoria talis est: Quando enim Hercules pro liberatione Thesei descendit ad inferos, quia Cerberus Caronem momordit, ideo ipsum Hercules traxit foras, et adeo ipsum depilavit et clava sua percussit, quod ei spumam vomere fecit. De qua percussione ait Seneca, primo libro Tragediarum:
Victrice magnum dextra robur gerens
Huc nunc et illuc verbere assiduo rotat.
Et in X ait idem Seneca: Visum Herculem, canis inferorum fugit, abruptis trepidus catenis.

vv. 127-133

Qui son li heresiarche. Heresiarcha est princeps hereticorum, sicut Arrius princeps Arrianorum, sicut Sabellius Sabellianorum, sicut Manicheus Manicheorum, et sic de aliis.

Simile qui con simile è sepolto. Sicut enim similes fuerunt in culpa, ita similes sunt in pena. Et qui plus errando peccavit, plus habet calidam sepulturam, et qui minus minus. Unde sequitur in textu: «e' munimenti son più et men caldi».

Iste nonus cantus continet unam questionem, tres comparationes, et tria notabilia. Questio talis est:

vv. 16-18

«In questo fondo de la trista conca
discese mai alcun del primo grado,
che sol per pen'à la speranza cionca?»

Hic interrogat autor Virgilium utrum aliquis de primo circulo, ubi pro pena est solummodo spes truncata, unquam descendit in alios circulos subsequentes. Quam responsionem require superius. Sed quia illa est licteralis, accipe nunc moralem. Raro enim accidit quod homo sapiens et virtuosus de statu suo sublimi et luminoso descendat in statum infimum et tenebrosum. Unde aiebat Seneca: Si scirem deos ignoscituros et homines ignoraturos, adhuc dedignarer peccare.

[Comparationes]

vv. 64-72

PRIMA COMPARATIO.

Et già venia su per le torbide onde
un fracasso d'un suon, pien di spavento,
per cui tremavan amendue le sponde;
non altrimenti facto che d'un vento
impetuoso per li aversi ardori,
che fier la selva et senz'alcun rattento
li rami schianta, abbatte, et porta fuori;
dinanzi polveroso va superbo
et fa fugir le fiere et li pastori.
Lictera plana est.

vv. 76-81

SECUNDA COMPARATIO.

Come le rane innanzi la nimica
biscia per l'aqua si dileguan tutte,
fin c'a la terra ciascuna s'abbica,

vid'io più di mill'anime distructe
fugir così dinanzi ad un c'al passo
passava Stige con le piante asciutte.

vv. 112-114

TERTIA COMPARATIO.

Sì come ad Arli, ove Rodano stagna,
sì come a Pola, presso del Carnaro
ch'Italia chiude e suoi termini bagna,

Volens autor designare nobis multitudinem sepulcrorum quibus est plena civitas infernalis, comparat ipsa sepulcra eterna ad sepulcra que sunt in duabus mundi partibus constituta. Prima sunt extra civitatem arelatensem in quadam planitie, in illa scilicet parte ubi Rodanus descendit in mare. Et dicitur quod illa sepulcra pluit Deus de celo ad orationem Karoli Magni. Karolus enim Magnus debellavit in illa planitie maximam multitudinem paganorum. Sed quia multi christiani in illo prelio ceciderunt, rogavit Karolus Deum ut fideles ab infidelibus discernere posset, ad hoc ut eos valeret tradere sepulture. Et tunc ad preces suas tot sepulcra ceciderunt de celo quot erant fideles ab infidelibus trucidati. Et Angelorum ministerio omnia illa christianorum funera invenit ipse Karolus suis posita sepulturis. Alia vero sepulcra sunt propre quandam civitatem que est in finibus Ytalie, que dicitur Pola, in quadam scilicet planitie, iuxta Quarnarum, in qua est etiam multitudo maxima sepulcrorum. Quorum sepulcrorum causa vel notitia non habetur. Exemplificat igitur autor et dicit quod quemadmodum illa duo loca sunt plena sepulcris, ita illa civitas infernalis est plena undique sepulturis.

[Notabilia]

vv. 1-3

PRIMUM NOTABILE.

Quel color che viltà di fuor mi pinse
vegendo 'l duca mio tornare in volta,
più tosto dentro il su' novo ristrinse.

In isto notabili duo moralia continentur: Primum est quod cum aliquis dux, sive capitaneus alicuius exercitus sive gentis, timorem ostendit in facie, facit suos milites timidos atque viles. Quod totum contrarium faciunt boni duces. Nam si in corde timent, audaciam ostendunt in facie, sicut ponit exemplum Virgilius de Enea, primo Eneydorum, dicens: Spem simulat vultu, premit altum corde dolorem. Secundum est quod bonus dux sive capitaneus, quando videt suos milites perturbari sive timere, statim suum timorem palliat et occultat, sicut fecit Virgilius, qui videns Dantem pallidum in facie, statim colorem similem quem habebat interius ad se traxit. Ideo ait: Ille color qui michi timiditatem depinxit exterius, videndo meum ducem reverti sconfictum, suum colorem novum restrinxit interius. Et bene dicit novum, quia magna novitas est quando unus sapiens dux, maxime in multis expertus, timet in corde vel in facie perturbatur.

vv. 94-96

SECUNDUM NOTABILE.

Perchè ricalcitrate a quella vollia
a cui non puote 'l fin mai esser mozzo,
et che più volte v'à cresciuta dollia?

In hoc notabili demonstratur quod stultum est ac etiam vanum recalcitrare illi voluntati cui finis truncatus esse non potest. Ideo dixit Dominus Saulo: Durum est tibi contra stimulum calcitrare.

vv. 97-99

TERTIUM NOTABILE.

Che giova ne le fata dar di cozzo? Quando res que percutitur est fortior quam illa que percutit, tunc illa que percutit leditur, non percussa. Similiter, cum nos divine voluntati recalcitrare velimus, cum ipsa divina voluntas sit fortior nobis, non ipsam ledimus, sed nos ipsos. Ideo ait: «Che giova ne le fata dar di cozzo?»

Et sic patet nonus cantus prime cantice.

X

INCIPIT X CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto decimo cantu autor prosequitur de VI circulo, qui incipit in precedenti cantu, ibi: «Dentro v'entramo senz'alcuna guerra»; et finit in subsequenti, ibi: «Lo nostro scender convien esser tardo». Et ponit in isto circulo hereticos cuiuscunque secte sepultos.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-3

In precedenti namque cantu autor ponit quod postquam ille celestis nuntius civitatis ianuam, quam maligni spiritus clauserant, patefecit, quod intus intravit et quod invenit eam plenam undique sepulcrorum, que quidem sepulcra sunt flammis incensa et hereticis valde plena. Quorum conditionem et statum postquam Virgilius autori breviter intimasset, a dextris viam arripuit, et sic inter murum et sepulcra simul cum ipso autore transivit. Unde ait in textu:
Poscia c'a la man dextra si fu volto
passamo tra' martiri et li alti spalti.

Nunc autem continuando sic incipit istum cantum:

Ora sen va per un secreto calle,

tra 'l muro de la terra et li martiri,

lo mi' maestro, et io dopo le spalle.

vv. 4-93

Et dum sic irent, ait Dantes ad Virgilium: «O summa virtus, que per impios giros me volvis, sicut tibi placet loquere michi et satisfac meis desideriis. Gens ista que per sepulcra iacet, posset videri? Certe ut video omnia opercula sunt levata». Ad quem Virgilius: «Omnia ista sepulcra erunt clausa cum de valle Iosaphat cum corporibus huc redibunt. Ab ista enim parte quam tu – supple cernis – est cimiterium illorum Epycuriorum qui animam cum corpore mortuo mortuam confitentur. Et ideo ad petitionem quam tu facis, hinc intus satisfactum erit cito; et etiam ad desiderium quod tu taces». Et ecce de quodam sepulcro exivit subito quedam vox dicens: «O tusce, qui per civitatem ignis vivus vadis sic honeste loquendo, placeat tibi sistere in hoc loco». Et statim porrectis precibus respondet uni tacite questioni. Poterat enim dicere autor: Quomodo me vocas tuscum, cum nunquam me cognoveris vel videris unquam? Et ideo subiungit: «Tua loquela manifestum te facit nativum, scilicet de illa nobili patria – supple videlicet florentina – cui forte nimis fui molestus». Quem sonum ut Dantes audivit, aliquantulum timens adhesit magistro suo. Cui Virgilius ait: «Volve te illac. Quid facis? Vide Farinatam illic; a cingulo supra totum eum videbis». Quod cum Dantes Virgilio per omnia paruisset, interrogavit eum Farinata qui fuerunt antiqui sui? Quos cum sibi Dantes per ordinem intimasset, ille superciliis in altum aliquantulum elevatis, ait ad eum: «Feraliter fuerunt contrarii michi et meis antiquis et mee parti, intantum quod duabus vicibus eos dispersi». Ad quem Dantes: «Si expulsi fuerunt, semper ad propria redierunt, sed vestri non bene apprehenderunt illam artem».

Tunc in eodem sepulcro in quo erat Farinata una alia umbra surrexit, et in circuitu autoris attente respexit, ac si desiderium haberet videndi si vivus aliquis erat secum. Sed postquam suspitio quam habebat tota in eo fuit extincta, lacrimando ait ad Dantem: «Si per istum cecum carcerem per altitudinem ingenii vadis, meus filius ubi est? et quare non est tecum?» Cui Dantes respondet: «A me ipso non venio. Ille qui attendit illic hinc me deducit, quem forsitan Guido vester habuit in despectum». Tunc ille subito in pedibus se erexit et vociferando clamavit dicens: «Quomodo dixisti habuit? Nunquid non vivit ipse adhuc?» Sed quando perpendit de aliquali mora quam autor faciebat antequam responderet, retrorsum cecidit in sepulcro. Sed ille alius magnanimus ad prima verba continuando subiunxit: «Et si mei consortes illam artem, idest rediere ad propria, non bene didicerunt, istud plus me tormentat quam faciat iste lectus. Sed unum dico tibi, quod non quinquaginta vicibus accendetur facies domine que hic regnat, quod tu scies quantum ponderat illa ars». Et postquam vaticinatus est de futuris, adiuravit autorem ut sibi causam assignet quare populus florentinus est ita impius contra suos. Ad quem autor dicit causam esse ille conflictus quem habuit populus florentinus aput Montem Apertum; in quo conflictu fuit ex parte adversariorum ipse dominus Farinata. Quod audiens ipse dominus Farinata, motu capitis et suspiriis ait ad Dantem: «Ad hoc non fui ego solus, nec certe fui cum aliis sine causa. Sed fui ego solus illius civitatis defensor et liberator, quando per alios sua perditio querebatur».

vv. 94-108

Audiens vero autor quod Farinata futura sciebat et presentia ignorabat, ait ad eum: «Si vestrum sementum aliquando quiescat, rogo vos solvite michi illum nodum, qui meam tenet hic sententiam involutam. Videtur enim, si bene audio, quod vos futura sciatis, et presentia ignoretis». Cui Farinata: «Nos videmus», inquit, «sicut ille qui habet malam lucem. Nam cecucientes non vident de prope, sed de longe. Sic nos, bonitate luminis summi ducis, videmus res a longe, idest antequam veniant; sed quando appropinquant vel quando sunt, tunc noster intellectus totaliter efficitur vanus. Et si ab aliis nova de vobis non habemus, nichil scimus de conditionibus vestris. Et ideo comprehendere potes quod post diem iudicii, quia tunc tempus tempori non succedet, erit totus mortuus noster penitus intellectus».

vv. 109-126

Postquam vero de illo dubio quod habebat fuit autor a domino Farinata certificatus, quia non responderat illi qui eum de filio interrogaverat, tanquam de propria culpa compunctus, ait ad dominum Farinatam: «Dicite, queso, illi qui cecidit, quod filius suus adhuc vivit; et si ego fui ante responsionem mutus, rogo ut me excusetis, quia tunc cogitabam de illo errore quem michi solvistis». Et iam Virgilius eum vocabat; propter quod Dantes dominum Farinatam rogavit ut sibi diceret qui erant illi qui secum in illo sepulcro iacebant. Cui ille ait: «Plus quam mille anime mecum iacent», quas nominare, quia longum erat, duos sibi solummodo nominavit: imperatorem scilicet Fredericum et Cardinalem Octavianum. Et his dictis, Farinata se in sepulcro abscondit; et Dantes versus Virgilium se convertit. Et dum sic ambo inde recederent et per civitatem inter sepulcra heretica ambularent, ait Virgilius ad Dantem: «Quare es tu ita in animo deviatus?» Et ille ad eum: «Propter verba que dixit michi dominus Farinata», que fuerunt:
Ma non cinquanta volte fia raccesa
la faccia de la donna che qui regge,
che tu saprai quanto quell'arte pesa.

vv. 127-136

Tunc Virgilius se firmavit et in altum digitum elevavit, dicens: «Mens tua conservet omnia que contra te audisti; et quando eris coram illo dulci radio, illius cuius pulcer oculus totum videt, ab ea scies itinera vite tue». Et hoc dicto, ad manum sinistram se moverunt, murum dimiserunt, et per unam semitam versus medium civitatis iverunt. Unde dicit in textu:
Appresso mosse a man sinistra 'l piede:
lasciamo il muro et gimo inver lo mezzo
per un sentier c'a una valle fiede,
che 'n fin là sù facea spiacer su' lezzo, idest putredinem.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Hora sen va per un secreto calle,
tra 'l muro de la terra,

etc.

Quia mos est omnium hereticorum suos errores et fallacias occultare, ideo est valde arduum et difficile eos posse cognoscere; quia, iuxta verbum Christi, veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ideo ait autor in textu: «Ora sen va per un secreto calle». Callis idem est quod via, vel semita: quasi velit dicere quod eorum secreta opera, nisi per secreta ingenia et secretas vias, cognosci non possunt.

vv. 4-6

«O virtù somma che per li empi giri
mi volvi».

Consuetudo est omnium poetarum in omni gravi negotio et arduo puncto, divinam gratiam invocare; et quia iste autor hic habet de secretissimis, que sunt gravia et ardua, pertractare, ideo virtutem summam que in Virgilio, qui ponitur pro naturali ratione, relucet, invocat dicens: «O virtù somma», etc.

vv. 10-15

Tutti saran serrati
quando di Iosaphat qui torneranno.
Iosaphat est quedam vallis in qua fuit sepulta beata virgo Maria; in qua valle, secundum nostram fidem, debet esse iudicium generale. Unde ait Deus per prophetam: Congregabo omnes gentes in valle Iosaphat, et disceptabo cum eis. Confitetur autem hic Virgilius resurrectionem corporum mortuorum, contra hereticorum quorundam errores, qui ponunt quod mortuo corpore anima moriatur; quorum hereticorum fuit caput quidam antiqu[u]s philosophus qui vocatus est Epycurus, cuius sequaces Epycuri dicuntur. Fuit autem Epycurus quidam philosophus paganus qui summam felicitatem et beatitudinem posuit in cura carnis, et asserens quod mortuo corpore simul cum eo anima moriatur. Unde sui sequaces, ut dictum est, Epycurei dicuntur; et dicuntur Epycuri ab *epy* quod est <supra>, et *cutis*, idest supra modum curamcutis, idest <carnis habentes>; quorum falsam opinionem non solum Divina Scriptura refellit, sed insuper omnes philosophi paganorum et omnes antiqui sapientes abhorrent. Unde Tullius, in secundo libro De Natura Deorum, loquens contra opinionem Epycuriorum ait: Epycurus dum palato quid optimum sit indicat, celi palatum, ut ait Emnius , non suspexit. Iste autem Emnius, quem hic allegat Tullius, fuit antiquus poeta et valde famosus. Sed hic oritur una questio, que talis est: Cum sint diversa genera hereticorum, quare iste autor non facit mentionem nisi de Epycuris? Non enim loquitur hic nisi de Epycuris in generali, et in particulari facit mentionem de heresi Fotiniana. Si dicis omnes heretici credunt id quod credunt Epycuri, hoc est falsissimum, ut patebit inferius. Respondeo: Epycuri sunt quasi principium omnium heresum. Nam ponere quod anima simul cum corpore mortuo moriatur, istud est quasi via ad omnes alias hereses. De levi nanque, dum homo aliam vitam non credit, in omnem heresim labitur. Sub nomine itaque Epycuriorum concludit autor omnes hereticos, cuiuscunque sint secte, et etiam, ut patet superius in fine superioris cantus, ipse dicit civitatem istam plenam esse hereticis cuiuscunque generis, ibi: «Qui son li heresiarche / co' lor seguaci d'ogni secta». Quot autem sint secte hereticorum et quales, ponit beatus Ysidorus super Leviticum in hec verba [lacuna] abserde.

Lepra doctrina est falsa. Proinde leprosi non intelliguntur heretici, qui, unitatem vere fidei non habentes, varias doctrinas profitentur, erroris veraque falsis admiscent, sicut et lepre certis locis humana corpora variando commaculat. Huius autem lepre invenimus legislatorem sex speties in homine posuisse: Prima, inquit, lepra capitis et barbe; secunda, calvitii et recalvationis; tertia, carnis et cutis; quarta, cutis et corporis, et cicatricis albe cum robore; quinta, ulceris et cicatricis; sexta et ultima, ustionis. In capite lepram portat qui in divinitatem Patris, vel in ipso capite quod Christus est, peccat. Caput enim viri Christus est. Hanc lepram habent Iudei, Valentiniani, Marcioniste, Fotiniani, Manichei, Arriani, Sabelliani, Macedoniani, Antropomorfite, Priscillianiste, Donatiste, Nestoriani, Euticiani; quique omnes in capite lepram gerunt, quia erroris sui perfidiam aperta pravitate defendunt. In barba lepram gerunt qui de apostolis et sanctis Christi perverse aliquod sentiunt, atque eos falsum quodlibet predicasse configunt. Sicut enim barba ornamentum est viri, ita sancta apostoli et doctores ornamentum prestant corpori Christi. In corpore lepram habent qui Ecclesie detrahunt, sicut Carpocratiani, qui negant carnis resurrectionem; sicut Novatiani, qui nuptias damnant et peccantibus penitentiam negant; sicut Eraclite, qui inter alios errores regnum celorum parvulos habere non credunt; sicut Eriani, qui vetant pro defunctis offerri sacrificium. In carne et cute gerunt lepram qui carnalia vel exteriora suadere conantur, ut Corintiani, qui resurrectionem futuram in carnis voluptate extimant; vel sicut Eritiani, qui dicunt in fide manentibus, quamvis carnaliter vivant, non posse computari peccata.

In cicatrice sanati ulceris lepram portat qui post cognitionem Dei et manifestationem fidei quam a Christo suscepit, rursum in ipsa cicatrice ascendit aliquod erroris inditium, aut perfidia veteris dogmatis. In carne viva lepram gestit qui de anima, que vita est carnis, aliquod falsum extimat; sicut Luciferiani, qui dicunt animam de carnis substantia propagatam; sicut Arabici et Epycuri, qui animam simul cum corpore mori putant. In cicatrice ustionis lepram habent Manichei, qui inani abstinentie cruciatu corpora sua molestant. De talibus predicabat Apostolus dicens: Discedent quidam a fide attendentes, spiritibus erroris et doctrinis demoniorum in ypocrisi loquentes mendacium, et cauteriatani habentium suam conscientiam, prohibentium nubere et abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum. Hucusque beatus Ysidorus.

Visis hereticorum generibus et spetiebus, una alia oritur questio: a quo scilicet capitali peccato ex numero septenario procedenti heresis oriatur. Nam autor septem peccata capitalia superius in precedentibus circulis collocavit. Nunc autem in isto circulo collocat hereticam pravitatem. Queritur ergo a quo, vel a quibus peccatis, heretica malitia oriatur. Ad quod dicendum est quod omnis heresis ortum habet vel a peccatis carnalibus, que sunt tria, scilicet luxuria, gula, et avaritia; vel a peccatis spiritualibus, que sunt similiter tria, scilicet ira, invidia, et superbia; vel ab illo peccato quod partim est spirituale et partim carnale, scilicet accidia. Quedam enim heresis oritur a peccatis carnalibus, sicut heresis Epycurorum, qui summam felicitatem in delectationibus carnis ponunt, vel sicuti illi qui resurrectionem futuram in carnis voluptate expectant. Quedam a peccatis spiritualibus ortum habet, sicut heresis illorum qui, ira commoti, fideles et catholicos usque ad effusionem sanguinis persequuntur; et sicut illi qui, invidia agitati, parvulos non laborantes regnum celorum non posse intrare confirmant; et sicut illi qui, spiritu inflati superbie, dicunt quod qui manet in fide, peccata sibi nullatenus imputantur. Quedam vero heresis ortum habet ab accidia, que nullum vult bonum penitus operari; sicut est heresis illorum qui dicunt quod omne quod libet licet, idest quod possunt licite omnem suam voluntatem sine peccato explere.

vv. 31-33

Vedi là Farinata che s'è dricto. Exemplificando ponit hic autor quendam nobilem militem florentinum, qui fuit vocatus dominus Farinata de Ubertis, qui, ut communiter creditur, fuit hereticus Epycurus. Hic est enim unus ex illis quinque, de quibus autor interrogavit Ciaccum, ut habetur superius in tertio circulo, cantu VI.

vv. 34-36

Com'avesse l'inferno in gran dispicto. Vere omnis homo peccator, et maxime hereticus, qui mortuo corpore animam mortuam confitetur, aliam vitam ubi anime perpetuo vivant esse non credit. Idcirco huiusmodi homines nec Paradisum diligunt, nec illud, propter aliqua bona que faciant, habere se credunt. Similiter nec penas Inferni timent, nec propter aliqua scelera que committant ad illas penas ire formidant. Ideo figurative loquitur autor de isto heretico Farinata, quod fronte se in sepulcro et pectore erigebat, tanquam si pro nichilo haberet Infernum. Et hoc est quod dicit propheta: Ambulant contra Deum extento collo.

vv. 52-54

Allor surse a la vista scoperchiata / un'ombra. Dicit hic autor quod in illo sepulcro ita discooperto, de quo loquebatur autori dominus Farinata, una umbra, idest anima, se erexit, ut videret si filius eius esset in illo itinere cum autore. Iste enim fuit quidam miles florentinus qui fuit vocatus dominus Cavalcante de Cavalcantibus, pater illius mirabilis viri, in quo omnis nobilitas et probitas relucebat, scilicet Guidonis de Cavalcantibus. Fuit enim iste Guido scientia magnus et moribus insignitus, sed tamen in suo sensu aliqualiter inflatus. Habebat enim scientias poeticas in derisum: unde autor notanter dicit in subsequentibus rithimis ipsi domino Cavalcanti: «Colui», hoc est Virgilius, «c'attende là per qui mi mena, / forse cui Guido vostro ebbe a disdegno». Sed queritur hic quare iste dominus Cavalcante autorem interrogat quare suus filius non est secum. Respondeo: Audiens enim dominus Cavalcante autorem loquentem cum domino Farinata, statim eum ad loquelam cognovit. Et quia isti duo, scilicet Dantes et Guido, erant quasi in omnibus socii sibi ad invicem predilecti, miratus fuit quod filius suus Guido in isto itinere tam alti ingenii non associabat autorem. Unde ait supra ipsi autori: «Se per questo cieco / carcere vai per altezza d'ingegno, / mio fillio ov'è? et perchè non è teco?» Quasi dicat: Si tecum non est, ubi est altitudo sui ingenii sic profundi? Nunquid ipse non vivit – subaudi in ista scientia – sicut tu? Cui autor causam assignat quare in isto itinere non est secum, dicens: «forse cui Guido vostro ebbe a disdegno»; forte , ideo dicit, propter curialitatem innatam. Et nota quod ad duo cognovit autor ipsum esse dominum Cavalcantem: Primum est interrogatio quam fecit de filio. Ita enim erant in omnibus socii, quod statim quod audivit <filius meus quare non est tecum>, de Guidone protinus intellexit. Secundum est pena in qua eum vidit, quia enim eum in mundo hereticum scivit, statim eum in Inferno cognovit. Ideo ait in textu:

vv. 64-66

Le sue parole e 'l modo de la pena
m'avevan di costui già letto 'l nome,
etc.

Supin ricadde. Supino, idest retrorsum. Nota quod aliud est cadere in faciem et aliud est cadere retrorsum. Cadere enim in faciem est humiliari, maiores revereri, et Deum adorare, sicut de Abraham legitur in Genesi quod cum Deo loqueretur cecidit in faciem suam. Et de sanctis magis dicit Matheus quod procidentes adoraverunt eum, idest Christum. Retrorsum vero cadere est peccare et penam eternam incurrere, sicut typice legitur de Ely sacerdote in primo libro Regum, quod cecidit de sella in qua sedebat retrorsum, et fractis cervicibus expiravit. Et bene dicuntur damnati retrorsum cadere, quia in illas penas cadunt a quibus in presenti faciem averterunt. Unde Salomon in libro Proverbiorum, IIII capitulo: Via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruant.

vv. 79-81

Ma non cinquanta volte fia raccesa
la faccia de la donna che qui regge,
etc.

Vaticinium est. Vaticinatur enim dominus Farinata autori et dicit quod non transibunt quinquaginta menses, quod ipse autor de Florentia expelletur. Ista enim domina que regnat in Inferno est luna, cuius facies omni mense accenditur, cum primo sol eam incipit inflammare. Non enim transiverunt quatuor anni ab isto vaticinio, quod ipse Dantes fuit de Florentia expulsus per Karolum sine terra, sicut dicetur infra in secunda cantica, cantu [XX]. Et nota quod luna a poetis triplici vocabulo nuncupatur; et hoc propter tres potestates quas habet. Primo enim dicitur habere potestatem in celo; ideo dicitur luna, idest luminum una. Duo enim sunt luminaria magna, ut habetur in Genesi: luminare maius, idest sol, et luminare minus quod preest nocti, idest luna. Secundo dicitur habere potestatem in silvis; ideo dicitur Dyana, idest duana, eo quod die et nocte luceat. Et quia est dea silvarum, ideo venatores ipsam antiquitus adorabant et sibi sacrificabant. Tertio dicitur habere potestatem in Inferno; ideo dicitur Proserpina, idest <in terra serpens>. Et de his tribus nominibus lune ait Virgilius, quarto Eneydorum: Tria virginis ora Dyane. De ipsius autem nominibus et officiis dantur versus:
Yma superna silvas sceptro fulgore sagitta;
Terret, lustrat, agit, Proserpina luna Dyana.
Quosque versus sic construe: Proserpina terret yma cum sceptro; luna lustrat superna cum suo fulgore; Diana agit, idest regit, silvas cum sagitta. Nam quando Dyana depingebatur cum sceptro in manibus, tunc dea terre sive Inferni dicebatur dea celi; sed quando pingebatur cum sagittis, tunc dicebatur dea silvarum.

vv. 85-87

Lo stratio e 'l grande scempio
che fece l'Arbia colorata in rosso,

Arbia est quidam fluvius parvus in Tuscia, qui transit per comitatum Senensem ad radicem Montis Aperti, ubi Florentini cum tota parte Guelforum fuerunt a comite Iordano, vicario regis Manfredi, victoriose et triumphaliter debellati. Et quia dominus Farinata de Ubertis cum Senensibus et aliis Gebellinis de Tuscia fuit cum ipso comite in dicto conflictu, ideo autor ipsi domino Farinate, dicenti quare Florentini sunt ita impii contra meos consortes, dicit: «Lo stratio e 'l grande scempio, / che fece l'Arbia colorata in rosso, / tal oration fa far nel nostro tempio». Quasi dicat: Propter sanguinem florentinum qui aquas Arbie coloravit, qui quidem sanguis vestro consilio et opere fusus fuit, talis in nostro templo oratio celebratur, ut, scilicet, nunquam vestri consortes possint aliqualiter rebanniri.

vv. 91-93

Ma fu' io solo, là dove soferto
fu per ciascun di tòrre via Fiorenza,
etc.

Audiens dominus Farinata ab autore quod propter conflictum quem habuerunt Florentini apud Montem Apertum nunquam sua prosapia dicitur reversura, suspirando allegat atque inducit quandam maximam utilitatem quam operatus est ipse erga civitatem Florentinam. Que talis fuit: Dum quadam vice omnes extrinseci Florentini essent in Florentia ad invicem adunati, ordinaverunt

inter se, quia civitatem non bene coram illo populo poterant gubernare, ipsam civitatem incendere, mulieres capere, domos expoliare et homines trucidare, et alibi ex se ipsis solummodo civitatem edificare. Surrexit in consilio dominus Farinata, et aperta facie et libera voce omnibus contradixit: et sic illo tempore civitatem suam a tanto periculo liberavit. Arguit itaque cives suos quod memores sunt unius mali quem passi sunt, operatione non solum sua, quia in illo conflictu magis peccaverunt Abbates quam Uberti, sicut dicetur infra ultimo circulo, secunda parte Cociti, cantu XXXII; et non sunt memores tanti beneficii quod ipse solus operatus est erga eos. Memoria enim beneficiorum, ut ait Seneca, est labilis, iniuriarum vero tenax.

vv. 117-120

Qua entro è lo secondo Federico
e 'l Cardinale;

Hic facit autor mentionem de secundo Frederico, Romanorum imperatore, et de Octaviano Diacono Cardinali, qui fuit de Ubaldinis. Ubaldini autem sunt quidam nobiles Gebellini inter Bononiam et Florentiam. Isti enim duo, Imperator scilicet et Cardinalis, heretici in hoc mundo reputati fuerunt. Nam de imperatore Frederico dicitur quod circa animam humanam errabat, eo quod ipsam credebat cum corpore morituram. Unde, ad probationem sue vesanie, quendam malefactorem, ut dicitur, in quadam vegete reclusit, bitumine et pice linitam. Et dum malefactor ille in morte magna voce clamasset et sic expirasset, ait Imperator ad circunstantes: «Ecce iste mortuus est. Dicite michi, queso, si anima post mortem vivit, unde de hac vegete sic clausa exivit». Cui unus fidelis catholicus sic respondit: «Per illam enim viam, domine Imperator, exivit de vegete anima, quam non vidimus, per quam exivit vox, quam audivimus». De Cardinali vero dicitur quod, cum esset in ultimis constitutus, dixit consanguineis et amicis: «Si anima est, ipsam pro parte perdidi Gebellina».

vv. 130-132

Quando sarai dinanzi al dolce raggio
di quella il cui bel occhio tutto vede,
etc.

Ista enim, cuius pulcer oculus cuncta videt, est Beatrix, cui tanquam summe scientie theologie reservat autor cuncta dubia reseranda. Dixerat enim sibi dominus Farinata, quod non transirent quinquaginta menses quod ipse sciret quantum exulatio, sive a terra propria exitus, ponderaret; sed quia istud per verba occulta predixit, ideo istud et alia reservat exaranda et explicanda illi scientie, que videt Deum, qui cuncta videt. Dicit enim beatus Gregorius, loquens de sanctis qui sunt in patria, scientia divina repleti: Quid est quod non videant qui videntem omnia vident?

In isto X cantu autor ponit quatuor notabilia, unum vaticinium, et movet unam questionem. Sed quia ista duo, vaticinium et questio, sunt superius explanata, ideo iterum recapitulare non libet; sed ad notabilia procedamus.

[Notabilia]

vv. 19-21

PRIMUM NOTABILE.

Et io: «Buon duca, non tegno nascosto
a te mio cuor se non per dicer poco,
et tu m'ài non pur mo a ciò disposto».

In isto notabili movemur ad duo: Primum est quod magistro, a quo discere cupimus, nostra corda abscondere non debemus: nam una ex clavibus sapientie est frequens interrogatio. Ideo ait: «Non tegno nascosto ad te mio cuore». Secundum est quod ea que coram magistris vel maioribus enarramus, semper brevibus sermonibus explicemus. Nam secundum Ieronimum: Sermo longus caret intelligentia. Ideo ait: «se non per dicer poco». Postea reddit autor honorem magistro suo, dicens quod ad parum loquendum ipse disposuerat eum. Unde ait: «et tu m'ài non pur mo a ciò disposto».

vv. 25-27

SECUNDUM NOTABILE.

La tua loquela ti fa manifesto. Vere ad loquelam manifestatur homo cuius sit patrie vel originis oriundus. Unde dictum fuit beato Petro apostolo: Gallileus es, nam loquela tua manifestum te facit. Et autori dicitur a domino Farinata:
La tua loquela ti fa manifesto
di quella nobil patria natio,
a la qual forse fui troppo molesto.

Et infra, cantu 33, dicitur eidem a comite Ugolino de Pisis:

I' non so chi tu sii, nè per che modo

venuto se' qua giù, ma fiorentino

mi sembli veramente quando t'odo.

Moraliter autem loquela unum quemque hominem manifestat cuius, scilicet, sit conditionis voluntatis vel partis. Unde in Evangelio ait Dominus: Qui de terra est, de terra loquitur.

vv. 43-45

TERTIUM NOTABILE.

Io ch'era d'ubidir disideroso. In hoc notabili animus commendatur autoris, innuens quantum fuerit curialis ac etiam generosus, in hoc quod ait: «Io ch'era d'ubidir disideroso». Et in hoc monemur exemplo suo ad similia emulanda.

vv. 73-75

QUARTUM NOTABILE.

Ma quel altro magnanimo, a cui posta
ristato m'era, non mutò aspecto,
nè mosse collo, nè piegò sua costa.

Hanc fortitudinem atque constantiam exhibet magnanimitas homini magnanimo atque forti, quod propter aliquos labores vel nova accidentia que occurrant, vir magnanimus a sui status rectitudine non mutatur. Ideo ait autor de domino Farinata:

Quel magnanimo non mutò aspecto,

nè mosse collo, nè piegò sua costa.

Et sic patet decimus cantus prime cantice.

XI

INCIPIT XI CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XI cantu autor breviter duo facit: nam primo deducit ad finem illam materiam quam in VI circulo pertractavit, videlicet hereticam pravitatem; secundo, designat et distinguit tres ultimos circulos qui sequuntur. Et primo, circulum positum sub regno et dominio Minotauri, et hunc circulum in tres girones dividit et distinguit; secundo, distinguit circulum positum sub regno et dominio Gerionis, et hunc dividit in X malas bulgias; tertio, distinguit circulum positum sub imperio et dominio Luciferi, et sub custodia et munitione Gigantum, et hunc dividit in quatuor partes que vocantur, lingua argolica, *Cochiton*, latina vero *Cocitus*.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-33

Postquam autor in superiori cantu de VI circulo, ubi sunt sepulti heretici, pertractavit, dicit in fine cantus quod a sepulcro domini Farinate recedens, iverunt versus medium civitatis per quandam semitam sitam in medio sepulcrorum; et quod per illam semitam devenerunt ad quandam vallem, que est in illius medio civitatis. Unde dicit in textu:
Lasciamo 'l muro et gimo inver lo mezzo
per un sentier c'a una valle fiede,
che 'n fin là sù facea spiacer suo lezzo.

Nunc vero in isto cantu sequenti ad finem deducit materiam prelibatam, dicens quod devenit ad unam extremitatem unius alte ripe, que quidem ripa est rotunda, ex magnis lapidibus fractis facta, et ex ipsa intollerabilis fetor exit. Et propter istum fetorem intolerabilem dicit ipse autor quod aliquantulum retrocesserunt iuxta quoddam magnum sepulcrum in quo erat quoddam epytaphium ita scriptum: «Anastasium papam custudio, quem extraxit Fotinus de via recta». Et sic finitur sextus circulus.

Post hec Virgilius ait ad Dantem: «Nostrum descendere – supple ad alios circulos qui remanent perscrutandos – convenit esse tardum». Et assignat causam, dicens ut assuescat aliquantulum sensus olfatus ad illum fetorem abominabilem qui de profundo exalat Inferni. Et tunc Dantes, ne tempus aliquod pertranseat in quo non proficiat et adiscat, Virgilium rogat ut in aliquo eum instruat ut saltim in audiendo proficiat, ex quo non potest, propter moram, proficere in eundo. Et tunc Virgilius designavit sibi omnes circulos subsequentes dicens: Fili mi, *dentro da cotesti sassi*, hoc est in ista valle quam cernis, sunt tres circuli unus sub alio, sicut sunt illi quos superius reliquisti. Omnes enim sunt pleni spiritibus maledictis; sed ut postea sufficiat solummodo tibi visus, intellige quare et quomodo sint constricti. Omnis enim malitie, que odium in celo acquirit, iniuria est finis, et omnis talis finis hominem aut cum violentia aut cum fraude contristat; sed quia fraus est proprium malum hominis, magis displicet Deo; et ideo stant inferius fraudulenti. Violentorum autem primus circulus totus est; sed quia fit violentia tribus personis, ideo in tres girones est iste primus circulus distinctus. Fit enim, sive infertur, ista violentia ab homine malo aut proximo, aut sibi ipsi, aut Deo. Ideo ait in textu:
A Dio, a sè, al proximo si pòne,
far forza, dico in loro et in lor cose,
com'udirai con aperta ragione.

vv. 34-39

Dico igitur primo quod violentia infertur proximo, et hec infertur aut in persona, aut in ere; in persona enim odiendo, vulnerando, et occidendo; in ere autem auferendo, devastando, derobando, incendendo et depredando. Et isti tales sunt in primo girone. Unde in textu:
Morte per forza et ferute dolliose
nel proximo si danno, et nel suo avere
ruine, incendi, et tollette dannose;
onde omicide et ciascun che mal fiere,
guastatori et predon, tutti tormenta
lo giron primo per diverse schiere.

vv. 40-45

Secundo, infert aliquando homo violentiam sibi ipsi; et hec fit etiam duobus modis: aut in persona, cum scilicet homo occidit se ipsum; aut in ere, cum scilicet bona sua ludendo vel male dispergendo consumit. Et isti tales sunt in secundo girone locati. Unde in textu:
Può l'uomo avere in sè man violenta,
et ne' suoi beni; et però nel secondo
giron convien ke senza pro si penta
qualunque priva sè del vostro mondo,
biscaza et fonde la sua facultade,
et piange là dov'esser dee giocondo.

vv. 46-51

Tertio, infertur aliquando violentia ab homine malo in maiestatem divinam. Et hec infertur tribus modis: aut contra Deum ipsum, Deum blasphemando; aut contra naturam, peccatum sodomiticum committendo; aut contra artem, ad usuram commodando. Et isti tales stant in tertio girone. Unde in textu:
Puossi far forza ne la deitate,
col cor negando et biastemiando quella,
et spregiando natura et sua bontate;
et però lo minor giron sugella
del segno suo et Sodoma et Caorsa
et chi, spregiando Dio col cor, favella.

vv. 52-66

Postquam vero autor valde rationabiliter tripertitam violentiam designavit, ad fraudem designandam manum extendit. Sed quia dupliciter committitur fraus, ideo ipsam in duas partes dividit et distinguit. Nam primo, potest eam quis committere in hominem qui non confidit in eo, sicut extraneus cum extraneo. (Secundo potest eam quis committere in hominem qui confidit in eo, sicut extraneus cum extraneo.) Secundo, potest eam quis committere in hominem qui confidit in eo, sicut amicus cum amico. Primam fraudem in circulo secundo designat. Sed quia istam primam fraudem potest homo committere decem modis, ideo istum secundum circulum in decem malas bulgias dividit et distinguit. Secundam vero fraudem ponit in tertio circulo. Et quia ista quatuor modis committitur, ideo istum tertium circulum distinguit in quatuor partes, qui vocatur Kochiton. Et de hiis duabus fraudibus ait in textu:
La froda, ond'ogni coscientia è morsa,
può l'uomo usare in colui che 'n lui fida,
et in quel che fidanza non imborsa;
Questo modo di rietro par c'uccida
pur lo vinco d'amor che fa natura;
onde nel cerchio secondo s'annida
ypocrisia, lusinghe, et chi afactura,
falsità, ladroneccio et symonia,
roffian, baratti, et simile lordura.
Per altro modo quell'amor s'obblia
che fa natura, et quel ch'è poi agiunto,
di che la fede spetial si cria.
Onde nel cerchio minore, ov'è 'l punto
dell'universo in su che Dite sede,
qualunque trade in eterno è consunto.

vv. 67-69

Audiens autor a suo magistro quomodo in tribus inferioribus circulis fraus et violentia a divina iustitia collocantur, duo facit: Primo, rationem et distinctionem magistri commendat, dicens in textu:
«Maestro, assai chiara procede
la tua ragione, et assai ben distingue
questo baratro e 'l popol ch'el possede.

vv. 70-75

Secundo, de quodam dubio querit, quod tale est: Extra namque civitatem Ditis autor viderat quosdam peccatores, sicut erant luxuriosi, gulosi, avari, accidiosi, iracundi, invidi et superbi. Infra vero civitatem vidit hereticos, et a magistro audivit quod inferius erant violenti et fraudulenti. Oritur ergo ex hoc quoddam dubium in mente autoris: Illi enim qui sunt extra civitatem, aut sunt odio Deo,

aut non. Si sic, quare non sunt ipsi puniti infra civitatem igneam? Si autem non sunt Deo odio, quare habent tales penas?

Ma dimmi, quei de la palude pingue, idest accidiosi, iracundi, invidi, et superbi, qui in V circulo sunt in Stige submersi; *che mena il vento*, idest luxuriosi, qui a vento in secundo circulo agitantur; *et che batte la pioggia*, idest gulosi, qui in tertio circulo sub pluvia macerantur; *et che si scontran con sì aspre lingue*, idest avari et prodigi, qui in quarto circulo linguis asperrimis se ad invicem obviando conturbant:

perchè non dentro da la città roggia
son ei puniti, se Dio li à in ira?
et se non li à, perchè son a tal foggia?

vv. 76-78

Cui Virgilius primo duas causas assignat quare ista dubia cogitatio eum premit. Prima causa est ista, quod suum ingenium a solito delirabat. Tunc enim ingenium delirat cum res sine discretione investigare laborat. Secunda causa est quod mens sua ad diversa erat extracta, et ideo ad istud recte respicere non valebat. Et ad hoc valet illa sententia: Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Et elli a me; «Perchè tanto delira»,
disse, «lo 'ngegno tuo da quel che sòle?
o ver altrove ove la mente mira.

vv. 79-90

Secundo, reducit sibi ad memoriam illam distinctionem quam facit Aristotiles de omnibus peccatis in libro Ethicorum. Distinguit enim Philosophus omnia peccata in incontinentiam, malitiam, et bestialitatem. Et sub nomine incontinentie accipit autor peccata criminalia sive capitalia, que secundum theologos sunt VII, ut superius est expressum; sub nomine vero malitie et bestialitatis omnia alia peccata que oriuntur ab ipsis. Cum itaque incontinentia sit minus peccatum quam malitia vel bestialitas, ideo minus Deum offendit. Et Deus minus offensus, minus eos punit.

Non ti rimembra di quelle parole
con le quai la tua Ethica pertracta
le tre disposition ke 'l cel non vuole,
incontinentia, malitia et la matta
besti[a]litate? et come incontinenza
men Dio offende et più biasim'accatta?
Se tu riguardi ben questa sentenza,
et rechit'a la mente chi son quelli
che sù di fuor sostengon penitenza,
tu vedrai ben perchè da questi felli
sien dipartiti, et perchè men crucciata
la divina iustitia li martelli.

vv. 91-111

Clarificatus discipulus per magistrum, clare videt in verbis eius quare incontinentia punitur extra, et malitia et bestialitas puniuntur infra. Ideo ait in textu:

«O sol che sani ogni vista turbata,
tu mi contenti sì quando tu solvi,
che, non men che saver, dubiar m'agrata.

Sed tamen aliquod dubium adhuc remanet in mente sua. Ipse enim clare videt quod blasphemia et sodomia divinam maiestatem contemnunt, sed non videt quomodo usura contemnat bonitatem Dei, idest artem, que bonitate Dei hominibus est infusa. Nam bonitas Dei fuit quod homo tot artes mechanicas inveniret. Ideo ait in textu magistro suo:

Ancor un poco indietro ti rivolvi»,
diss'io, «là dove di' c'usura offende
la divina bontate, e 'l groppo solvi»,

idest istud obscurum michi solve. Cui Virgilius clare monstrat in textu quomodo usura divinam contemnit et exasperat bonitatem. Ad cuius clariorem evidentiam est sciendum quod ista tria peccata, scilicet blasphemia, sodomia, et usura, divinam bonitatem contemnunt. Quod sic patet: Omnia enim que nos

habemus, habemus aut a Deo, aut a natura, aut ab arte. A Deo enim habemus animam et virtutes; a natura habemus corpus et elementa, idest hunc sensibilem mundum et omnia que oriuntur ab elementis; ab arte vero habemus scientias et maxime mechanicas, ut agriculturam, lanificium et huiusmodi. Homo enim, cum contra Deum irascitur et in verba iniuriosa contra ipsum insurgit, tunc bonitatem que est in ipso Deo contemnit. Cum vero peccatum sodomie conmittit, tunc bonitatem nature, que est filia Dei, videtur contemnere, quia quantum in se est impedit multiplicationem humanam. Nam Deus dixit Ade: «Crescite et multiplicate et replete terram». Istud autem vitium omnino facit contra istud preceptum. Contemnit enim humane nature multiplicationem, que per coniunctionem maris et femine operatur. Cum vero quis accommodat ad usuram, artem, que imitatur naturam inquantum potest in sculpendo, scilicet, vel pingendo et huiusmodi, non in multiplicando, contemnit. Nam sicut natura, imitando Deum, dicitur filia Dei, ita ars, imitando naturam, dicitur filia nature et neptis Dei. Cum itaque usurarius per artem usurariam denarios multiplicet, et artem, et naturam, et ipsum Deum contemnit. Artem quidem contemnit que quidem in multiplicationem se non potest extendere, quia ut videmus, ars de ligno facit trabem; non tamen trabem vel lignum multiplicat, sicut facit natura, que de uno grano facit centum. Naturam etiam contemnit quia quod nature est, malitiose et fraudulenter usurpat et attribuit illud arti. Deum etiam contemnit, qui in utroque testamento prohibet usurari. In veteri nanque testamento mandavit dicens: Mutuabis fratri tuo absque usura id quod indiget. In novo autem ait: Date mutuum, nichil inde sperantes. Et sic patet quod ista tria peccata violentiam inferant ipsi Deo. Nam blasphemus contemnit Deum; sodomita contemnit naturam, que est filia Dei; usurarius autem contemnit artem, que est filia nature, et per consequens neptis Dei. Et hoc est quod ait in textu:

Phylosophia, mi disse, a chi la 'ntende,

nota, non pure in una sola parte,

come natura lo su' corso prende

dal divino intellecto et da su' arte;

et se tu ben la tua Physica note,

tu troverai, non dopo molte carte,

che l'arte vostra quella quanto pote,

segue, come 'l maestro fa il discente;

sì che vostr'arte a Dio quasi è nepote.

Da questi due, se tu rechi a mente

lo Genesì dal principio, convene

prender sua vita et avanzar la gente;

ma perchè l'usurier altra via tene,

per sè natura per la sua seguace

dispregia, poi che 'nn altro pon la spene.

vv. 112-115

Designatis itaque per magistrum inferioribus circulis et peccatis, ait ipse magister ad Dantem: «Dimittamus ista et sequere me admodo, quia ire placet michi; quia Pisces, idest signum piscium, super orizontem nostrum irradiat, et Currus totus super Chorum iacet, et omnia illa astra que sunt iuxta occidentem tendunt breviter ad occasum. Unde ait in textu autori Virgilius:
Ma seguim'oramai, che 'l gir mi piace;
che ' pesci guizzan su per l'orizonta,
e 'l Carro tutto sovra 'l Coro giace,
e 'l balzo via là oltra si dismonta».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

In su la 'stremità d'un alta ripa
che facean gran pietre rotte in cerchio,
venimo sopra più crudele stipa;

Dicit hic autor quod in medio civitatis est quedam maxima profunditas admodum putei profundissimi, cuius superficies admodum circuli est rotunda. Et ista talis circularis rotunditas facta est de lapidibus magnis, non quidem politis, nec cum calce compositis vel muratis, sed de lapidibus fractis, sicut solent aliquando fieri materie vinearum sive ortorum; et in ista tali profunditate dicit autor quod sunt punita maiora peccata. Semper enim quanto magis ad yma descenditur, tanto magis maior iniquitas sive pravitas reperitur. Ideo ait in textu: «venimo sopra più crudele stipa».

vv. 7-9

«Anastagio papa guardo
lo qual trasse Fotin de la via ritta».

Hic facit autor mentionem de quodam Papa heretico qui vocatus est Anastasius, quem quidam hereticus, nomine Fotinus, de recta via extraxit et ad suum errorem adduxit. Tempore nanque Anastasii imperatoris fuit quidam dyachanus thesalonicensis qui vocabatur Fotinus; et hic erat hereticus. Iste Fotinus veniens Romam Anastasium Papam, secundum natione[m] romanum, de via catholica extraxit et hereticum fecit. Unde clerici Romane Ecclesie contra ipsum insurrexerunt, et

maxime quia ad petitionem ipsius Fotini quendam hereticum nomine Achasium restituere voluit, postquam damnatus fuerat per Ecclesiam Romanam. Hic autem papa Anastasius divino iudicio est percussus; nam cum ad secreta nature ivisset, egerendo intestina miserabiliter expiravit, ut legitur in cronicis Pontificum Romanorum.

vv. 22-27

D'ogni malitia, c'odio in cielo acquista
inguiria è il fine,

Sic construe licteram: Omnis malitia, que odium in celo acquirit, ad iniuriam alicuius persone procedit, et sic iniuria est finis cuiuslibet malitie. Et omnis talis finis illum quem offendit cogit penitus contristari, aut cum violentia aut cum fraude; sed quia fraus est gravius peccatum quam violentia, ideo artiori loco retruditur. Stant itaque sub violentibus fraudulenti, ut ait in textu:
Ma perchè froda è de l'uom proprio male,
più spiace a Dio; et però stan di sotto
li frodolenti,
etc.

vv. 49-51

Sodoma et Caorsa. Iste sunt due civitates: Prima non est, sed fuit antiquitus in Penthapoli ante diluvium, que cum aliis quatuor submersa est propter peccatum contra naturam. Et ab ista omnes hoc vitio laborantes sodomite dicuntur. Secunda vero est in provincia Provincie, in qua multum abundant usurarii. Et ab ista omnes usurarii Caorsini vocantur.

vv. 52-54

La froda, ond'ogni conscientia è morsa,

Fraus est duplex, secundum quod duplex est amor, scilicet naturalis et accidentalis. Amor naturalis facit hominem omnes homines equaliter diligere; accidentalis vero facit hominem uni vel pluribus singulariter adherere. Qui igitur facit contra primum amorem dicitur fraudulentus; qui vero contra secundum dicitur proditor. Ideo gravius puniuntur proditores quam fraudulenti. Et nota quod quanvis omne peccatum generet remorsum conscientie, in anima spetialiter tamen fraus et proditio. Unde ait autor in textu: «ond'ogni conscientia è morsa».

vv. 70-96

Ma dimmi: quei de la palude pingue, etc. Postquam Virgilius infernale baratrum tripartitus est, autor eum interrogat cur illi qui moventur a vento, idest luxuriosi, et illi qui percutiuntur a pluvia et grandine, idest gulosi, et illi qui sibi obviant cum tam asperis linguis, idest avari et prodigi, et illi de palude pingui, idest accidiosi, iracundi, invidi et superbi, non sunt puniti intra muros ignee civitatis. Ad quod respondet Virgilius et dicit quod incontinentia, sub cuius nomine septem radices peccatorum mortalium continentur, quia minus Deum offendit, extra civitatem punitur. Malitia vero et bestialitas, sub quibus violentia, fraus et proditio continentur, quia plus Deum offendunt, ideo intra civitatem durius puniuntur: violenti sub dominio Minotauri, fraudulenti sub dominio Gerionis, proditores vero sub dominio Luciferi. Ideo ait in textu:
Non ti rimembra di quelle parole
con le quali la tua Ethica pertracta
le tre disposition ke 'l cel non vole:
incontinentia, malitia, et la matta
bestialitate; et come incontinenza
men Dio offende et più biasim'accatta?
Se tu riguardi ben questa sentenza,
et rechiti a la mente chi son quelli
che sù di fuor sostengon penitenza,
tu vedrai ben perchè da questi felli
son diparti, et perchè men crucciata
la divina iustitia li martelli».
«O sol che sani ogni vista turbata,
tu mi contenti sì quando tu solvi,
che non men che saver, dubiar m'agrata.
Ancor un poco indietro ti rivolvi»,
diss'io, «là dove di' c'usura offende

la divina bontate, e 'l groppo solvi».

Audiens autor a Virgilio rationem superius assignatam, quomodo iusto libramine Deus extra civitatem Ditis punit incontinentiam, infra vero malitiam et bestialitatem, et non valens videre qua via vel modo usura violentiam inferat ipsi Deo, volens de hoc certificari, duo facit in verbis premissis. Nam primo commendat responsionem Virgilii dicens: «O sol qui sanas, idest clarificas et illustras, omnem intellectum turbatum, idest nebula ignorantie vel grossitie obscuratum, tu me ita contentas quando – supple dubia solvis – quod dubitare est michi gratum non minus quam scire». Secundo rogat ipsum Virgilium ut suum intellectum clarificet de dubio usure in animo iam concepto, dicens: «Adhuc unum modicum retro te volve ad illum, videlicet nempe locum, ubi dicis quod usura divinam bonitatem offendit»; «e 'l groppo solvi», idest solve michi istud scrupulum vel obscurum.

vv. 97-105

Cui Virgilius inquit:
«Phylosophia», mi disse, «a chi la 'ntende,
nota»,

etc. Hoc est, phylosophia, illi qui illam intelligit, notat, idest dicit vel demonstrat, non in una solummodo parte tantum, sed in pluribus, quomodo natura accipit suum cursum ab intellectu divino, idest operatur imitando ipsum divinum intellectum; quia ipsa natura, quantum potest, omnia que facit et producit conatur facere et producere ordinate et perfecte, sicut Deus omnia fecit. Unde ipsa natura taliter diffinitur: Natura est vis quedam rebus insita, similia de similibus generans vel producens. Nam nichil generat vel producit nisi quod divina bonitas primitus in prima creatione produxit, et sua opera facit divinius operibus similia quantum potest. Ideo dicitur in textu:

Natura lo su' corso prende

dal divino intellecto et da su' arte;

Simili modo ars imitatur naturam, secundum Philosophum in libro *Physicorum*, inquantum potest. Ita enim vadit ars post naturam, et imitatur ipsam sicut discipulus post magistrum. Et isto modo natura est filia Dei, ars vero neptis. Ideo sequitur in textu: «et se tu ben la tua Physica note», etc. usque: «sì che vostr'arte a Dio quasi è nepote».

vv. 106-108

Da questi due, se tu ti rechi a mente
lo Genesì dal principio, convene
prender sua vita et avanzar la gente;
Hoc est, si tu, consideratis istis duobus, quomodo scilicet natura sequitur Deum et ars sequitur naturam, nostram genesim, idest humanum principium, tibi reducis ad mentem, convenit genti, idest homini, a principio accipere suam vitam. Humanum enim principium duo nobis principaliter dictat, videlicet quod paucis simus contenti, et quod velimus cum iusto labore deducere vitam nostram. De primo ait Seneca: Exiguum natura desiderat opimo vero immensum. Et iterum: Si ad naturam vivas, nunquam pauper eris; si vero ad opinionem, nunquam dives. De secundo autem dixit Deus Ade, ut habetur in principio libri Genesis: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et Psalmista: Labores manuum tuarum quia manducabis beatus es, et bene tibi erit. Istis igitur duabus viis debet homo velle lucrari, ut scilicet non nimia appetat, et quod appetit cum suo sudore laboreque procuret. Et hoc est quod vult dicere textus: «dal principio convene / la gente prender sua vita et avanzare», idest lucrari. Sed quia usurarius aliam viam tenet, quia nec pauca appetit, nec id quod appetit cum iusto sudore procurat, ideo spurnit naturam. Unde sequitur:

vv. 109-111

Ma perchè l'usuriere altra via tene,
per sè natura per la sua seguace
dispregia poi che 'nn altro pon la spene.

In isto cantu continentur quatuor notabilia.

[Notabilia]

vv. 10-12

PRIMUM NOTABILE.

Lo nostro scender convien esser tardo,
sì che s'ausi in prima un poco il senso
al tristo fiato; et poi non fia riguardo.

In hoc notabili admonemur quod quando in aliquo nostro opere virtuoso vel arduo ab inconvenienti aliquo impedimur, quod illud tale opus dimittere non debemus, sed ad illud inconveniens paulatim assuescere nos oportet, quia tunc illud tale inconveniens propter usus frequentiam minuetur. Tanta est enim potentia usus quod convertitur in naturam; et quod in naturam convertitur, etiam si sit malum, ledendi potentia vacuatur.

vv. 52-54

SECUNDUM NOTABILE.

La froda, ond'ogni conscientia è morsa,
può l'uomo usare in colui ch' 'n lui fida
et in quei che fidanza non imborsa.

In hoc sententioso notabili due sententie continentur: Prima est quod a fraude omnis conscientia remordetur. Nullus enim homo committens fraudem a remorsu conscientie est immunis. Secunda est ista, quod fraude potest quis uti aut in hominem qui confidit in eum aut in hominem qui confidentiam non requirit. Quorum vero sit peius in precedentibus est ostensum.

vv. 79-81

TERTIUM NOTABILE.

Non ti rimembra di quelle parole
con le quali la tua Ethica pertracta,

etc. In verbis Virgilii hic et alibi evidentissime demonstratur quantis scientiis fulxerit autor iste. Fulxit enim atque refulxit tribus maxime scientiis, sicut in ista cantica continetur: videlicet primo phylosophia morali. Ideo ait hic sibi Virgilius: *la tua Ethyca*. Ethycam enim Aristotilis suam vocat quia, re vera, ipsam scivit, et moribus adimplevit. Nullus enim potest vere dici philosophus moralis nisi vixerit sicut docet vel legit. Secundo fulxit phylosophia naturali. Ideo subiungit sibi Virgilius in isto eodem cantu: *se tu ben la tua Physica note*. Physicam enim Aristotilis idest, suam esse dixit quia ipsam optime scivit et docuit. Tertio fulxit scientia poesie. Ideo in ista eadem cantica, cantu scilicet XX, sibi dixit ubi de Euriphyle augure pertractatur:

Euriphile ebe nome, et così 'l canta

l'alta mia tragedia in alcun loco:

ben lo sai tu che la sai tutta quanta.

In eo enim quod Virgilius dicit Dantem suam Eneydem, que est fons omnium poetarum, totam scire, clare et aperte demonstrat ipsum fulxisse scientia poesie.

vv. 91-93

QUARTUM NOTABILE.

O sol che sani ogni vista turbata,
tu mi contenti sì quando tu solvi,
che, non men che saver, dubiar m'agrata.

In isto notabili duo pulcra moralia continentur, que ornant quemlibet discipulum. Primum, in eo quod Dantes suum magistrum solem appellat, ibi: *O sol che sani*. Habet enim quilibet bonus doctor naturam solis; nam, sicut sol tenebras et nebulas suo fulgore repellit ab aere, ita bonus doctor ignorantie nebulas repellit a corde suo. Secundum, in eo quod ipse Dantes, quia ex solutionibus sui magistri magis illustrabatur in mente, dicit: *Tu mi contenti sì quando tu solvi*, etc. Ideo bene Philosophus in libro Methaphysica, dicit quod dubitare de singulis non est inutile.

XII

INCIPIT XII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XII cantu autor descendit in septimum circulum, qui incipit in isto cantu, ibi: «Così prendemo via giù per lo scarco», etc.; et finit in XVII, ibi: «torna' mi indietro da l'anime lasse». In cuius introitu ponit Minotaurum, qui tenet typum triplicis violentie, scilicet in proximum, se ipsum, et Deum. Dividit autem istum circulum in tres girones. Primus incipit ibi:
Ma ficca li occhi a valle, chè s'approccia
la riviera del sangue,
etc. Et finit ibi: «Poi si rivolse et ripassossi 'l guazzo». Et ponit in isto primo girone violentiam que exercetur in proximum.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-139

Descendens autor in septimum circulum, duo principaliter facit: Nam primo designat descensum, qualiter scilicet factus est, dicens quod ille descensus est ita factus sicut est illa ruina que in partibus Lombardie, inter Trivisium scilicet et Tridentum, fluvium Attacis percussit. Et in isto tali ruinoso descensu Minotaurum invenit, qui positus est ibi ut custodiat illam viam. Qui Minotaurus, statim quod vidit autorem, iracundia totus accensus, se ipsum pre nimia ira momordit. Contra quem Virgilius clamans ait: «Tu forsitan credis quod iste qui mecum est sit dux Atheniensis, qui tibi mortem superius in mundo porrexit? Recede hinc, bestia, quia iste non venit doctus a tua sorore, sed vadit vestra videndo tormenta». Tunc Minotaurus, ad similitudinem tauri cum fuerit letaliter vulneratus, qui ire vel currere nescit, sed huc et illuc saltando discurrit, de illa quam custodiebat ruina recessit. Et tunc Virgilius mandavit autori ut, interim quod ille erat in furia, viam arriperet versus yma. Dum autem sic ambo descenderent, et Dantes de illa ruina in sua mente aliquantulum cogitaret, ait ad eum ipse Virgilius: «Tu forsitan cogitas de ista ruina, que custodita est ab illa ira bestiali quam modo ego extinxi. Volo enim quod scias quod alia vice quando ad yma descendi, quod ista roccia, idest ista petrosa ruina, adhuc ruinata non erat. Sed certe, si bene discerno vel recolo, modicum antequam venisset ille qui magnam predam abstulit Diti de circulo primo, ex omni parte ista fetida vallis ita tremuit, quod ego cogitavi in corde meo quod universum sentiret amorem, per quem est

qui credat quod mundus in chaos pluribus vicibus sit conversus. Et in illo puncto petre in Inferno hic et alibi scisse sunt». Secundo, postquam autor descensum descripsit, ad designandum septimum circulum manum extendit, dicens quod vidit unam amplam foveam in cuius circuitu centauri armati currebant, qui centauri videntes istos descendere, se firmaverunt, et tres ex ipsis de acie exiverunt. Et unus istorum trium clamavit ad eos a longe dicens: «Ad quod martirium venitis vos qui de coste descenditis? Dicatis istinc, alioquin arcum extendo». Ad quem Virgilius ait: «Responsionem faciemus istic de prope nos Chyroni. Semper enim fuit ad tuum damnum tuum desiderium ita velox». Postea tetigit Dantem dicens: «Ille enim est Nessus, qui mortuus est pro Deianira et fecit ipsemet de se ipso vindictam. Et ille qui est in medio, qui respicit sibi pectus, est magnus Chyron, qui nutrivit Achillem. Ille vero alius Folus est, qui fuit iracundia ita plenus. In circuitu nanque istius fovee vadunt ad mille ad mille sagittando qualemcunque animam que plus de sanguine se evellit quam culpa sua minime sortiatur». Et hec dicens appropinquavit ad illos. Chiron autem, videns Dantem pedibus lapides conmoventem, ait ad socios: «Perpenditis vos quod ille qui venit retro movet omne quod tangit? Non sunt ita soliti pedes facere mortuorum». Cui Virgilius: «Vere vivus est et non mortuus, cui me oportet ostendere vallem nigram, virtute et autoritate illius que veniens de illo loco ubi alleluia cantatur, conmisit istud officium michi novum. Sed per illam virtutem per quam moveo pedes meos per tam silvestrem stratam, te adiuro ut de tuis des nobis unum in ducem, qui et viam nobis demonstret, et hunc, quia non est spiritus qui vadat per aerem, portet». Tunc Chiron mandavit Nesso ut eos incolumes secum ducat. Qui cum Chironi per omnia paruisset, et eos portavit, et istum primum gironem curialiter confabulando monstravit, et eos usque ad ripam aliam transvadavit. Dum autem sic iuxta fluvium sanguinis peregrarent, Centaurus monstravit autori quasdam animas que erant usque ad cilium in illo sanguine bullienti submerse, quas dixit esse animas tyrannorum qui in hoc mundo contra bona subditorum ac etiam sanguinem tyrannide usi sunt. Et inter alios demonstravit ei quatuor summos tyrannos, videlicet Alexandrum imperatorem Grecorum, Dyonisium regem Syracusarum, Azolinum de Romano, et Opizum Marchionem Extensem; quorum primus tyrannizavit in toto orbe terrarum; secundus in regno Sicilie; tertius in Marchia Trivisana ac etiam in pluribus partibus Lombardie; quartus vero in civitate Ferrariensi et alibi. His autem visis, autor una cum Virgilio super Centaurum ascendit et fluvium transvadavit. Cum vero sic fluvium transvadarent, dicit autor se vidisse quasdam animas usque ad gulam ibi submersas. Quas cum attente respiceret, demonstravit sibi Centaurus unam animam solam, dicens: «Iste scidit in gremio Dei illud cor quod adhuc super Tamigium deploratur».

Postea vidit quandam gentem que caput et totum corpus tenebant, exceptis tibiis et cruribus, extra rivum. Et sic quanto plus ibant, tanto plus ille sanguis in illo fluvio bassus erat, ubi animas solummodo in pedibus cruciabat, et ibi ad ripam aliam transvadarunt. Et antequam Centaurus eos deponeret, ait ad Dantem: «Sicut ex ista parte tu vides fluvium valde bassum, ita volo quod pro certo tu credas quod ab ista alia parte fluvius profundatur, ubi peccatum tyrannidis condemnatur. In quo loco quinque alios summos violentos tyrannos atque predones similiter nominavit. Quorum primus fuit Totila, flagellum Dei; secundus Pirrus, rex Epyrotarum; tertius, Sextus, filius Magni Pompei; quartus, Raynerius de Corneto; quintus vero et ultimus, Raynerius Pazzo; qui duo ultimi fuerunt stratarum publici predatores». Postquam vero Centaurus autori omnia que sunt in isto primo girone monstravit, ispum ad terram deposuit, et per viam quam transvadaverat transvadavit. Unde ait in textu: «Poi si rivolse et ripassossi 'l guazzo».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Era lo loco ov'a scender la riva
venimo, alpestro.

Licteram sic construe: Ille locus ubi ripam descendere venimus erat alpestris, idest valde durus et arduus, sicut sunt loca in Alpibus, ubi nulla via vel semita reperitur.

et, per quel che v'er'anco,

tal, c'ogni vista ne sarebe schiva.

Quasi dicat: Non solum propter asperitatem ille locus per quem descendimus erat horridus pedibus ad ambulandum, sed erat omni visui terribilis et abominabilis etiam ad videndum; et hoc propter illud quod erat ibi, scilicet precipitium quod erat adeo magnum, quod fundus ibi nullatenus videbatur.

vv. 4-6

Qual è quella ruina che nel fianco
di qua da Trento l'Adice percosse,
o per tremuoto o per sostegno manco,
etc. Exemplificat hic autor et dicit quod illa ruina, per quam descendit, est similis ille ruine que est in montibus citra Tridentum, que quidem ruina Attacis fluvium percussit, aut propter terremotum, aut propter debilem fundamentum. Istoria talis est: Inter Tridentum enim et Trivisium est quidam mons qui vocatur Barchus, et iuxta istum montem, ex latere Trivisii, transit quidam fluvius qui appellatur Attax; iste itaque mons in quadam sui parte, aut propter terremotum aut propter debile fundamentum, cum magna valde ruina descendit in planum; et sic ad yma ruendo, ab una ripa fluvium Attacis percussit. Fluvius vero taliter a monte percussus, fere per miliare recessit; tanta enim fuit materia quam secum illa ruina contraxit, quando sic de monte ruendo descendit in planum. Et in capite istius ruine invenit Minotaurum, qui tenet typum atque figuram malitie et bestialitatis. Et sub nomine malitie et bestialitatis ponit autor violentiam atque fraudem. Violentiam dividit in tres partes, secundum quod homo potest ea tripliciter uti: videlicet contra proximum, contra se ipsum, et contra Deum. Prima punitur in primo girone, in quodam scilicet fluvio sanguinis bullientis. Secunda ponitur in secundo girone, in quodam scilicet nemore prunis silvestribus et canibus nigris pleno. Tertia vero punitur in tertio girone, in quodam loco scilicet arenoso, ubi continue pluvit ignis. Fraus autem dividitur in duas partes, scilicet in deceptionem et proditionem. Sed quia decem modis committitur fraus, ideo decem locis punitur; que loca malebulgie nuncupantur. Proditio vero, quia quadripartita est, idcirco in quatuor partibus collocatur sive includitur.

vv. 10-18

e 'n su la punta de la rotta lacca
l'infamia di Creti era discesa.

Ista Cretensis infamia fuit quidam vir inhumanus, filius regis Minoys, qui dictus est Minotaurus. Cuius ystoria hec est: Dum Pasiphe, uxor Minois regis Cretensis , pulcritudine unius tauri, ut poete dicunt, plurimum capta esset, rogavit Dedalum, qui erat valde ingeniosus, ut viam inveniret et modum quomodo ipsa cum illo tauro, quem tantum amabat, concumbere posset. Dedalus autem, vir summi ingenii, vaccam ligneam vacuam intus fecit, quam corio unius pulcerrime vacce, quam ille taurus ardenter amabat, cooperuit, et ibi intus reginam Pasiphem abscondit. Taurus vero, visa vacca, ad eam cucurrit, et ypsam ymaginans esse vaccam, cum regina concubuit. Unde Virgilius in Bucholicis:

Pasiphen nivei solatur amore iuvenci.

Ha, virgo infelix, que te dementia cepit?

Virginem vocat eam Virgilius, non quod virgo esset, quia iam mater fuerat Fedre, Adriagnes, et Androgei, sed a viridi et pulcra etate virginem eam vocat. Ex quo concubitu fuit genitus Minotaurus, homo quidam, scilicet inhumanus, ut dicit magister in ystoriis scolasticis. Videns autem Minos talem filium sibi natum, ipsum in laberinto reclusit. Unde Ovidius, 8 libro Metamorphoseos, in VII versibus quatuor breviter comprehendit, scilicet adulterium regine, partum ipsius adulterii monstruosum, laberintum a Dedalo fabricatum, et in ipso Minotaurum inclusum, dicens:
Creverat opprobrium generis, fedumque patebat
Matris adulterium monstri novitate biformis;

Destinat hunc Minos thalami removere pudorem
Multiplicique domo cecisque includere tectis.
Dedalus ingenio fabre celeberrimus artis
Ponit opus, turbaque notans, et lumina flexu
Ducit in errorem variarum ambage viarum.

Et cum ipse Minos Athenienses tam atroci prelio subiugasset, quod tenebantur annuatim ipsi Athenienses suos pueros mittere devorandos, post nonum annum tributi cecidit sors super Egei, regis filium, qui vocabatur Theseus, clamanti universo populo Athenarum quod per illos novem transactos annos filii eorum Minotauro devorandi fuerant destinati. Theseus autem, veniens in Cretam, ab Adriagne, filia regis Cretensis, diligitur, et ob hoc ab ipsa sagaciter edocetur quomodo ab ipso Minotauro non solum evadat, sed insuper, quomodo ipsum occidat et de ipso postea exeat laberinto. Dedit enim sibi unum globum fili cum quo, sicut intraret, exitum invenire valeret; ac etiam quasdam pallas, pice, lana et farina confectas, mandans ei ut cum Minotaurus os pre fame et bestiali iracundia aperiret, quod illas pallas proiceret in os eius. Ideo infra ait in textu ipsi Minotauro Virgilius:

vv. 19-21

Pàrtiti, bestia, chè questi non vene
ammaestrato da la tua sorella,
Quod cum Theseus omnia que Adriagnes eum docuerat perfecisset, Minotaurum ipsum occidit et de laberinto liber et salvus exivit. Sed cum Minos comperisset quod Dedalus vaccam ligneam facerat et ibi reginam incluserat, ipsum et filium eius Ycarum in laberintum reclusit. Sed illi, alis sibi impositis, de laberinto exiverunt, sicut infra in octavo circulo, cantu XVII, clarius apparebit. Sed circa istam ystoriam sive fabulam duo principaliter sunt videnda: Primum est veritas hystorie; secundum vero, allegoria fabule. Veritas ystorie est ista: In regno namque Cretensi fuit quidam notarius regis Minois, nomine Taurus, quem regina Pasiphe dilexit et cum eo in domo Dedali occulte concubuit. Sed quia geminam figuram secundum poetas genuit, quia medius homo et medius taurus, ideo dicitur quod humana fuit genita a Minoe, inhumana vero a tauro. Unde puer natus dictus est Minotaurus, quasi Minois et Tauri filius. Sed re vera homo inhumanus fuit. Dedalum autem in laberinto inclusum regina (cor) corruptis custodibus relaxavit. Et inde fabulose dictum est ipsum, alis assumptis, una cum filio advolasse. Allegorice autem istam fabulam sic accipimus: Iste enim laberintus mundum significat, quia plenus est omni fallacia et errore. Nam mundum intrantes nesciunt exire de illo, sicut nec de laberinto tributarii pueri Athenarum. Dicitur autem laberintus a *labor, –ris*, et *intus*; quia homo intrando illum <labitur intus>, ut dicetur infra, sic mundum intrantes per diversa peccata labuntur. Per Minotaurum vero, qui intrantes pueros devorabat, dyabolum intellige, qui animas devorat et sibi incorporat. Per Theseum autem ducem scilicet Athenarum, accipe Christum, et per nominis interpretationem et officii dignitatem. Interpretatur enim Theseus <bona positio>, ab *eu* quod est <bonum>, et *thesis* quod est <positio>; inde *theseus*, <bona positio>. Et Christus et bona fecit, iuxta illud <bene omnia fecit, et in bonum signum positus est>, iuxta illud quod dixit Symeon ad Mariam matrem eius: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel; sicut Theseus fuit ruina Minotauri, quem interfecit, et resurrectio, idest liberatio, Athenarum, que a tributo per ipsum liberate sunt. Dux autem Theseus dicitur Athenarum et bene Christum ducem eternitatis significat. Interpretantur enim Athene eterne sive immortales, ab *athanatos*, quod est <immortalitas>, vel <eternitas>. Iste igitur dux, idest Christus, Minotaurum, idest diabolum, occidit, proiciendo in os eius picem et pilos, idest carnem et sanguinem in sua potestate ponendo, et sic genus humanum ab eius dominio liberavit, sicut liberavit Theseus populum Athenarum. Sed nota quod Theseus consilio et auxilio Adriagnes hoc fecit, et Christus consilio et auxilio Spiritus Sancti dyabolum occidit et populum liberavit. Nam Adriagnes dicitur ab *andor*, quod est <virtus>; et Christus quicquid faciebat, in virtute Spiritus Sancti faciebat. Unde ipse ait in Evangelio: Porro si in spiritu Dei eicio demonia, etc. Filo autem de laberinto exivit Theseus, et Christus subtilitate sue prudentie, dum a morte capitur, cepit mortem. Unde canit Ecclesia: Qui mortem nostram moriendo destruxit. Vel per laberintum possumus accipere Limbum, in quem Christus die sue passionis descendit, diabolum ligavit, ianuas Inferni confregit, patres sanctos inde eduxit, et sic inde victor gloriosus ascendit.

Sed quia mentio facta est de laberinto, videamus quid sit et quot fuerint laberinti. Laberintus enim, ubi fuit Minotaurus inclusus, fuit quidam carcer horridus et obscurus, sicut ait beatus Ysidorus, XV libro Ethymologiarum, in hec verba: Laberintus est perplexis parietibus edificium, qualis est apud Cretam a Dedalo factus, ubi fuit Minotaurus inclusus; in quo si quis introierit sine glomere lini, exitum invenire non potest. Cuius edificii talis est situs, ut aperientibus fores tonitruum intus terribile audiatur; descenditur autem centenis ultra gradibus; intus simulacra et monstrifice effigies, in partes diversas transitus innumeri per tenebras, et cetera ad errorem ingredientium facta, ita ut de tenebris eius ad lucem venire impossibile videatur. Quatuor autem sunt laberinti: primus in Egypto, secundus in Creta, tertius in Lemno, quartus in Ytalya; omnes ita constructi ut dissolvere eos nec secula quidem possint. Hucusque beatus Ysidorus.

vv. 40-45

da tutte parti questa valle feda
tremò sì, ch'i' pensai che l'universo
sentiss'amor, per lo qual è chi creda
più volte 'l mondo in chaos converso;

Construe sic licteram: Quando Christus mortuus est, ex omni parte ista vallis tremuit infernalis, et intantum tremuit quod ego Virgilius credidi quod universum, idest celum et terra et omnia que in eis sunt, sentirent amorem; per quem amorem est qui credat, Empedocles scilicet philosophus, quod mundus sit pluribus vicibus versus in chaos, idest in confusionem et sui destructionem. Ad cuius sententie evidentiam clariorem est sciendum quod quidam philosophus, qui vocatus est Empedocles, de quo fit mentio supra in primo circulo, cantu quinto, posuit quod omnia facta sunt ex duobus principiis, scilicet amore et odio. Et posuit quod quando odium est inter ipsa creata, tunc bene reguntur et gubernantur omnia, quia unum elementum alterius invidia optime operatur. Sed quando inter ipsa creata esset amor, posuit quod tunc mundus dissolveretur, quia propter concordiam elementa ab invicem dissentirent. Et sic per istum modum posuit quod pluribus vicibus mundus erat destructus et iterum erat factus. Convenientia enim sive concordia, ut ipse ponit, est dissolutio universi, sicut e contra, discordia est coadunatio et conservatio omnium creaturarum. Unde ait in textu: «Io pensava che l'universo / sentisse amore per lo quale è chi creda / che il mondo più volte sia converso in chaos», idest in confusionem, sive in illam primam et primordialem materiam ex qua creatus est mundus. De qua primordiali materia ait Ovidius, primo libro Methamorphoseos:
Ante mare et terras et quod tegit omnia celum
Unus erat toto nature vultus in orbe.
Quem dixere chaos: rudis indigestaque moles.

Et nota quod chaos accipitur duobus modis: Primo enim accipitur pro distantia locorum, ut in Evangelio beati Luce dicitur: Inter nos et vos chaos magnum firmatum est. Secundo modo accipitur pro primaria rerum confusione, ut hic. Vult itaque dicere hic Virgilius quod quando in passione Christi terra tremuit, quod ipse credidit, secundum opinionem Empedoclis, quod mundus sentiret dominium amoris, ex quo dominio deperiret.

vv. 46-48

Ma ficca li occhi a valle, chè s'approccia
la riviera del sangue,
etc.

Hic incipit primus giro, in quo tractat autor de violentia que exercetur in proximum. Cuius pena est quod punitur in quadam fovea plena sanguine bullienti; in circuitu cuius fovee ponit Centauros, arcubus et sagittis armatos, qui quidem tenent typum et figuram violentie, quia ipsi primo humanam libertatem cum equis per violentiam conturbarunt.

O cieca cupidigia et ira folle. Hic exclamat autor contra cecam cupiditatem et iram bestialem tyrannorum et avarorum. Et ex hoc videtur quod violentia que infertur in proximum oriatur aut ex cupiditate aut ex ira. Ista enim duo peccata, cupiditas scilicet et ira, movent hominem ad proximum offendendum, aliquando in rebus, aliquando in persona. Et de istis duobus peccatis, avaritia scilicet et ira, habes superius cantu VIII, circulo V.

vv. 55-57

et tra 'l pie de la ripa et essa, in traccia
corren Centauri armati di saette.

Centauri fuerunt primi homines qui equos primitus domuerunt: et quia centum homines fuerunt, ideo Centauri, idest centum armati, dicti sunt, vel quia ut aura velociter discurrebant. Fuerunt autem de provincia Thesalie, ubi mons Parnasus est olim Apolini consecratus. Ista Thesalia fuit origo Achillis et Laphytarum, idest centaurorum, ut ait beatus Ysidorus, XIIII Ethymologiarum. Ponuntur autem hic ab autore in circuitu sanguinis tanquam ministri et executores tyrannidis et violentie; nam hii primitus humanam libertatem cum equis per violentiam conturbarunt, ut dictum est. Et ideo merito hic ponuntur.

vv. 64-66

La risposta farem noi a Chyron. Iste Chyron fuit quidam antiquus medicus et citharista Grecorum, qui quidem, ut ait beatus Ysidorus, III libro Ethymologiarum, medicinam iumentorum primus invenit.

Ideo pingebatur ab antiquis media parte homo et media parte equus. Hic Chyron, ut dicunt poete, nutrivit Achillem, sicut habetur infra cantu XXVI. Ideo ait autor in textu: «Et quel di mezzo, c'al petto si mira, / è il gran Chirone, il quale nudrì Achille». De cuius morte diverse extant sententie. Nam quidam dicunt quod in bello Laphytarum ab Hercule sit occisus. Alii vero dicunt, et melius, quod Chyron recepit Herculem hospitio et cum sagittas Herculis, que erant venenose, tractaret, una sibi cecidit super pedem, et sic venenato vulnere expiravit. Hoc enim innuit Ovidius in V libro Faustorum, dicens:
Dumque senex tractat squalentia tela venenis
Excidit et levo est fixa sagitta pede;
Ipse tamen lectas pegaseis montibus herbas,
Temperat et vana vulnera mulcet opere
Virus edax superabat opem.

vv. 67-69

Quelli è Nesso
che morì per la bella Deianira,
et fè di sè la vendetta elli stesso.

Dum Hercules gygas cum Deianira coniuge sua, postquam domuit fluvium Acheloum, pervenisset ad alterum fluvium quid dicitur Ebenus, de quo Ovidius, VIIII Methamorphoseos:
Venerat ebeni rapidas Iove natus ad undas.

Et propter aquarum abundantiam transire nequiret, Nessus existens in ripa fluminis ait ad Herculem: Ego scio vada istius aque, et ideo tuam coniugem potuero transvadare. Tu autem tuis viribus utere in natando. Unde Ovidius in nono:
Nessus adit, membrisque valens scitusque vadorum,
«Officio» que «meo ripa sistetur in illa
Hec» ait «Alchide, tu viribus utere nando».

Tunc Hercules Nesso tradidit Deyaniram, et ipse spolio leonis et faretra oneratus fluvium transvadavit. Nessus vero, postquam cum Deyanira fluvium transmeasset, ipsius pulcritudine captus et in pedum velocitate confisus, cum Herculis deposito fugiebat. Quem Hercules sagitta insequens tossicata ait ad eum, ut refert Ovidius, libro ut supra:

«Si te nulla mei reverentia movit, at orbes

Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.

Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina;

Vulnere, non pedibus te consequar». Ultima dicta

Reprobat, et missa fugientia terga sagitta

Trahicit.

Nessus autem, sentiens venenum per venas discurrere, secum ait: «Neque enim moriemur inulti», et suam camisiam calido cruore respersam dedit pro magno munere Deianire dicens: «Accipe hoc irritamen amoris»; quasi dicat: Ista camisia, in meo sanguine

madefacta, amorem inter te et Herculem irritabit. Et his dictis, mortuus est ipse Nessus. Post multum vero temporis ipsi Deianire fama loquax processit ad aures, que de sui natura veris addere falsa gaudet, et e minimo per mendacia crescit, quod Hercules scilicet Iolem, filiam cuiusdam regis, summo amore amabat.

Credit amans, venerisque nove preterita fama

Indulsit primo lacrimis, flendoque dolorem

Diffudit miseranda suum. Mox deinde, «Quid autem

Flemus», ait, «pellex lacrimis letabimur istis».

Et secum colloquens ait: Sicut Meleager frater meus, propter amorem Athalanthe, occidit duos avunculos, sic ego Deyanira occidam Yolem pellice viri mei. Et advocans unum ex famulis suis qui vocabatur Lineas prebuit ei imbutam Nesseo sanguine vestem, nesciens ipsa quod illa vestis Herculem haberet occidere. Quam vestem cum Hercules induisset, tanta fuit vis illa veneni quod «Herculeos abiit late diffusa per artiis».
Nec mora, letiferam conatur scindere vestem:
Qua trahitur, trahit illa cutem, fedumque relatu,
Aut heret membris frustra tentata revelli
Aut laceros artus et grandia detegit ossa.

Alii autem dicunt, quod quidem verius est, quod Hercules propter illam camisiam venenatam in morbum incidit pestilentem, et ideo, ut deus videretur, se ipsum in flammas iecit. Unde Seneca, VII libro Tragediarum, de morte Herculis loquens ait:
Alcydes post terre pelagique pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubat in Ethna,
Prebuit sevis sua membra flammis,
Tabe consumptus gemini cruoris
Munera nupte.

vv. 70-72

Quell'altro è Folo, che fu sì pien d'ira. Folus fuit quidam homo bellicosus et valde potens in armis, sed tamen totus iracundia plenus. De quo narrat Statius, tertio libro Thebaidos, quod tempore belli Thebani, dum VII reges contra Thebas convenissent in unum et Amphyoraus sacerdos et vates Apolinis deos consuleret, et ipsi dii respondissent quod non erat tutum ad bellum procedere contra Thebas, iste Folus, iracundia inflammatus, ait ad Amphioraum: «Non enim debemus timere dicta deorum, sed potius ire viriliter contra hostes. Nam michi est virtus et ensis».

vv. 82-84

E 'l mi buon duca, che già li er'al petto
ove le due nature son consorti,

Centaurus ex duabus naturis componitur, equina scilicet et humana. Nam ab umbilico supra habet naturam hominis, ab umbilico vero deorsum in quatuor pedibus estat equus. Et ideo quilibet centaurus habet duo pectora, scilicet pectus humanum et pectus equinum. Ideo ponit autor quod quando Virgilius applicuit ad centauros, cum capite pertingebat ad pectus equinum, ubi due nature coniunguntur in unum. Ideo ait in textu: «dove le due nature son consorti».

vv. 85-96

rispose: «Ben è vivo, et sì soletto

mostrar li mi convien la valle buia;
necessità 'l ci 'nduce et non dilecto.
Tal si partì da cantare alleluia
che mi commise quest'officio novo;
non è ladron, nè io anima fuia.
Ma per quella virtù per cu' io movo
li passi miei per sì selvagia strada,
dann'un de' tuoi, a cui noi siamo a provo,
et che nne mostri là dove si guada,
et che porti costui in su la groppa,
chè non è spirto che per l'aer vada.

Verba sunt Virgilii ad Chironem. Et nota VII que facit Virgilius in verbis istis: Nam primo respondet verbis que dixerat ipse Chiron ad socios suos cum dixit: «Perpendistis vos quod ille qui venit retro movet omne quod tangitur? Sic non solent pedes facere mortuorum». Et tunc ait Virgilius ad eum: «Bene est vivus; quasi dicat, non mireris si movet pedibus universa que tangit, quia homo est et non spiritus. Nam ista est differentia inter corpus et spiritum in tangendo, quia spiritus ea que tangit movet; quia, secundum philosophos, omne quod movetur aut est animal aut movetur ab animali. Secundo, assignat sibi causam quare iste sic vivus graditur per Infernum, dicens necessitatem esse causam istius itineris. Nam, ut habetur infra in secunda cantica, cantu XXX, iste tantum deviaverat a bono quod ad illud redire non poterat nisi prius videret Infernum. Unde ait ibi Beatrix:

Tanto giù cadde che tutti argomenti
a la salute sua eran già corti
fuor che mostrarli le perdute genti.

Ideo ait hic: «sì soletto / mostrar li mi conviene la valle buia; / necessità il ci 'nduce», etc. Quasi dicat: Sibi est concessum Inferni secreta videre et michi preceptum ipsi eadem demonstrare. Tertio respondet uni tacite questioni: Poterat enim dicere Chiron: A quo est tibi concessum ut isti vivo demonstres opera mortuorum? Et ideo respondet Virgilius quod sibi fuit concessum a quadam supernaturali virtute, dicens «Tal si partì da cantare», etc. Quasi dicat: Ne timeas de nostro descensu, quia non descendimus ut latrones, sed ut persone quibus uni est videre concessum, et alteri ostendere est preceptum. Quarto, Virgilius ipsum Chironem per divinam virtutem adiurat ut eis prestet unum ex suis, qui faciat eis tria: Primum est ut eos associet. Ideo ait: «danne un de' tuoi a cui noi siamo a provo». Secundum est ut eis demonstret in qua parte sanguinis extat vadum. Ideo ait: «et che nne mostri là dove si guada». Tertium est ut Dantem baiulet supra se, quia non est spiritus qui per aerem vadat. Ideo ait:

et che porti costui in su la groppa,

chè non è spirto che per l'aer vada.

vv. 97-99

Chiron si volse in su la dextra poppa. Assignatis rationibus a Virgilio quare in Infernum descenderunt, et facta adiuratione ut eis securum prestet ducatum, statim mandavit Nesso ut eos ducat et a venientibus cuneis centaurorum eripiat et defendat.

vv. 106-108

Quivi è Alexandro. Volens autor de tyrannide et tyrannis exemplariter pertractare, incipit ab Alexandro, qui suas victorias et virtutes maximas multis vitiis et maxime tyrannide maculavit. De

cuius tyrannide, ut fastidium tollam legentibus, ponam solummodo quatuor exempla: Primum ponit Sacra Sciptura, primo libro Machabeorum, in hec verba: Alexander Phylippi, Macedo, egressus de terra Septhin percussit Darium regem Persarum et Medorum, et constituit prelia multa, et omnium obtinuit munitiones, et interfecit reges terre, et pertransiit usque ad fines terre, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu eius. Et congregavit virtutem et exercitum fortem nimis, et exaltatum et elevatum est cor eius; et obtinuit regiones gentium et tyra[n]nos, et facti sunt illi in tributum. Secundum ponit Seneca, dicens quod Alexander quendam suum pedagogum qui vocabatur Lisimacus leonibus tradidit devorandum. Istud idem narrat Valerius libro VIIII, capitulo de ira aut odio. Tertium ponit idem Valerius eodem libro, capitulo de superbia, dicens quod filium Phylippi regis se esse negabat, se ex Iove genitum affirmabat. Mores et vestes sui Macedonici regni spernebat et Persarum mores, vestesque sumebat. Et ut deus et non homo videretur, cultu divino suum caput ornabat. Sed ut non careas tu, Lucane, dulci latino ipsius Valerii, accipe textum eius: Alexandri, inquit, regis virtus ac felicitas tribus insolentie evidentissimis gradibus exultavit; fastidio enim Phylippi Iovem Amonem patrem ascivit, tedio morum et cultus Macedonici vestem et instituta Persica assumpsit, spreto mortali habitu divino caput velatus est. Nec fuit ei pudori filium civem hominem dissimulare. Quartum ponit etiam ipse Valerius libro VIII, capitulo de cupiditate glorie, in hec verba: Nam Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarco comiti suo ex autoritate Democriti preceptoris innumerabiles mundos esse referenti: «Heu me, inquit, miserum, quod ne uno quidem adhuc sum potitus». Et subdit Valerius: «Angusta homini possessio fuit, que deorum omnium domicilio suffecit».

Et Dyonisio fero, / che fe' Cicilia aver dolorosi anni. Iste Dyonisius fuit rex Syracusarum. Ubi nota quod quicunque illo tempore erat rex Siracusarum, erat et rex totius Sicilie ac totus Ytalie. Fuit autem iste Dyonisius tyrannus super omnes tyrannos, a quo omnes mali reges et principes tyranni dicuntur. Nam ante ipsum omnes reges tyranni dicebantur; post ipsum vero, solum mali reges tyranni vocantur. Et ut breviter eius tyrannidem videamus, tria de ipso spetialiter ponam, scilicet suum principium, suum medium, et suum finem. Suum principium fuit istud, quod antequam nasceretur fuit per oracula revelatum qualis tyrannus futurus erat in mundo. Narrat enim Valerius, libro 1, capitulo de somniis, quod quedam nobilis domina de Sicilia rapta per somnium fuit in celum, ibique deorum omnium sedibus perlustratis vidit, prevalentem virum flavi coloris, lentiginosi vultus, ferreis catenis vinctum Iovis solio pedibusque subiectum. Que mulier cum iuvenem que ipsam ducebat interrogavit quisnam esset, audivit illum esse totius Sicilie atque Ytalie dirum fatum, solutumque a vinculis multis urbibus exitio futurum. Quod somnium postero die sermone vulgavit. Postquam vero Dyonisius tyrannicum dominium accepisset, illa ad spectaculum cucurrit, et quem nunquam viderat recognovit, et turbis vociferando, hunc esse quem in visione viderat acclamavit. Quod ut tyrannus audivit, ipsam protinus occidi mandavit. Mater etiam sua dum ipsum Dyonisium gestaret in utero somniavit parere satiriscum. Est autem satyriscus serpens monstruosus et valde venenosus. Medium autem suum, sive vita sua, fuit totaliter viciosa. Nam quadraginta duobus annis quibus regnavit inaudita pericula perpetravit. Multas urbes subvertit, multas gentes delevit, et non solum rebelles, sed etiam fideles, terra marique tyrannica dominatione subegit. Et ut breviter suam tyrannidem uno verbo concludam, intellige quod, cum de aliis tyrannis multa bona legantur cum malis, ut patet de Alexandro et aliis, de isto inter tot mala que fecit nullum bonum legitur nisi duo: que quidem duo bona, expletis nequitiis suis, ponam.

Redeo ad vitam suam, que adeo mala fuit quod nec in amicis et consanguineis confidebat, nec divinam iustitiam perhorrebat. De primo scribit Valerius, libro VIIII, capitulo quod sic incipit: Quam exquisita custodia usi sunt quibus suspecti domestici fuerunt. Quod summotis amicis in eorum locum ferocissimarum gentium homines posuit, electisque prevalidis servis latera sua custodienda commisit, tonsorum quoque metu tondere filias suas docuit. Uxores vero suas excussas nunquam amplexatus est. Cubicularem etiam lectum quasi castra lata fossa cingebat, in quem se ligneo ponte recipiebat. De secundo ponit beatus Ambrosius in libro de virginibus, et Valerius libro I, capitulo de neglecta religione, sic dicens: Siracusis genitus Dyonisius tot sacrilegia sua, quot iam recognoscimus, iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit: fano enim Proserpine spoliato, cum per altum mare secundo vento classe veheretur, ridens amicis ait: «Videtisne quam bona navigatio ab ipsis diis immortalibus sacrilegis tribuatur?» Detracto etiam Iovi Olimpio magni ponderis aureo anuculo, iniectoque ei laneo pallio, dixit estate gravem esse aureum anulum, hyeme frigidum, laneum autem ad utrunque tempus anni aptius. Idem Dionisius Esculapio barbam auream demi iussit, dicens non conveniri patrem Apollinem imberbem, ipsum vero barbatum conspici. Idem Dyonisius mensas argenteas atque aureas e phanis substulit, quodque in his mensis, more Grecie, scriptum erat bonorum deorum eas esse uti se bonitate eorum predicavit. Idem Dyonisius victorias aureas, et pateras, et coronas, que simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat, et eas se accipere et non auferre dicebat; per quam stultum esse argumentando, a quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle summere. Et quamvis, ut ait autor, statim secundum merita punitus non fuerit, tamen quanto Deus magis ipsum punire distulit, tanto magis eum percussit. Lento enim gradu, ut ait ipse Valerius, ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate pensat. Finis autem Dyonisii talis fuit quod postquam quadraginta duos annos in tyrannide consumpsisset, de regno fuit expulsus; qui in Greciam fugiens ad tantam devenit inopiam et miseriam, quod puerorum factus est pedagogus. Unde Valerius, libro VI, capitulo de mutatione morum aut fortune: Dyonisius,

inquit, cum a patre Syracusanorum tyrannidem, idest dominium, accepisset maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens, propter inopiam puerulos licteras Corinthi docuit.

Inter tot vero mala que fecit, duo solum memorabilia bona a scriptoribus enarrantur. Scribit enim Valerius libro VI, capitulo de libere dictis aut factis, quod senectutis ultime quedam mulier Syracusana omnibus Dyonisii tyranni exitum propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera votis expetentibus sola, quotidie matutino tempore, deos ut incolumis ac superstes esset orabat. Quod ubi Dionisius cognovit, non debitam sibi admiratus benivolentiam, accersivit eam, et quid ita hoc aut quo merito suo faceret interrogavit. Tum illa: «Certa est», inquit, «ratio propositi mei; puella enim, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam; quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit; eius quoque finiri dominationem magni extimabam. Tertium te superioribus inportuniorem habere cepimus rectorem. Itaque ne, si tu fueris assumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute devoveo». Tam facetam audaciam Dyonisius punire erubuit.

Aliud narrat idem Valerius, libro IIII, capitulo de amicitia, videlicet quod duo philosophi quorum unus vocabatur Damon et alter Pythias, Pictagorice prudentie sectatores, tanta erant inter se amicitia copulati, ut cum unum ex his Dyonisius Syracusanus tyrannice velle occidere, a tyranno ut iret in patriam suam, quatinus antequam moreretur domum posset et familiam ordinare, licentiam postulavit. Cui tyrannus hac conditione licentiam condonavit, ut vadem, idest fide iussorem, pro ipsius reditu inveniret. Quod socius audiens, se vadem tyranno dare non dubitavit. Ista itaque conditione solutus erat periculo mortis qui modo gladio cervices subiectas habuerat; eodem periculo caput suum subiecerat, cui secure vivere licebat. Igitur omnes, et spetialiter Dyonisius, nove ac periculose promissionis exitum expectabant. Appropinquante autem finita die, nec illo redeunte, unusquisque sponsorem fuisse fatuum asserebat. Sed ille nichil se de amici constantia metuere predicabat. Eodem autem momento et hora a Dyonisio constituta, qui domum iverat est reversus. Tyrannus autem, amborum animum admiratus, supplicium tante fidei remisit. Insuper rogavit ut in societatem tante benivolentie se tertium acceptarent.

vv. 109-111

Et quella fronte e'à 'l pel così nero
è Azolino.
Iste fuit Enzolinus de Romano, gener Frederici imperatoris, qui tyrannidem exercuit in Marcia Trivisana et in provincia Lombardie. Nam inaudita supplicia et importabilia onera irrogavit, non solum laycis, sed etiam clericis et prelatis.

Et quell'altro ch'è biondo, / è Opizzo da Esti. Iste Opizzo fuit Marchio Estensis, quem Azzo filius suus, ut dicitur, gladio interfecit; qua de causa dicitur hic privignus. Ideo ait in textu: «il qual per vero / fu spento dal filliastro sù nel mondo». Sed re vera ipse Azzo fuit filius sue uxoris.

vv. 118-120

Mostromm'un'ombra de l'un canto sola. Iste est ille maledictus comes Montis Fortis, qui in ecclesia Sancti Silvestri de Viterbio, dum elevaretur corpus Domini nostri Iesu Christi, Henricum de domo regis Anglorum dente tyrannico trucidavit. Ad cuius pleniorem notitiam est sciendum quod, mortuo Corradino, electores Alamanie convenerunt in unum, et regem Yspanie et imperatorem unanimiter elegerunt. Qui electus, Henricum de domo regis Anglie, qui erat nepos suus, pro approbanda sua electione ac etiam confirmanda ad Romanam Ecclesiam destinavit. Sed dum iste Henricus in romana curia, que tunc erat Viterbii, moraretur, quodam mane dum per Viterbium equitaret et per plateam Sancti Silvestri transitum faceret, audivit pulsari ad Corpus Christi; qui statim de equo descendit, ecclesiam intravit, et humiliter genu flexu iuxta altare manus oraturus extendit. At comes Montis Fortis, qui ex mandato regis Karoli olim comitis Andegavensis vite istius insidiabatur, occulte post ipsum in ecclesiam est ingressus; et cum Corpus immolabatur Dominicum, ipsum Henricum Deum adorantem nephario gladio immolavit. Qua propter clamant contra sacrilegum homicidam ianue ecclesie memorate, que nunquam aperiuntur nisi ad sportellum viduitatem de tam crudeli homicidio ostendentes.

Che 'n su Tamigi ancor si cola. Tamigius est quidam fluvius Anglie qui transit iuxta quandam civitatem que gramatice dicitur Lundonium, vulgo autem dicitur Londris. In hac vero civitate est quoddam monasterium monacorum, quod appellatur Gualmustier; in quo quidem monasterio omnes reges Anglie tumulantur. Et in circuitu cuiusdam capelle, in qua sepulcra sunt omnium regum, sunt collocate ymagines omnium sepultorum. Mortuo vero Henrico, corpus eius rex et barones Anglie in Angliam transportari fecerunt, et in dicta capella honorifice sepeliri. Supra cuius sepulcrum est quedam statua marmorea inaurata, que in manu dextra tenet cuppam auream, in qua est sculptum cor dicti Henrici, et unus gladius infixus in eo; qui gladius sue mortis perpetuus noscitur esse testis.

In manu vero sinistra est quedam cedula, in qua ista lamentatio versifica continetur: <Cor gladiis fossum do cui consanguineus sum>. Hoc est: Ego, Henricus, do cor meum gladio perforatum domi Anglorum, cuius sum consanguineus, idest caro et sanguis.

vv. 133-135

La divina iustitia di qua punge
quel Totila
Iste Totila fuit quidam rex Gothorum qui totam fere Ytaliam devastavit, Romam obsedit et cepit, et Siciliam transfetavit et ibi vitam et regnum amisit. Et propter multa mala que fecit, ideo Dei flagellum cognominatus est.

Et Pirro. Iste fuit Pirrus, filius Achillis, quem in primeva etate ex Diademia filia regis Lycomedis in habitu genuit mulieris, sicut infra, cantu XXVI, lucidius apparebit. Hic itaque Pirrus ideo in ista fovea ponitur ab autore quia crudelem tyrannidem operatus fuit contra pulcherrimam et innocuam virginem, filiam scilicet regis Troye, que Polyxena dicebatur. Hanc enim Polixenam, capta Troia, cum Greci pacati redirent et ex omni parte bella finita forent, de sinu matris rapiens supra sui patris tumulum crudeli gladio, sed crudeliori animo, ymmolavit. Unde Ovidius, XIII Methamorphoseos:
Rapta sinu matris, quam iam sola prope fovebat,
Fortis et infelix et plus quam femina virgo,
Ducitur ad tumulum diroque fit hostia busto.

Ista enim Polixena, inter alias virtutes quibus ipsam Deus et natura dotavit, pudicitia tanta clarebat quod in hora mortis, in qua solet homo omnium oblivisci, ipsa pudicitia oblivisci non potuit. Nam dum in pectore virgineo perforata fuisset et sic caderet ymmolata, cura fuit sibi sui corporis tegere partes ymas. Unde Ovidius, ut supra:
Tunc cura quoque fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, castique decus servare pudoris.

Et Sexto. Sextus fuit filius Pompei, maris maximus conturbator, de cuius pirratico latrocinio ait Lucanus, libro VI:
Sextus erat, Magno proles indigna parente,
Qui mox silleis exul crassatus in undis
Polluit equoreos Suculus pirrata triumphos – subaudi
paternos.
Pompeius enim habuerat triumphum de mari quando hostes romanos in mari Sicilie bello navali devicit. Filius autem suus, scilicet iste Sextus, vestigia patris non sequens, sed potius ab ipso degenerans, illas easdem undas quas pater glorioso certamine decoravit, pirratico latrocinio deturpavit.

vv. 130-138

Dove la tirannia convien che gema. In isto fossato sanguinis bullientis, ut ex precedentibus patet, punitur violentia que in proximum exercetur; que quidem violentia, licet in diversas speties extendatur, tamen omnes ad duas breviter reducuntur; videlicet ad omicidium et rapinam. Et hoc quia omnis violentia que in proximum irrogatur, aut irrogatur in rebus, et sic est rapina, aut in persona, et sic est homicidium. Ideo de hiis duabus violentie spetiebus aliqua breviter videamus. Et primo de rapina. Est autem rapina, ut habetur Ysaie 9, violenta predatio cum tumultu; qua quidem rapina utuntur principes seculi, predones, pirrate, et dolosi etiam mercatores. Unde rapina est qua quis non solum rem alienam rapit, sed qua quis etiam rem alienam occupat violenter. Violentia vero est que facit aliquid retineri intra terminos alienos. Sic rapina possessiones et predia pauperum pecuniam vel peculium facit firmiter retineri in manibus divitum vel potentum. Cum dicat Dominus per Ezechielem 46: Non accipient principes de hereditate populi per violentiam. Et Proverbiorum 22: Non facias violentiam pauperi, quia pauper est. Dominus indicabit causam eius, neque conteras egenum in porta, quia Dominus confringet eos qui confregerunt animam eius. Quantum rapina sit odibilis apud Deum patet quia, cum in omicidio lex divina solummodo prohibeat actum, iuxta illud: *non occides*, in rapina (non) prohibet non solum actum, sed etiam voluntatem: Beni, inquit, proximi tui non concupisces. Ideo Ysaae 61: Ego Dominus odio habens rapinam, raptor enim est omicida; comedit enim et bibit pauperem dum bona ipsius devorat, sine quibus vivere non poterat. Michee 3: Comedunt carnes populi mei, et pellem eorum excoriaverunt. Ecclesiastici XXXIIII: Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Et nota quod raptor est peior dyabolo in tribus: Primo quia dyabolus torquet eos qui male agunt; raptor vero torquet eos qui a malo recedunt; Ysaie 59: Qui a malo recessit prede patuit. Poterit enim diabolus in iudicio se excusare, quod solum illos afflixerit in Inferno qui Deum offendunt. Raptores vero affligunt eos et depredantur, qui multotiens sancti sunt. Quibus ait Apostolus: Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscepistis. Secundo, raptor est peior diabolo, quia dyabolus defert angelo ad custodiam hominis deputato; raptor vero neque Deum timet, neque hominem reveretur, sed Dominus facies vindictam servorum suorum iniuste afflictorum, ut habetur Luce XVIII. Tertio raptor est peior diabolo, quia diabolus punit

malos solummodo in Inferno, ubi locus est tormentorum; sed raptor punit homines in mundo, ubi habere debet homo libertatem de se et de suis bonis. Et ideo iudicium sine mina fiet illi qui non fecerit minam, ut dicit beatus Iacobus in epistula sua. Item raptor est leo inter pauperes. Ecclesiastici XIII: Venatio leonis est honager in heremo; sic pascua divitum sunt pauperes. Item ad rugitum leonis formidant animalia; sic ad minas alicuius potentis raptoris qui est robustus et potens venator in terra, formidant timidi pauperes. Osee XI: Leo rugiet et formidabunt filii maris, idest pauperes, qui sunt in amaritudine et tempestate seculi positi. Item cum leo rugit, cetera animalia figunt gressum. Et ad imperium potentis tyranni sunt pauperes quasi immobiles, ut sine ipsius imperio nec manum moveant nec pedem. Hec fuit potestas Ioseph a Pharaone concessa. Item leo facit circulum cum cauda, de quo animalia exire non audent; sic tyrannus cum cauda satellitum totam patriam circuit, ut totum devoret quod includit. Apocalipsis 9: Potestas equorum in ore ipsorum et in caudis eorum. Bestie quasi <vastie> dicuntur, secundum Ysidorum, et signant divites et potentes, qui terram devastant. Potestas ipsorum est in ore eorum, idest tyrannicum imperium et crudele; et in caudis eorum, idest in multis famulis et ribaldis qui sequuntur eos ad spolia egenorum. Sed nunquid talis potentia potentia est censenda. Audi Boetium, tertio De Consolatione: «Potentem censes qui satellite latus ambit? qui quos terret ipse plus metuit? qui ut potens esse videatur, in servientium manu situs est? Que est igitur ista potentia quam pertimescunt habentes? Quam nec cum habere velis tutus sis, et cum deponere cupias vitare non possis? An presidio sunt amici quos non virtus sed fortuna conciliat?» Et paulo post metrice sic decantat:
Qui se volet esse potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fedis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiscat
Et serviat ultima Tyle,
Tamen atras pellere curas
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Item leo dormit oculis apertis; sic raptor vigilat de nocte circa predam quam die rapiat. Iob. XXIIII: Vigilantes ad predam panem preparant filiis. Item nota quod est quoddam animal parvum quod dicitur formicaleon; inde formicarum leo, nam inter formicas exhibet se leonem; qui quando ventrem formicis habet repletum, se ponit ad solem, et ecce milvus veniens rapit eum. Sic raptores, quando bonis pauperum sunt repleti, a dyabolo rapiuntur. Ysaie XXXIII: Ve qui predaris, nonne predaberis? Et Ieremie XXX: Qui devorant, devorabuntur. Item nota quod Deus nec oblationem, nec sacrificium, nec ecclesiam recipit de rapina. Augustinus in libro De Doctrina Christiana: Illam ecclesiam abominatur et reprobat Deus que fabricatur de lacrimis alienis. Item orationes raptorum non exhaudiuntur a Deo. Ysaie primo: Cum multiplicaveritis orationes non exaudiam; et subdit causam, quia manus vestre sanguine plene sunt. Ideo rationabiliter autor iste raptores, quia in isto mundo sunt pauperum sanguine cruentati, in sanguineo flumine ponit in Inferno esse punitos. Item nota quod raptores, expoliando pauperes et ipsorum bona vorando, Deum expoliant et cibum de ore ipsius extrahunt, dum canes et aves pascunt et vestiunt histriones, qui secundum quod ait Augustinus: Non de bene vivente, sed de bene pascente laudabilem sententiam reddunt.

Viso de rapina, ad homicidium procedamus. Est autem homicidium <hominis casus>, idest mors hominis violenter inflicta; et dicitur <homicidium> ab *homine* et *cedo*. Committitur autem homicidium tribus modis, scilicet corde, ore, et opere. Corde autem sive voluntate committitur tribus modis: Primo ad mortem odiendo, sicut fratres Ioseph; Genesis XXXVII: Oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Unde prima Iohannis III: Qui odit fratrem suum homicida est. Secundo occidere proponendo, sicut Esau qui ait: Venient dies luctus patris mei ut occidam Iacob fratrem meum. Tertio in mortem proximi consentiendo, sicut Achab qui consentit in morte Naboth. Unde dixit ei Elias, tertio Regis XXI: Occidisti et possedisti in loco in quem linxerunt canes sanguinem Naboth; lambent quoque sanguinem tuum. Dominus quoque mortem Iohannis Baptiste imputat Phariseis, eo quod in hoc consenserunt, ut habetur Mathei XVII. Verbo committitur quatuor modis: Primo precipiendo, sicut Herodes, de quo Mathei II dicitur quod mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem et in omnibus finibus eius. Secundo consulendo, sicut Cayphas, qui ait, Iohannis XI: Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo. Tertio, innocentem morti adiudicando, verum iuris ordinem non servando, sicut Pilatus, de quo Luce XXIII, dicitur quod adiudicavit fieri petitionem eorum, scilicet Iudeorum. Deus enim cum deliberatione magna fecit hominem ad ymaginem et similitudinem suam, innuens quod non leviter absque ordinato iudicio nobilis creatura delenda est. Quarto, peccatum alicui suggerendo, unde dyabolus quia peccatum hominis suggerit, dicitur homicida; Iohannis VIII: Ille erat homicida ab initio, idest ex quo factus est homo. Dyabolus enim, videns se suo peccato proiectum de celo, et videns hominem et ceteras creaturas in sua consistentia permanere, concepit odium contra Deum, invidiam contra hominem, et indignationem contra ceteras creaturas. Ex odio nanque quod concepit contra Deum persecutus est hominem inquantum est ymago Dei. Ex invidia vero quam concepit contra hominem persecutus est creaturas inquantum homini sunt subiecte.

Opere vero committitur 10 modis: Primo conceptionem impediendo, ut Onam, Genesis XXXIIII, qui cum accedebat ad uxorem fundebat semen in terram, idest uxorem inutiliter cognoscebat. Secundo, venena sterilitatis procurando, cum etiam sterilitas naturalis sit magnum opprobrium, et reputabatur maledictum secundum legem. Tertio, puer per vim destruendo, quod est magna crudelitas. Amos primo, dissecuerunt pregnantes Galaad. Quarto, corrupta pocula vel venenata cibaria vendendo, sicut faciunt aliquando macellarii, tabernarii, et apotecarii. Quinto, fuste, saxo, vel ferro percutiendo; de quo Exodi XXI: Qui percusserit hominem volens occidere, morte morietur. Sexto, fraude vel dolo prodendo, sicut Iudas, de quo Mathei XXVI: Querebat oportunitatem ut eum traderet sine turbis. Septimo, non liberando moriturum cum possit, vel impediendo eum qui volebat vel poterat liberare; Proverbiorum XXVIII: Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Octavo, pauperibus rapiendo, unde Ysaie tertio: Vos depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo nostra est; quare attritis populum meum, et faciem pauperum conmolitis, idest fame attenuatis? Genus quoque rapine est calumnia quam faciunt potentes qui falsas occasiones minoribus imponunt, sicut lupus imposuit agno quod turbaret ei aquam, iuxta fabulam Esopi. Unde Prover. 28: Leo rugiens et ursus esuriens princeps ipsius super populum pauperem. Nono, mercimonia defraudando, sicut falsi mercatores, vel sicut illi qui suis mercennariis detinent vel diminuunt de mercede; Prover. 26: Sicut noxius est qui mittit lanceas vel sagittas in mortem; sicut vir qui fraudulenter nocet amico suo; Ecclesiastici XXIIII: Panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Item qui aufert in sudore panem, quasi interfecit amicum suum, et qui effundit sanguinem et qui fraudem facit, mercennario fratres sunt. Ideo precipit Dominus in Levitico XIX: Non morabitur opus mercenarii tui aput te usque mane. Decimo, necessaria subtrahendo, sicut illi qui habent frumentum in orcis et expectant ut carius vendant tempore famis; Prover. VIIII: Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium. Ambrosius: Pasce fame morientem, quem si non paveris occidisti. Et sic patet de homicidio. Propter ista igitur duo peccata, homicidium scilicet et rapinam, isti tyranni in isto sanguine sunt puniti. Ideo sequitur:

La divina iustitia di qua pungue
quel Totila che fu flagello in terra,

etc.

A Rinier da Corneto, et Rinier Pazzo.

Isti duo fuerunt maximi predones et stratarum publici predatores. Ideo ait Nessus autori: «che fecer a le strade tanta guerra». Et hic finitur primus giro qui in septimo circulo continetur.

In isto XII cantu continentur due comparationes et tria notabilia.

[Comparationes]

vv. 3-6

PRIMA COMPARATIO.

Quale è quella ruina che nel fianco
di qua da Trento l'Adice percosse,
o per tremuoto o per sostegno manco,
etc.

Lictera plana est et aperta, et nichilominus superius exarata.

vv. 22-27

SECUNDA COMPARATIO.

Qual è quel toro che si slaccia in quella

c'à ricevuto già il colpo mortale,

che gir non sa, ma qua et là saltella,

vid'io lo Minotauro far cotale.

Lictera plana est, et explanata nichilominus est superius.

[Notabilia]

vv. 49-51

PRIMUM NOTABILE.

O cieca cupidigia, o ira folle
che sì ci sproni ne la vita corta,
et ne l'eterna poi sì mal c'immolle!

In isto notabili duo notabilia continentur: Primum est quod isto duo peccata, cupiditas atque ira, habent hominem excecare. De prima ait Divina Pagina: Munera excecant oculos sapientum. Et Lucanus in primo: *O male concordes nimiaque cupidine ceci.* De secundo ait Psalmista: Supercecidit ignis et non viderunt solem. Dicitur autem ira ignis, quia secundum Damascenum, ira est accensio sanguinis circa cor. Et poeta: Ira impedit animum ne possit cernere verum. Secundum est quod ista eadem peccata ex quibus oritur tyrannia, ut superius est expressum, nos in hac brevi vita calcaribus urgent ut curramus velocius viam malam; et postea in alia eternaliter nos cruciant et tormentant. Et hoc est quod ait beatus Gregorius: Momentaneum est quod delectat, eternum vero quod cruciat.

vv. 64-66

Mal fu la vollia tua sempre sì tosta. In hoc notabili reprehenditur presumptuosa et velox inceptio cuiuslibet operantis. Nam cum, secundum sententiam Salomonis, omnia que agimus cum consilio agere debeamus; et poeta dicat: Utere consilio licet omnia noveris unus; et iterum: Quicquid agis prudenter agas et respice finem; reprehendenda est ac etiam reprobanda temeraria presumptio in agendis. Et ideo Socrates dicit quod duo sunt maxime contraria consilio; festinantia atque ira.

Necessità 'l ci 'nduce, et non dilecto. In hoc notabili demonstrat Virgilius quod homo sapiens, dum considerat sive tractat de factis hominum perversorum, delectationem non habet. Sed ad considerationem ipsorum aliqua necessitas eum trahit. Et ideo habetur infra, cantu XXX: «chè voler ciò udire è bassa vollia».

Et sic patet XII cantus prime cantice.

XIII

INCIPIT XIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

Incipit XIII cantus prime cantice Comedie. In isto XIII cantu autor intrat secundum gironem, qui incipit in principio istius cantus, ibi: «Non er'ancor di là Nesso arrivato, / quando noi ci mettemo per un bosco», etc.; et finit in sequenti cantu, ibi: «Indi venimo al luogo ove si parte / lo secondo girone», etc. Et ponit in isto girone illos qui violentiam exercent contra se ipsos, vel se interficiendo, vel bona propria dissipando. Primi efficiuntur pruni silvestres; secundi vero continue a canibus lacerantur. Ponit autem hic aves et canes. Aves tenent typum rapacitatis; canes autem indigentie, ut in expositione clarius apparebit.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-54

Postquam autor in superiori cantu de primo girone tractavit, in quo posuit illos qui exercent violentiam contra proximum, nunc in isto cantu intendit de secundo girone tractare, in quo ponit illos qui exercent violentiam in se ipsos. Et quia homo utitur violentia contra se ipsum duobus modis, scilicet vel se occidendo, vel sua bona dispergendo, ideo istos in duas partes dividit et distinguit. Et continuat sic presentem cantum ad precedentem dicens: Nondum pervenerat Nessus ad aliam ripam quando nos intravimus per unum nemus, quod a nulla via vel semita est signatum. Quales autem arbores sint in isto nemore, sic poetizando declarat: Non frondes virides erant in arboribus illis, sed nigro colore perfuse. Ideo ait in textu:

Non fronda verde, ma di color fosco; non rami obducti et recti, sed nodosi et curvi. Ideo ait in textu: *non rami schietti, ma nodosi e 'nvolti*; non poma producebant arbores ille, sed cum veneno festucas. Ideo ait in textu: *non pomi v'eran, ma stecchi con tòsco*. Intrans vero autor istud nemus, dicit se primo vidisse super illas arbores arpias, que sunt aves fedissime, que habent alas latas et plumosas, facies humanas, et pedes ungulatos; que quidem aves super illas arbores nidificant, frondibus ipsarum vescuntur, et ibi continue lamentabiles voces emittunt. Et dum sic autor attento respiciendo illud iam nemus intrasset, dicit quod Virgilius dixit sibi: «Scias, antequam plus intres, quod tu es modo in secundo girone, et eris quousque horribile sabulum introibis». Et ideo bene respice, et sic videbis quasdam res que tollerent fidem credulam sermonibus meis». Ipse autem autor sentiebat ex omni parte maximos ululatus, et non videbat aliquam personam que istos ululatus emitteret; propter quod totus obstupefactus orriguit. Unde Virgilius ait ad eum: «Si tu trunces aliquem ramusculum ex una istarum plantarum, mutilabuntur cogitamina que tu habes. Tunc autor, ad persuasionem Virgilii, collegit unum ramusculum ex una magna pruno; et statim vox exivit de pruno dicens: «Cur me dilaceras? Non habes tu spiritum alique pietatis? Homines enim fuimus, et modo sumus arbores silvestres effecti. Bene debuisset fuisse tua manus magis pia, etiam si serpentum anime fuissemus». Tunc Virgilius, audiens voces ex illa pruno tam querulosas exisse, et videns Dantem totaliter obstupuisse, et propter hoc respondere non posse, ait ad eum qui loquebatur: «O anima lesa, si iste qui te lesit potuisset credidisse solummodo verbis meis, ea que modo vidit et sensit, non ostendisset in te manum suam; sed res incredibilis me induxit ad opus de quo ipsemet doleo. Sed dicas illi quis fuisti, ad hoc ut vice alicuius emende, in mundo superiori renovet famam tuam».

vv. 55-151

Ad quem ait illa anima lesa: «Sì col dolce dir m'aeschi»; quasi dicat: quemadmodum piscis vel avis capitur esca, ita ego capior verbis tuis, que tantum sunt dulcia quod ego non possum tacere et vos non gravere. Unde aliquantulum ad raciocinandum vobiscum me ipsum invisco. Ego certe sum ille – supple Petrus de Vineis – qui cordis Frederici imperatoris tenui ambas claves, quas quidem claves ita volvi, claudendo et aperiendo, suaviter, quod a suis secretis omnem quasi viventem removi, et tantam fidem officio glorioso quo in curia sua fungebar portavi, quod ego omnem sensum et motum inde perdebam. Sed meretrix illa, que nunquam ab hospitio Cesaris oculos meretriceos removit, que quidem meretrix comune vitium atque mors omnium curiarum existit, inflammavit contra me animos omnes – supple omnium principum et baronum – et isti sic inflammati taliter inflammaverunt Augustum, quod leti honores conversi sunt in tristes luctus. Unde animus meus, quia ex hoc indigna gustavit, credendo cum morte dedignationem vitare gustatam, me fecit iniustum contra me iustum». Quasi dicat: In omnibus aliis rebus fui iustus, sed in hoc solum, quia me occidi, fui iniustus. «Sec per radices novas istius ligni in quo sic crucior, tibi iuro quod nunquam fregi fidem domino meo, qui fuit honore tam dignus. Et si aliquis vestrum in mundum redit, rogo ut confortet memoriam meam, que iacet adhuc despecta et vulnerata, vulnere quod invidia principum sibi dedit – supple quia me inflammaverunt quod fuissem proditor domino meo». Et cum finem fecisset verbis suis, dixit Virgilius ad Dantem: «Ex quo iste tacet, ne perdas horam, sed loquere et pete ab eo si aliquid aliud scire vel discere concupiscis». Et Dantes ad eum: «Pete tu», inquit, «ab eo de omni eo quod credis quod michi debeat satisfieri, quia ego non possem – supple loqui – tanta sum cordis pietate constrictus». Tunc Virgilius interrogavit illam animam de duobus: Primum est quomodo anima ligatur in illis plantis; secundum vero, si aliqua ipsarum a talibus unquam solvitur membris. Cui respondet spiritus ille incarceratus. Et primo de primo dicens: Quando anima ferox egreditur de corpore unde ipsamet se evulsit, Minos mittit eam ad septimum circulum, in quo est iste secundus giro. Et ista anima sic fulminata cadit in silvam, et non est sibi pars aliqua assignata, sed ubicunque ipsam fortuna balistat, ibi germinat sicut granum spelte. Surgit in virgam et in plantam silvestrem, arpie pascendo postea de suis foliis faciunt tali plante dolorem, et dolori finestram; quia per talem viam exeunt suspiria atque planctus. Secundo respondet de secundo dicens: Sicut alie anime, ita nos in die – supple iudicii – pro nostris corporibus veniemus, sed nulla suo corpore vestietur, quia non est iustum quod

anima habeat corpus quod ipsa abstulit sibi ipsi. Per istam enim silvam corpora nostra trahemus et unumquodque corpus erit suspensum ad prunum umbre sue, idest proprie anime.

Et dum sic ille spiritus in illa planta inclusus ad illa duo de quibus interrogatus fuerat responderet, et ecce duo a sinistro latere silve veniebant nudi et lacerati, ita fortiter unus post alium fugiendo, quod de silva quicquid tangebant protinus lacerabant. Et ille qui ibat ante, magnis vocibus atque clamoribus mortem in sui adiutorium invocabat, dicens: «Or accorri, accorri morte». Et alius qui veniebat post eum clamabat dicens: «O Lane, non sic fuerunt velocia crura tua in conflictu plebis al Toppo». Et quia plus post eum currere non valebat, et etiam quia post eos canes nigre et famelice veniebant, iste spiritus in quodam cespite se abscondit. Canes autem istum insequentes ipsum membratim dilaceraverunt, non sine multo danno cespitis sive plante, quam totam ramis et foliis privaverunt. Plorando enim ille cespes dicere cepit: «O Iacobe de Sancto Andrea, quid tibi profuit de me facere tibi schermum? Quam culpam ego habeo de tua vita prava?» Tunc Virgilius cepit Dantem per manus et duxit illum ad illum cespitem qui plorabat et ait ad eum: «Quis fuisti tu, qui per tantas puncturas effundis sermonem cum sanguine dolorosum?» Et ille ad eos: «O anime», inquit, «que venistis ad videndum stratium inhonestum quod disiunxit a me taliter frondes meas, rogo ut ipsas ad pedem tristis cespitis adunetis. Ego enim fui de illa civitate que in Baptistam mutavit primum patronum. Unde ipse primus patronus, propter istam mutationem, semper cum arte sua facit ipsam tristem. Et nisi esset quod super passum Arni adhuc de eo remanet aliquod vestigium, illi cives qui postea ipsam refundaverunt super cineres qui de Attila remanserunt, frustra laborari fecissent. Ego enim feci de propriis domibus michi furcas. Unde ait in textu:
I' fe' giubbetto a me de le mie case.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-6

Non er'ancor di là Nesso arrivato

Nondum Nessus Centaurus in suum gironem redierat, quando autor secundum gironem intravit. Qui quidem giro nil aliud est, quam quoddam nemus silvestre, in quo quidem nemore ponit eos qui violentiam exercent contra se ipsos, corpus proprium occidendo et bona propria dissipando. Primos poetice convertit in prunos; secundos vero ponit a canibus laceratos.

vv. 7-9

Non àn sì aspri sterpi nè sì folti
quelle fiere selvagge che 'nn odio ànno
tra Ciecina et Corneto i luoghi colti.

Exemplificando declarat hic autor quale nemus est istud, dicens quod bestie, sive fere, que habitant inter Cecinam et Cornetum, que odio habent loca culta atque domestica, non habitant in locis ita asperis et silvestribus sicut est istud nemus. Cecina autem et Cornetum sunt in maritima Tuscie. Et est Cecina quidam fluvius qui transit per comitatum pisanum et ibi descendit in mare. Cornetum vero est quoddam nobile castrum iuxta mare situm in patrimonio beati Petri. Inter Cecinam itaque et Cornetum sunt nemora ita silvestria quod vix in mundo reperiuntur equalia. In hiis itaque locis bestie silvestres que odiunt loca culta habitant atque recubant. Et tamen nichil sunt respectu istius nemoris, de quo hic autor poetando pertractat.

vv. 10-12

Quivi le brutte Arpie lor nido fanno. In isto itaque nemore dicit autor fedas Arpias habitare. Sunt autem Arpie quedam volucres infernales que habent vultus virgineos, alas et corpora plumis plena, et pedes unguibus acutis armatos. Et ponuntur hic ab autore pro rapacitate; nam, ut ait Fulgentius, *arpia* grece, latine <rapina>. Et re vera nulla maior rapacitas quam rapere sibi vitam, ut faciunt desperati. Virgines autem ideo dicuntur, quia omnis rapina est arida atque sterilis; plumis abundant, quia omnis rapina rapta celat; acutis autem unguibus muniuntur, eo quod rapina semper rapacitati intendit. Ab antiquis autem poetis Arpie <canes Iovis> dicuntur, eo quod canes sunt animalia apta ad rapiendum. Unde Lucanus in VI: Vestigiasque canes in luce superna / destituam. Et Virgilius, VII Eneydorum: Viseque canes ululare per umbram, / adventante dea.

Tres autem inter eas nomina sortiuntur: prima dicitur Ello, secunda dicitur Occipito, tertia vero Celeno. Prima interpretatur <alienum tollens>, secunda <octius auferens>, et tertia <ablata celans>. Et ista tria in rapina sive rapacitate concurrunt, scilicet aliena invadere, cito auferre, et ablata celare. Et vere, nulla maior rapacitas vel rapina quam sibimet vitam auferre. Rationabiliter igitur ab autore Arpie in isto girone ponuntur. Si autem queras utrum istas aves natura producat,

dico quod potius est credendum ipsas a poetis poetice esse fictas, quam a natura productas. Unde Ovidius, VI Faustorum:
Sive igitur nascantur aves seu carmine fiant.

Che cacciar de le Strophade i Troiani. De istis insulis atque volucribus tertio libro Eneydorum facit Virgilius mentionem, sicut in Declaratione istius prime cantice, quam rithimice, o Lucane, tuo nomine dedicavi, breviter preostendi. Iste enim insule, que Strophalide dicuntur, sunt in mari Grecorum. Unde Virgilius eodem libro:
Insule Strophades Graio stant nomine dicte.

In his itaque insulis erant iste volucres infernales que Arpie nuncupantur, de quibus Virgilius:

Tristius non illis monstrum, nec sevior ulla

Prestis et ira deum Stigiis sese extulit undis.

Virginei volucrum vultus, fedissima ventris

Pluvies unceque manus, et pallida semper

Ora fame.

Ad istas itaque insulas, destructa Troya, Troyani cum XX navibus applicuerunt. In quibus insulis dum Eneas dux eorum post captam venationem cum Troianis sederet ad mensam, ecce Arpie de montibus descendentes mensas stercoribus fedant, Troyanos molestant, et cibos invadunt. Tunc surgunt ad arma Troyani et vi armorum volucres fugaverunt. Et una earum que vocabatur Celeno, que secundum poetas ipsarum Arpiarum regina censetur, de qua Virgilius:
Una in precelsa consedit rupe Celeno,
Infelix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Accipite hoc animis atque hec mea fugite dicta,
Que Phebus michi pater omnipotens, michi Phebus Apollo
Predixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Ytaliam petitis cursu ventisque vacatis:
Ibitis Ytaliam portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis menibus urbem
Quam vos dira fames nostreque iniuria cedis
Ambesas subigat malis consumere mensas.
Et his dictis, in silvam pennis ablata refugit.

Audiens vero Anchises, pater Enee, quod tam duram et arduam famem passuri erant quod mensas vorare debebant, genu flexo in litore deos rogaturus, ad celum palmas extendit. Virgilius:
At pater Anchises sparsis in litore palmis
Numina magna vocat meritosque indicit honores:
Dii removete minas, dii talem avertite casum.

Ideo ait in textu: «che cacciaron i Troiani / con tristo annuntio di futuro danno». Futurum enim damnum fuit illa famosa fames quam Eneas cum suis passus est in ripa Tyberis, ubi propter nimiam famem comederunt crustas panis, de quibus fecerunt incisoria.

vv. 13-15

Ale ànno late, colli et visi humani. Allegorice, rapina habet alas latas, quia est ad rapiendum solicita atque velox, visus humanos quia curialiter decipit atque fallit, pedes acutos unguibus, quia rapit, et magnum ventrem atque pennatum, quia multa recipit, et que rapit abscondit.

vv. 43-45

sì de la rotta schegia usciva inseme
parole et sangue.

Secundum legem divinam et humanam, effusio sanguinis clamat. Unde in libro Genesis ait Deus ad Caym, postquam occiderat fratrem suum: «Quid fecisti?» Et cum ille negaret se homicidium perpetrasse, ait ei Deus: «Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra». Et si omnis effusio clamat, spetialiter tamen illa quam de suo proprio sanguine quisquam facit. Effusio enim sanguinis, unde mors sequitur, occultari vel celari non potest. Et ideo ponit istos qui se occidunt nasci tanquam arbores in Inferno, innuens quod tale peccatum occultari non potest. Ideo ait in textu: «de la schegia rotta usciva inseme / parole et sangue».

vv. 58-69

I' son colui che tenni ambo le chiavi
del cor di Federigo,

Iste fuit Petrus de Vineis, natione capuanus, summus magister et doctor legum, et magne Curie Frederici tertii Imperatoris primus iudex. Fuit enim adeo magnus iudex, quod dum quodam semel populus romanus dicto Imperatori peteret ut leges confusas et obscuras declararet, ait Imperator: «Ite ad Petrum de Vineis». Unde de petitione populi extant versus:
Cesar amor legum, Frederice, dignissime regum,
Causarum telas nostrasque resolve querelas.

Similiter et de responsione Imperatoris:

Pro vestra lite censorem iuris adite

Hunc qui iura dabit, vel per vos danda rogabit:

Vinea cognomen, iudex Petrus est sibi nomen.

Hic itaque tantus vir, propter suas clarissimas probitates, in tantum Imperatori erat carus atque dilectus, quod in omnibus agendis affirmative et negative, active et passive, dictum suum dominum gubernabat. Ideo ait ipse Petrus in textu:
I' son colui che tenni ambo le chiavi
del cor di Federigo, et che le volsi,
serrando et disserrando, sì soavi,
che dal secreto suo quasi ogn'uom tolsi;

La meretrice che mai da l'ospitio
di Cesare non torse li occhi putti,
morte et comune de le corti vitio,
infiammò contr'a me li animi tutti,

etc.

Ista meretrix, que de domo Cesaris nunquam oculos meretriceos dicitur removere, est invidia, que semper dolet de felicitate aliena. Ista itaque meretrix inflammavit animos principum et baronum contra felicitatem Petri de Vineis. Et isti inflammati taliter inflammaverunt Augustum, quod Augustus ipsum Petrum, licet esset fidelissimus, carceri mancipavit et tanquam reum lese maiestatis, ut diutius in miseria viveret, bacinis igneis excecavit; quod ille adeo impatienter tulit quod fractis ad murum cervicibus expiravit, dicens, ut dicitur: «Ex quo privatus sum visione clarissime faciei domini mei, volo et propria vita privare me ipsum». Et hoc est quod vult dicere superius:
fede portai al glorioso officio,
tanto ch'i' ne perde' li sensi e' polsi.

Morte et comune de le corti vitio. Vult hic dicere Petrus de Vineis, quod istud vitium invidie est mors et comune vitium omnium curiarum; nam in omni curia ille qui maior est ab aliis habetur odio.

Unde Seneca, III Tragediarum: Simul ista duo mundi conditor posuit Deus, odium scilicet atque regnum. Sola vero miseria caret invidia, secundum sententiam Tullianam.

vv. 70-72

L'animo mio, per disdegnoso gusto,
credendo col morir fugir disdegno,
iniusto fece me contra me iusto.

Animositas enim magnifici viri indigna ferre non potest. Ideo animus Petri de Vineis, dum indigna gustavit, credens dedignationem fugere moriendo, se ipsum morte voluntaria interfecit. Sed in hoc dedignationem non fugit, quia ipsam ad inferos secum duxit. Unde infra ait in textu: «Et se alcun di voi al mondo riede, / conforti la memoria mia, che giace», etc. Cum vero dedignatione sic motus se ipsum occidit, de iusto factus est iniustus. Ideo ait in textu:
Iniusto feci me contra me giusto.

vv. 85-90

spirito 'ncarcerato, ancor ti piaccia
di dirne come l'anima si lega
in questi nocchi;
etc.

Hic movet Virgilius Petro de Vineis duas breviter questiones: Prima est ista: qualiter et quomodo in hiis prunis anima carceretur; secunda, utrum anima sic ligata et carcerata possit unquam a membris talibus liberari. Ad primam questionem taliter dat responsum, dicens videlicet quod cum ferox anima recedit a corpore unde expulit se metipsam, Minos iudex et arbiter inferorum mittit eam ad septimum circulum, in quo VII circulo est iste secundus giro: et ibi germinat sicut semen spelte protinus seminatum. Ad secundam vero questionem dicit quod ibunt ad iudicium quemadmodum alie anime pro suis corporibus rehabendis, sed non quod aliqua suo corpore vestiatur. Sed quia determinationes sive responsiones istarum duarum questionum contra veritatem catholice fidei aliqualiter esse videntur, ideo prudens lector animadvertat quod hic et in quibusdam aliis locis tanquam simplex poeta ad cuius officium spectat animas transformare recipiendus est autor iste. Et nichilominus, secundum aliquam demonstrationem possumus ad hanc pertingere veritatem, inquantum non heretice sed poetice penas talium poetizat. Beatus tamen Augustinus et omnes philosophi dicunt quod anima regit corpus triplici vita, scilicet vita vegetativa, sensitiva, et intellectiva. Sed cum homo desperat et sibi metipsi manus inicit, videtur totaliter carere intellectu quantum ad animam, et sensu quantum ad corpus. Nam secundum beatum Paulum, nemo unquam carnem suam odio habuit. Cum vero desperati desperant, omnino intellectu et sensu carere videntur. Anima autem vegetativa, quia intellectum et sensum non habet, ut patet in plantis, huic operationi consentire non potest. Et ideo autor tales animas desperantes in plantas silvestres poetando convertit. Et nichilominus, licet convertantur in plantas, et intellectu et sensu vigent, quia aliter puniri non possent. Et hoc manifeste apparet in textu, ubi ponitur quod dolent et plorant ibi: «I' sentia d'ogni parte trarre guai». Et etiam quod istos dolores cognoscunt et sciunt se pati propter desperationis scelera que patrarunt, ibi:
I' son colui che tenni ambo le chiavi
del cor di Federigo,
etc. Et infra: «L'animo mio, per disdegnoso gusto», etc.; et ibi: «Io fe' giubetto a me de le mie case».

vv. 97-108

Quod autem ad secundam questionem respondet dicens: «Come l'altre verrem per nostre spollie», etc., resurrectionem non negat, nec etiam corporum coniunctionem, quia manifeste dicit quod ad iudicium ibunt pro suis corporibus rehabendis. Et manifestum est quod corpora rehabere non possent nisi prius de terre pulvere surrexissent, et sic resuscitata corpora readsument. Quod autem dicit «Qui le strascineremo», hoc ponit ad maiorem penam quam in suis corporibus sustinebunt. Quia sicut illa corpora cum quibus anime melius meruerunt melius debent in celesti gloria munerari, sic, eodem modo, illa corpora cum quibus anime peius fecerunt, peius debent in infernali pena puniri. Quod autem dicit quod corpora talium debent ad suas umbras suspendi, hoc ponit ad ostendendum quod homines desperati, sicut sensu et ratione carere videntur, dum sibi manus iniciunt, ita post resurrectionem, in qua augmentabitur et duplicabitur penam, tantum penam habebunt quod corpora ex quibus se ipsos eiecerunt quasi non sentient; sicut freneticus qui, dum dolorem importabilem in capite patitur, sibi ipsi caput non habere videtur.
quivi germoglia come gran di spelta.

Hic queritur quare autor potius ponit quod ad similitudinem spelte germinant desperati quam ad similitudinem seminum aliorum. Respondeo: Spelta, secundum naturales, dum seminatur

multotiens convertitur in frumentum, et sic a sua propria et pristina qualitate degenerat. Similiter homines desperati, dum vita sibi metipsis auferunt, a propria eorum natura sive qualitate degenerare videntur. Ideo in Inferno seminati, non homines sed silvestres arbores oriuntur. Sed tunc queritur, cum spelta seminatur sive transformatur in melius, quare homo, cum sit animal rationale secundum Philosophum, et secundum Augustinum dignissima creaturarum, quare potius transformatur in peius. Videtur enim, secundum istam comparationem, quod deberet in melius transformari. Respondeo: In damnatis enim non est beata sed damnata perfectio: ideo dum transformantur, non in melius sed in peius transformari dicuntur. In Inferno enim, secundum Iob, nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat.
chè non è giusto aver ciò c'uom si tollie.

Anima, secundum Philosophum, est perfectio organici corporis potentialem vitam habentis; et ideo nec corpus sine anima, nec anima sine corpore perfecta a philosophis esse censetur. Sed cum anima se ipsam privat sua perfectione, videtur isti autori, secundum rationem loquendo, non secundum fidem procedendo, quod non sit iustum rehabere suam naturalem perfectionem, qua se ipsam desperando privavit. Privat autem se homo ista perfectione quandocunque quovismodo per aliquam violentiam se occidit. Moraliter vero occidit homo se ipsum VII modis: Superbus admodum arreptitii precipitat se de alto, sicut de Anthyoco legitur II Machabeorum 9: Contigit illum impetu eundem cadere et gravi collisione membra vexare. Augustinus: Ve illi cuius est auriga superbia; necesse est enim ut impreceps eat. Superbibus impetu vadit, quia sine moderamine sublimia appetit. De curru cadit, quia animadversione divina locum dignitatis amittit, iuxta illud Claudiani: Tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant. Membra collisione vexat, quia officiales et familiares suos secum precipitat. Sapientia XVI: Homo per malitiam occidit animam suam. Invidus admodum intoxicati moritur dolore felicitatis aliene. Unde quidam: Iniustus invidia nichil est que protinus ipsum actorem perimit. Psalmista: Convertetur dolor eius in caput eius. Est enim invidia admodum cuiusdam parvi serpentis qui vocatur seps, qui non solum carnem, sed etiam ossa veneno consumit. De quo Lucanus: Ossaque dissolvit cum corpore tabificus seps. Proverbiorum 14: Putredo ossuum invidia. Unde Augustinus: Cum per omne vitium antiqui hostis virus humano infundam, in gelo invidie tota viscera sua serpens concutit. Iracundus admodum frenetici proprio gladio se perimit, quia prius in se quam in alium sevit. Unde Prudentius: Ipsa sibi hostis est vesania, seque furendo / interimit; moriturque suis ira ignea telis. Iob: Virum stultum interficit iracundia. Unde signi per Saulis, I Regum ultimo: Arripuit Saul gaudium suum et irruit super eum. Psalmista: Gladius eorum in cor ipsorum. Accidiosus admodum letargici moritur dormiendo, sicut de Sifar legitur Iudicum 4: Qui soporem morti continuans defecit et mortuus est. Sisara interpretatur exclusio gaudii; nam accidia cum sit diffidentia eternaliter habet delectationem sibi adnexam. Augustinus: Admodum ydropici deperit siti. Unde Iob XVIII: Exardescet contra eum sitis. Nec mirum quia inhiat aquis salsis, idest rebus mundanis, que sitim non sedant, sed provocant. Unde Dominus, Iohannis quarto: Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet unquam, quia sola divina gratia sitim cupiditatis extinguit. Gulosus admodum volucris laqueo se strangulat propter escam. Unde Ecclesiastici XXXVII: Propter crapulam multi obiverunt; qui autem abstinens est, adiciet vitam. Luxuriosus admodum bruti animalis precipitat se in foveam luxurie. De qua Proverbiorum XXIII: Fovea plena profunda est meretrix. Hec fovea plena est demoniis; unde Proverbiorum 9: Ignoravit quod gigantes ibi essent, etc. In hanc foveam fetore plenam permittit Dominus precipitari superbos, ut turpitudine carnis curetur superbia cordis. Unde Iob X: Propter superbiam quasi leenam capies me. Ubi dicit Gregorius: Dum leena catulis suis escam querit, in foveam cadit. Sic mens humana, dum carnis desideria appetit, in foveam corruptionis ruit. Nos omnes increpat Psalmista: Quousque interficitis universi vos.

vv. 109-111

Noi eravam ancor al tronco attesi,
credendo c'altro ne volesse dire,

Postquam autor de desperatis qui se occidunt in precedentibus pertractavit, nunc de illis desperatis qui bona sua consumunt intendit in subsequentibus pertractare. Et ponit animas talium a nigris et horridis canibus infestari. Iste autem canes sic horride, nigre, et famelice ac tam avide ad istorum animas insequendum ac etiam lacerandum, tenent typum atque figuram indigentiarum que sequuntur hominen in hac vita, postquam bona sua indiscrete consumpsit. Sicut patet in Evangelio beati Luce de filio prodigo, qui postquam consumpsit substantiam suam vivendo luxuriose, cepit egere et adhesit uni civium regionis illius, qui misit illum in villam suam ut pasceret porcos, et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant. Et hoc bene narrat poetice Claudianus, libro primo Contra Rufinum: Luxus, inquit, depopulator opum quem semper adherens infelix humili gressu comitatur egestas.

vv. 115-117

Et ecco due da la sinistra costa, etc. Isti duo fuerunt Lanus de Senis et Iacobus de Sancto Andrea, natione paduanus. Lanus fuit quidam dives homo de Senis, qui suas facultates indiscrete fundebat; sed antequam omnia sua bona consumpsisset, mortuus est in illo bello in quo Senenses ab Aretinis debellati fuerunt, apud quandam plebem Aretini districtus que dicitur al Toppo. Ideo Iacobus, qui eum insequebatur, dum ipsum sequi non posset in vituperium ei dixit: «sì non furo accorte / le gambe tue a le giostre dal Toppo». Et quia iste Lanus paupertatem non vidit, ut dictum est, quia fuit bellica morte preventus, ideo, figurative loquendo, ponit autor ipsum a canibus evasisse. Iacobus autem de Sancto Andrea, paduani districtus, fuit homo ditissimus, qui inordinate vivendo omnia sua bona consumpsit, et ultimo ad ultimam paupertatem devenit. Ideo autor typice ponit ipsum membratim a canibus laceratum.

vv. 130-132

Presem'allor la mia scorta per mano,
et menom'al cespullio che piangea.

Postquam autor in precedentibus de duobus desperationum generibus exemplariter pertractavit, nunc pertractat de tertio genere, quod est utrunque genus in homine reperire. Et ponit hic, figurative loquendo, quendam civem florentinum de Mozzis, qui vocatus fuit Ruccho, qui in utramque incidit desperationem; nam primo omnia sua bona indiscrete consumpsit, et postea laqueo se suspendit. Ideo autor ponit ipsum et in prunum conversum, et a canibus laceratum. Et sic, iuxta verbum Isaie prophete, iste est duplici contritione contritus.

vv. 142-147

I' fui de la città che nel Batista
mutò 'l primo padrone.

Civitas ista est civitas florentina, que tempore paganorum habuit patronum Martem, qui a paganis dicitur deus belli, tempore vero christianorum habuit patronum Iohannem Baptistam. Ad quorum evidentiam clariorem est sciendum quod, quando Romani una cum Phesulanis civitatem Florentie ledificaverunt, volentes diis templa erigere, sapientes consulerunt cuinam deo et in quo loco civitatis templum tali deo edificare deberent. Qui a Marte victoriam de Phesulanis se habuisse credentes, et per astrorum scientiam contemplantes quod in quadam parte ipsius patrie ipse deus belli, sive potius ipse planeta, suam influentiam influebat, dederunt consilium quod ipsi Marti templum venerabile consecrarent, in illa scilicet parte ubi, secundum astrologiam, suam influentiam cognoverunt, ut dictum est. Unde cives pulcerrimum templum forma rotundum, ad honorem ipsius Martis, secundum habita oracula, construxerunt. Postquam vero Florentini ex paganis effecti sunt christiani, ab illo templo Martis spurcitiam eliminaverunt, et illud templum in nomen et honorem gloriosi Baptiste conmutaverunt. Unde, tempore paganorum, patronus illius civitatis fuit Mars; tempore vero christianorum est modo beatus Iohannes Baptista.

Ond'ei per questo / sempre con l'arte sua la farà trista. Quia Florentini claudicant in duas partes, secundum Elye sententiam, quia et beatum Iohannem in patronum assumunt et eum ut debent fideliter non honorant, et Martem totaliter non expellunt, ideo iusto Dei iudicio in manu primi patroni adhuc esse videntur. Quod enim secundum patronum non bene et plene honorent patet, quia illo die in quo venit festum sue decollationis nec ad bella procedunt, nec iter arripiunt, nec uxores ducunt, nec pannos incidunt, nec aliquod audent notabile exercere. Unde tali die per totum annum paganizare videntur. Quapropter ipse beatus Iohannes suis maxime diebus ipsos Florentinos relinquit, nec ipsos a Marte defendit. Quod exemplariter summe patet. Nam in die sue decollationis a Pisanis debellati fuerunt apud Montem Catinum; in quo bello fuit debellatus dominus Phylippus, princeps Tarentinorum, filius scilicet Karoli Secundi, et dominus Petrus, germanus dicti principis fuit in Guisciana submersus, et filius suus, nomine Karolus, occisus. In die vere sue conceptionis fuerunt dicti Florentini a Lucanis apud Altum Passium debellati. Unde Mars cum videt eos beati Iohannis auxilio et patrocinio spoliatos, ipsos in sua arte detinet occupatos. Ars autem Martis est effusio sanguinis. Nam ut ait beatus Ysidorus, XVIII libro Ethymologiarum: Romanorum vexillum ideo coceo, idest colore rubeo, decoratur, quia Mars gaudet in sanguine.
et se non fosse che 'n sul passo d'Arno
riman'ancor di lui alcuna vista,
etc.

In capite nanque Pontis Veteris, qui est in medio civitatis Florentie, adhuc est aliquod fragmentum sive vestigium unius statue sive ymaginis ipsius Martis, cui adhuc aliqualis reverentia exhibetur; quia ponunt ibi in exitu mensis Martii florum serta cum ramis, propter quod ipse Mars non ita forsan contra eos aspere commovetur; aliter autem ipsam funditus destrueret civitatem. Ideo ait in textu:

vv. 148-151

quei cittadin che poi la rifondarno
avreber fatto lavorar indarno,
sopra 'l cener che d'Attila rimase.

Attila fuit rex quidam de partibus Germanie, et fuit rex Vandalorum, qui totam fere Ytaliam bello consumpsit. Ideo fuit denominatus <flagellum Dei>. Inter alia vero mala que fecit, fuit quod destruxit Aquilegiam, Paduam, et Florentiam; nam totam Florentiam flamma combussit. Ideo dicitur in textu: «sopra 'l cener che d'Attila rimase».

I' fe' giubbetto a me de le mie case. Iste qui fecit de propriis domibus sibi furcas fuit Rucco de Mozzis, ut superius est expressum. Giubbettum vero est quidam locus Parisius, ubi latrones suspenduntur ad furcas.

In isto cantu sunt tres comparationes, tria notabilia, et due questiones.

[Comparationes]

vv. 7-9

PRIMA COMPARATIO.

Non àn sì aspri sterpi nè sì folti
quelle fiere selvagge che 'nn odio ànno
tra Ciecina et Corneto i luoghi colti.
Lictera plana est, et superius explanata.

vv. 40-45

SECUNDA COMPARATIO.

Come d'un stizzo verde c'arso sia
da l'un de' capi, che da l'altro geme
et cigola per vento che va via,
sì de la schegia rotta usciva inseme
parole et sangue.
Comparatio talis est: Quando unus stipes viridis ab uno capite comburitur, ab alio capite duo facit: primum est quia de illo capite exit aqua, scilicet de capite non combusto; secundum vero quia cum illa aqua similiter exit ventus. Dicit itaque hic autor quod isto modo de illa fractura quam fecit in pruno duo exiverunt simul et semel, scilicet verba et sanguis.

vv. 109-114

TERTIA COMPARATIO.

noi fumo d'un romor sorpresi,
similemente a colui che venire
sente 'l porco et la caccia a sua posta,
ch'ode le bestie, et le frasche stormire.
Lictera plana est.

[Notabilia]

vv. 64-66

PRIMUM NOTABILE.

La meretrice che mai da l'ospitio
di Cesare non torse li occhi putti,
morte comune de le corti vitio,

In isto notabili tria breviter continentur: primum est quod invidia semper regnat in curiis principum et magnatum; secundum est quod est comune vitium omnium curiarum; tertium est quod istud vitium mortem habet in dictis curiis operari.

vv. 82-84

SECUNDUM NOTABILE.

Ond'io a lui: «Domanda tu ancora
di quel che credi c'a me satisfaccia;
ch'i' non potre', tanta pietà m'accora».

In hoc notabili duo notare debemus: Primum est quod videndo miserias aliorum, ad compassionem ipsa miseria excitare nos debet. Unde glosa super illo verbo: Ihesus autem misericordia motus, dicit quod misericordia semper misericordiam intuetur. Istud enim est proprium animi bene dispositi, et gaudere bonis rebus et dolere contrariis, ut ait Tullius in libro De Amicitia. Et Apostolus: Gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus. Secundum est quod ipsa pietas intantum mentem absorbet aliquando, quod ea que intus concipimus, per verba foris explicare non possumus. Ideo ait: «Io non potrei – subaudi loqui – tanta pietà m'accora».

vv. 103-105

TERTIUM NOTABILE.

Non è giusto aver ciò c'uom si tollie. Secundum enim iura, ille qui aliquo iure seu dignitate privat aliquando semetipsum, illud ius seu dignitatem sine superioris arbitrio rehabere non potest. Nam si clericus vel sacerdos amputat sibi digitum vel aliquod membrum, ut sacerdotio reprobus habeatur, missam ulterius sine dispensatione domini Pape cantare non potest.

[Questiones]

QUESTIONES sunt iste:

Quomodo et qualiter anima in illis prunis ligatur, et sive unquam a membris talibus liberatur. Sed quia superius sunt exposite, ideo finem isti cantui faciamus.

Et sic patet XIII cantus prime cantice Comedie.

XIV

INCIPIT XIIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

Incipit quartus decimus cantus prime cantice Comedie. In isto XIIII cantu autor intrat tertium gironem. Et incipit iste tertius giro in isto cantu, ibi: «Indi venim'al fine ove si parte / lo secondo giron dal terzo»; et finit in XVII cantu, ibi: «tornam'indietro da l'anime lasse». In isto vero girone tractat autor de triplici violentia que exercetur in Deum, scilicet de blasphemia, sodomia et usura. Et ideo istum gironem in tres partes dividit et distinguit. Et incipit prima pars in isto cantu, ibi: «dico c'arrivamo ad una landa / che dal su' lecto ogni pianta rimove»; et finit in isto eodem cantu, ibi: «Omai è tempo da scostarsi / del bosco; fa che dietro a me tu vegni», etc. Et tractat in ista prima parte de blasphemis in Deum, quorum pena est quod supini iacent ad ignem. Tractat etiam hic de illa statua quadriformi que quatuor mundi etates sive tempora prefigurat.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-12

In superiori nanque cantu autor tractavit de violentia quam homo exercet contra se ipsum in persona vel ere; nunc autem in isto cantu et in consequentibus tractat de violentia que exercetur vel contra Deum, sicut est blasphemia; vel contra naturam, que est filia Dei, sicut est sodomia; vel contra artem, que est neptis Dei, sicut est usura. Et incipit primo a blasphemis, quorum pena est quod in

quadam planitie arenosa, ubi continue pluvit ignis, supini iacent. Et continuatur sic iste cantus cum precedenti. In fine nempe superioris cantus ponit autor quod ille Ruccho de Mozzis a canibus laceratus, rogavit Virgilium atque Dantem ut folia sua sparsa ad pedem tristi cespitis adunarent. Unde Dantes, pietate motus, dictas frondes et folia adunavit in unum, et iuxta illius precamina ad pedem cespitis recollegit. Unde sic incipit cantus iste: Postquam caritas, idest amor nativi loci, quia uterque Florentinus, me strinxit, idest constrinxit, adunavi folia sparsa et reddidi illi qui, propter suspiria atque planctus, iam raucus erat effectus. Et sic inde recessimus et venimus ad finem ubi dividitur giro secundus a tertio. Qualiter vero sit factus iste tertius giro declarat dicens quod solum, sive lectus, istius gironis a se removet omnem plantam. Et hoc propter duo: primum est quia ille locus totus est breviter harenosus; secundum est quia super illam arenam continue pluvit ignis. Unde dicitur in textu:
A ben manifestar le cose nove,
dico c'arrivamo ad una landa
che dal su' lecto ogni pianta rimuove.

vv. 19-142

Et quemadmodum primus giro circundat secundum, ita secundus circundat et tertium. In quo quidem tertio girone dicit autor se vidisse tria genera personarum: Quidam enim proni iacebant in terra, et isti sunt illi qui blasphemant Deum et sanctos suos. Quidam currebant continue per arenam, et isti sunt illi qui sodomitico vitio se exercent. Quidam vero sub illo igne sedebant, et isti sunt illi qui commodant ad usuram. Sed quia, ut predictum est, iste giro dividitur in tres partes, primo tractat de blasphemis, secundo de sodomitis, tertio de usurariis. Volens autem tractare de blasphemis qui in illa arena iacent sub igne supini, dicit se vidisse inter istos quendam, statura magnum et arrogantia valde plenum; quem cum vidisset, ait ad Virgilium: «Magister, tu qui vincis omnia, exceptis demonibus duris qui in introitu porte contra nos exiverunt, quis est ille magnus qui de incendio minime curare videtur, et iacet ita despectuosus et tortuus quod ipsum ignea pluvia non maturat?» Et illemet, statim quod perpendit quod autor interrogabat de ipso Virgilium, sic clamando respondit: «Qualis ego fui vivus, talis sum mortuus». Ac si diceret: Licet Deus sua sagitta me interfecerit, sibi subesse non possum. Et plus: Si enim ipse Iupiter suum fabrum fatiget, a quo iratus accepit fulmen acutum cum quo ultimo die percussus fui, vel alios in monte Ethne fatiget similiter alternatim, Vulcanum in adiutorium invocando, sicut fecit in pugna Flegre, et me cum toto suo posse sagittet, alacrem vindictam habere nullatenus inde posset. Tunc Virgilius, contra istum sic superbe loquentem, magna voce clamavit, dicens: «O Capanee, in eo quod tua superbia non vincatur es tu magis inde punitus; nullum re vera martirium, excepta tua rabie, esset dolor tuo furori completus». Et his dictis, Virgilius se volvit ad Dantem et cum meliori facie sibi dixit: «Ille fuit unus ex septem regibus qui obsiderunt Thebas, et habuit, et adhuc habere videtur, Deum in dedignationem et modicum ipsum videtur appretiari. Sed sicut ego dixi sibi, sui despectus sunt suo pectori satis debita frigia, idest debita ornamenta. Sed admodo veni post me et cave ne mittas adhuc pedes in arenam combustam, sed semper ad nemus teneas pedes strictos».

Sic autem in confinio nemoris iuxta arenam cum silentio transeuntes, devenerunt ad quendam parvum fluvium, qui de silva egrediens diffunditur per arenam. Qualiter vero sit factus iste fluvius declarat: Fundus, inquit, suus atque ripe erant de petra, et per ripas erat transitus in arenam. Sed antequam iter arriperent super ripam, ait Virgilius ad Dantem: «Inter omne aliud quod ego tibi demonstravi postquam nos intravimus per illam portam cuius limen nemini est negatum, res non est ab oculis tuis visa ita notabilis sicut presens fluvius, sive rivus, qui supra se omnes flammas extinguit». Ad quem Dantes: «Rogo te», inquit, «ut de illo de quo michi desiderium es largitus largiaris et pabulum». Tunc Virgilius sibi poetando describit quatuor secula, sive tempora, a principio mundi usque ad finem currentia, sub similitudine unius statue quadriformis, dicens: In medio mari[s] sedet unum paese destructum, quod appellatur Creta, sub cuius rege mundus antiquitus fuit castus. In ista itaque Creta est quidam mons, qui iam fuit amenus frondibus atque aquis, qui vocabatur Yda; sed modo ut res vetus, totaliter est desertus. Reha vero – supple regina Cretensis – elegit ipsam Ydam pro cuna fida sui filii, et ut celaret eum melius quando puer vagiebat in cuna, faciebat ibi fieri strepitus et clamores. In isto itaque monte, in interiori scilicet parte, unus magnus senior stat erectus, qui tenet spatulas versus Dammiatam et faciem versus Romam; cuius caput est aurum optimum, pectus et brachia de argento, venter ex ere, tibie et crura ex ferro, pedum vero quedam pars ferrea, quedam lutea, quia pes dexter est terra cocta; et stat ista statua, sive iste senior, magis erectus super istum pedem terreum quam sinistrum. Quelibet autem pars istius statue, excepta aurea, dicitur esse fracta, et ex tali fractura lacrime pluunt, sive fluunt; que quidem lacrime insimul adunate perforant istam criptam. Quarum cursus in istam vallem dirigitur infernalem, et hic faciunt quatuor flumina sive aquas, scilicet Acherontem, Stygem, Flegetontem, atque Cocitum.

Tunc ait Dantes ad Virgilium: «Si presens aqua, de qua tu loqueris, derivatur a nostro mundo, quare solummodo hic apparet?» Et Virgilius ad eum: «Tu scis quod iste locus est rotundus; quam rotunditatem, licet multum descenderis, adhuc circuire minime valuisti. Et ideo si tibi novum aliquod appareret, de hoc admirari non debes». Tunc iterum ait Dantes: «Magister, ubi invenitur Flegeton et Lethe, de qua taces?» Cui Virgilius: «Certe in omnibus tuis questionibus michi places; sed ebullitio

aque rubee debebat certe unam solvere quam tu facis, quam quidem pre oculis tunc habebant. Lethe autem videbis, sed extra istam foveam, quo vadunt anime ad sua scelera abluendum quando culpa, mediante penitentia, est remota». Et his dictis subiunxit: «Admodo tempus est a nemore separandi; fac ut post me tu venias. Margines enim non sunt arsi, quia omnis vapor igneus qui de alto descendit extinguitur super eos; idcirco viam nobis poterunt ministrare. Unde ait in textu:
Li margini fan via, che non son arsi,
et sopra lor ogni vapor si spegne.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Po' che la carità del natio loco
mi strinse,
etc. Natalis sive natalitius locus est causa amoris, ut philosophi volunt. Et hoc demonstrat autor in istis tribus rithimis dicens, quod postquam caritas nativi loci strinxit eum, adunavit folia a canibus prius sparsa, et reddidit, sic pietate commotus, illi suo concivi, qui iam propter planctum et suspiria raucus erat effectus.

vv. 4-6

Qundi venimmo al luogo ove si parte
lo secondo giron dal terzo.

Hic incipit autor de tertio girone tractare; quem quidem dividit in tres partes: in prima namque parte ponit blasphemos, quorum pena est supinos iacere; in secunda ponit sodomitas, quorum pena est, continue currendo, illam arenam sine requie circuire; in tertia vero parte ponit usurarios, quorum pena est cum bursis ad collum sedere, ut superius est expressum.

vv. 7-9

A ben manifestar le cose nove,
dico c'arrivamo ad una landa,

etc. Designat hic autor situm et qualitatem istius tertii gironis, et dicit quod adeo est aridus – et propter arenam, quia locus arenosus est, et propter siccitatem, quia ibi continue ignis pluit – quod a suo lecto removet omnem plantam, quia nullam plantam potest producere. Vel aliter: removet omnem plantam, idest prohibet, sive vetat, omnem pedem, quia nullus pes vivus posset per illum locum aliqualiter ambulare. Landa vero est proprie planities, aliquando arenosa, omnino sicca et arida, in qua nulla planta oritur sive herba, ut hic; aliquando vero landa est locus amenus, herbis et floribus atque arboribus adornatus, ut infra in secunda cantica, ibi:

Giovane et bella in sogno mi parea

donna veder andar per una landa

colliendo fiori,

etc.

vv. 13-15

Lo spazo er'una rena arida et spessa,
non d'altra foggia facta che colei
che fu da' pie di Caton già soppressa.

Exemplificat hic autor et dicit quod ista arena similis est arene quam suis pedibus in Libia Cato calcavit. Hanc ystoriam narrat Lucanus libro 9, dicens quod postquam Pompeius fuit Pharsalica pugna victus a Cesare, et a Phtolomeo rege Egypti illo capite glorioso quod fuerat tribus coronis triumphalibus coronatum nefaria proditione privatus, Cato exercitum ipsius Pompei sparsum atque collapsum collegit in unum, et per illam planitiem arenosam et serpentibus plenam, que est in Libia, que alio nomine Africa nuncupatur, multo labore et sudore deduxit. Unde Lucanus:
Cato ingressurus steriles sic fatur arenas:
O quibus una salus placuit mea signa secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus summosque labores
Vadimus in campos steriles exhaustaque mundi
Qua nimius tytam et rare in fontibus unde
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva.

Quod autem Cato dictum exercitum per dictam arenam multo sudore et labore virtute tolerantie deduxit, ostendit Lucanus eodem libro dicens:
Ipse manu sua pila gerens precedit haneli
Militis ora pedes monstrat tolerare labores,
Non iubet, et nulla vehitur cervice supinus
Carpentoque sedens; somni parcissimus ipse [est]
Ultimus haustor aque,
etc.

In ista itaque arenosa planitie multi milites Catonis a serpentibus perierunt, et maxime Sabellius et Nassidius, sicut dicetur infra, cantu XXV. Exemplificat itaque autor et dicit quod iste tertius giro est ita arenosus et aridus sicut est illa arena Libie que calcata fuit pedibus Catonis, scilicet Uticensis. Duo enim fuerunt Catones, Censorinus et Uticensis; primus quia censor iuris; secundus quia in Utica mortuus et sepultus. Uterque tempore paganorum speculum sanctitatis. Fuerunt autem ita boni quod, secundum reputationem sapientium, tertius in mundo reperiri non potest. Unde Iuvenalis, in laudem istorum Catonum, yronice ait: «Tertius de celo cecidit Cato». De istis duobus Catonibus ait Valerius, libro tertio, capitulo <Qui humili loco nati clari evaserunt>. Marci Catonis Portie nationis principis incrementa publicis votis expetenda fuerunt; qui nomen suum Tusculi ignobile Rome nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo latinarum licterarum monimenta, adiuta disciplina militaris, aucta maiestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior ortus est Cato. De isto II Catone habes etiam superius, cantu IIII, super illo verbo: «Cesare armato con li occhi grifagni». Cetera vero ipsius laudanda facta habebis infra in secunda cantica, cantu primo.

vv. 16-18

O vendetta di Dio, quanto tu dei
esser temuta,
etc.

Hic apostrophat autor ad Deum, et dicit quod ulctio divina, que punit ita terribiliter peccatores, multum ab hominibus est timenda, et spetialiter ab illis qui legunt ea que fuerunt suis oculis manifesta.

vv. 19-21

D'anime nude vidi molte gregge. Distinguit hic autor diversitatem illorum qui in arena calida puniuntur, et dicit quod quidam iacent, quidam currunt, quidam sedent. Iacentes sunt blasphemi, currentes sunt sodomite, sedentes vero sunt usurarii. Et bene omnes isti actus peccatis talium optime correspondent: nam blasphemi, cum Deum et sanctos blasphemant, facie et pectore se erigunt contra celum; de quibus potest merito dici illud verbum prophetycum: Ambulant contra Deum extento collo. Sodomite autem semper circumeunt omnia loca in quibus et ubi eorum concupiscentia melius, imo nequitius, expleatur. Unde in figura talium ait Sathan, sicut scribitur in Iob, primo capitulo: Circuivi terram et perambulavi eam. De istis etiam potest intelligi illud verbum quod scribitur in Psalterio: Famem patientur ut canes et circuibunt civitatem. Famem enim pati dicuntur, quia nunquam luxuria satiatur. Unde beatus Ieronimus: Voluptas presens non satiat, futura cruciat, preterita non delectat.

Usurarii vero ad suas stationes sedent, ut manifeste videmus.

vv. 21-24

Supin giaceva in terra alcuna gente; isti sunt blasphemi. *Alcuna si sedea tutta raccolta*; isti sunt usurarii. *Et altra andava continuamente*; isti sunt sodomite.

vv. 28-33

Sopra tutto 'l sabbion, d'un cader lento; usque ibi: *Quali Alexandro in quelle parti calde*, etc. Exemplificat hic autor et dicit quod in isto girone tales vapores ignei descendebant, quales descendunt nives in Alpibus sine vento. Et quales flammas Alexander vidit in India super suum exercitum cadere de celo, tales vidit hic autor in isto girone descendere; et quemadmodum sub calibe sive focile accenditur esca, ita sub istis flammis accenditur et arena. Ystoria vero Alexandri est ista: Legitur enim in gestis suis quod dum ipse Alexander castrametatus esset in India, in quadam scilicet parte calidissima, quod vapores calidissimi descenderunt de celo; unde ipse sagacissimus dux mandavit militibus suis ut cum equis vapores contererent, ne tantam potentiam haberent accendere solum terre.

vv. 43-45

I' cominciai: «Maestro, tu che vinci
tutte le cose, fuor che ' dimon duri
c'al intrar de la porta incontro uscinci,

Dum Dantes animas iacentes consideraret attente, vidit quendam staturam magnam superbe et arroganter in igne iacentem; et admirans et stature magnitudinem et pectoris arrogantiam, interrogavit Virgilium quisnam esset. Sed ille, dum audivit Dantem Virgilium interrogantem, superba voce et actu se manifestavit eidem, dicens per quedam signa se esse Capaneum gigantem, qui in bello thebano ictu fulminis conflagravit.

vv. 49-51

Qual i' fu' vivo, tal son morto. Vere qualis quisque est vivus, talis est mortuus, quia iuxta sententiam Augustini: Qui male vixerit, vix bene moritur; et e converso; et qui bene vixerit vix male moritur. Unde Capaneus, sicut fuit contemptor deorum in mundo, sic est similiter in Inferno. Unde sequitur:

vv. 52-54

Se Giove stanchi il su' fabro. Vult hic dicere Capaneus quod si Iupiter omnes fabros suos, qui sibi tela fabricant, fatigaret ut ipsum totiens sagittaret quotiens illi fulmina prepa[ra]rent, non posset inde habere alacrem ultionem. Sed circa hoc duo breviter sunt videnda: primo quis fuit Iupiter, et si vere fuit homo, vel aliquod fictum, vel compositum a poetis; secundo, quis fuerit Capaneus. Circa primum, nota quod Iupiter fuit homo, et vere fuit homo; fuit enim rex Cretensis, sub quo a poetis argentea secula predicantur. A poetis autem fingitur summus deus. Unde propter ethimologiam nominis, ipsum <patrem iuvantem> appellant. Interpretatur enim Iupiter <iuvans pater>. Hunc et privato et singulari titulo pagani post mortem suam Iovem optimum vocaverunt, et ei quandam stellam suo nomine appellatam in honorem sui nominis consecrarunt. Sed re vera, non deus nec bonus homo fuit, sed pessimus et sceleratus; cuius scelera Virgilius in libro Georgicorum, partim hystorialiter et partim figurative, brevi sententia comprehendit, dicens:
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni;
Nec signare quidem aut partiri limite campum
fas erat:
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Predarique lupos iussit pontumque moveri,

Et beatus Ysidorus, VIII libro Ethimologiarum: Iupiter, inquit, rex Cretensis expulit patrem Saturnum de regno. Incestor existens in suis, impudicus in extraneis; nam in forma tauri rapuit Europam; non quod mutatus fuerit in taurum, sed in navi ubi erat depictus taurus in velis ad rapiendum dictam dominam navigavit. Similiter per hymbrem aureum descendit in thalamum Danays et ipsam virginitate privavit; non quod in hymbrem auream sit conversus, sed debemus intelligere pudicitiam mulieris per aurum a Iove fuisse corruptam. Similiter in forma aquile quendam puerum de stirpe regia Troyanorum nomine Ganimedem rapuit propter strupum. Et hoc intellige

quod in quodam bello cum vexillo aquile puerum ipsum cepit. Iupiter enim fuit primus homo qui aquilam primo portavit in bello, sicut dicetur infra, tertia cantica, cantu VI. Et sic de Creta aquilarum insigna descenderunt in Troyam, quia fundatores Troye, Teucri scilicet, et Dardanus de Creta in Troyam secum aquilas portaverunt. Post cuius destructionem Eneas ipsas aquilas secum duxit in Ytaliam, que post mortem Enee in regno albano fulserunt. Romulus autem et Remus ipsas de Alba portantes in urbe Romana perpetuo firmaverunt.

Circa secundum vero nota quod Capaneus fuit quidam gygas et contemptor deorum, unus videlicet ex VII regibus qui obsederunt Thebas; de cuius superba arrogantia scribit Statius, tertio libro Thebaydos, quod cum illi VII reges essent in obsidione thebana et quidam sacerdos Apolinis, qui vocabatur Euneus, vellet dictos reges ab obsidione retrahere, et sic eos ad pacem componere, dicens ut scribit idem Statius:

Prohibete manus hec menia omine dextro
Thebana cyrrea monstravit Apollo iuvenca;
Parcite in hoc ultro scopuli Venere volentes.
Gens sacrata sumus; gener huic est Iupiter urbi
Gradivusque socer; Bacchum non mentitur alumnum
Et magnum Alcidem. Iactanti talia frustra
Turbidus aerea Capaneus occurrit in hasta.
Et ait, ut quidem femineis ullulatibus
Terrificas moriture vivos? utinam ipse veniret.
Cui furis!

idest utinam Apollo ad cuius honorem loqueris ipse veniret, quia ipsum libentius trucidarem; et hoc dicto ipsum Euneum sacerdotem in contemptum Apolinis interfecit. Cum vero quadam die Greci muros civitatis invaderent et dictus Capaneus ipsos muros ascenderet et omnes deos superba arrogantia blasphemaret, soli fortune se committendo, dicens ut habetur 9. libro Thebaydos:

Tu presens bellis et inevitabile numen

Te voco, te solam superum contemptor adoro.

Fulmen cecidit de celo et ipsum de muro eiciens momento combusit; quam quidem superbiam ad inferos secum tulit. Idcirco ait autori: *Se Giove stanchi lo suo fabro, da cui / crucciato prese la folgore acuta / onde l'ultimo dì percosso fui*; usque ibi: *non ne potrebb'aver vendetta allegra*. Faber principalis Iovis a poetis fingitur esse Vulcanus; fabri vero generales dicuntur esse Ciclopes. Fuit autem Vulcanus quidam homo dominus scilicet sive rex quarundam insularum que sunt prope Siciliam, que a suo nomine Vulcanie appellantur; quia ipsi Vulcano sunt dicte insule consecrate. De quibus insulis et ipso Vulcano sic ait beatus Ysidorus, VIII libro Eth. Vulcanum pagani dicunt ignem, et dicitur vulcanus quasi <volans candor>, vel quasi <volicanus>, eo quod per etherem ignis volet. Ignis enim ex nubibus nascitur. Unde etiam Omerus dicit ipsum Vulcanum precipitatum de aere in terram, eo quod omne fulmen de aere cadit. Idcirco Vulcanus de femore Iunonis dicitur natus, eo quod fulmina de ymo aere nascuntur. Claudus autem pingebatur ipse Vulcanus, quia nunquam per naturam rectus est ignis, sed quasi claudus. Ideo autem in fabrorum fornace eundem Vulcanum autorem dicunt, quia sine igne nullum metalli genus fundi extendique potest. Hucusque Ysidorus. Ciclopes vero, ut fabule tradunt, fuerunt quidam fabri qui iuxta montem Ethne habitantes in armis ipsi Iovi favebant. Unde fabulose dicuntur Iovis fulmina fabricasse. Mons autem Ethne, qui vulgo dicitur Mongibello, est quidam altissimus mons in Sicilia qui continue ardet et fumat, licet propter nebulas incendium videri non possit; de quo fabulose dicitur quod sit fabrica in qua ipsi Ciclopes fabri Iovis fulmina fabricant. Dicitur etiam quod ibi sit descensus ad inferos; sed re vera, sicut scribit beatus Ysidorus, XIIII libro Eth. Iste mons Ethne ab ea parte qua Eurus flat, habet speluncas plenas sulphuris et usque ad mare deductas; que spelunce recipientes in se fluctus ventum cream, qui agitatus ignem gignit ex sulphure; unde fit quod videtur incendium. Vult itaque dicere Capaneus: Si cum omnibus sagittis que a Vulcano in suis insulis, et cum illis que a Ciclopibus in Ethna similiter fabricantur, me Iupiter sagittaret, non propter hoc haberet inde alacrem ultionem.

vv. 58-60

Sì come fece a la pugna di Flegra. Flegra est locus ubi Iupiter cum gygantibus dimicavit; in qua pugna, dum ipsi gygantes contra Iovem aliquantulum prevalerent, ipse Iupiter ad sagittas et balistas utiliter se convertit; inde fingitur a poetis Vulcanum atque Ciclopes in suum adiutorium invocasse. Unde istorum auxilio de gygantibus poetice finaliter triumphavit. Vult ergo dicere Capaneus: Si Iupiter totam suam potentiam contra me adunaret in unum, sicut fecit in pugna gygantum, meam superbiam non domaret.

vv. 61-66

O Capaneo, in ciò che non s'ammorza
la tua superbia, se' tu più punito;
etc.

Audiens Virgilius arrogantiam Capanei, quod nulla fulmina possent eius superbiam predomare, ait ad eum: «O Capanee, in eo quod tua superbia non frenatur neque domatur, puniris tu magis, quia nullum martirium excepta tua rabie esset tuo furori dolor completus. De istius vero superbia ait Statius, tertio libro Thebaydos:
Hic ferus insistit Capaneus bellumque lacessit.
Vociferans spurnitque deos sociosque lacessit.

vv. 67-69

Quei fu un de' sette regi, / c'assiser Theba. Dicit hic Virgilius istum Capaneum fuisse unum ex VII regibus qui Thebas obsederunt, quorum regum nomina sunt ista, ut habetur IIII libro Thebaydos: Primus Adrastus; secundus Policenes; tertius Tideus; quartus Hypomedon; quintus Capaneus gygas; sextus Anphioraus vates; septimus Parthonopeus. Quod autem in bello thebano isti convenerint VII reges, affirmat etiam Seneca, tertio libro Tragediarum, dicens: Septena reges dispositi bella parant. Et infra eodem libro: Septena muros castra thebanos premunt.

vv. 76-78

Tacendo divenimo là 've spiccia
fuor de la selva un picciol fiumicello,
lo cui rossor ancor mi raccapriccia.

Iste fluvius qui de silva egreditur et labitur per arenam vocatur Flegeton, qui interpretatur <ardens>; et est iste fluvius tertia aqua Inferni. Nam prima aqua est Acheron, ut habetur supra, cantu tertio; secunda aqua est Stix, ut habetur supra, cantu quinto; tertia aqua est ista, de qua ait Seneca, libro Tragediarum: Flegeton nocentes igneo cingit vado. Et Statius, IIII Thebaydos:
Fumidus atra vadi; Flegeton incendia volvit.

vv. 79-81

Quale del Bulicame esce ruscello, etc. Bulicame est quedam aqua calidissima in provincia Tuscie, iuxta civitatem Viterbii; et est adeo calida, quod nullo modo impune tangi potest. Exit autem de lecto suo quidam rivulus, quem rivulum meretrices, in illa planitie habitantes, inter se sortiuntur. Nam in qualibet domo est ex illo rivulo balneum ordinatum, quia per fluxum illa aqua calidissima tepidatur. Exemplificat igitur autor et dicit quod ille fluvius Flegeton, qui in isto tertio girone diffunditur per arenam, est ita factus sicut ille qui exit de Bulicamine ad habitacula meretricum.

vv. 82-84

Lo fondo suo et ambo le pendici
fact'eran pietre, et i margin dal lato;

Multarum aquarum natura est ista, quod loca per que fluunt, licet sint terrea vel arenosa, faciunt petrosa. Unde iste Flegeton canale suum per quod fluit facit petrosum, quia illa arena, virtute istius aque, convertitur in petram; et sic super aggeres istius fluvii, quia petrosi sunt, est securus et liber transitus per arenam. Unde sequitur in textu:
perch'i' m'accorsi che 'l passo era lici, idest ibi.

Et est istud *lici* vocabulum Florentinorum, quod tantum sonat quantum <ibi>. Sed si ignis pluit continue in isto girone, quomodo iste fluvius et sui aggeres ab incendio sunt immunes? Respondeo: De isto enim fluvio exit continue quidam fumus qui, licet sit calidus, est tamen ita humidus quod omnes vapores igneos qui de alto cadunt extinguit; sicut patet in aqua calida, que licet sit calida, tamen propter sui humiditatem ignem extinguit. Et hoc est quod vult dicere Virgilius Danti.

vv. 85-90

«Tra tutto l'altro ch'i' t'ò dimostrato,
poscia che noi intramo per la porta
il cu' sogliare a nessun è negato,
cosa non fu da li tu' occhi scorta
notabile com'è 'l presente rio,
che sovra sè tutte fiammelle ammorta».

Lo cui sogliare, etc. Dicit hic autor quod ingressus ad inferos nemini denegatur. Cum hoc concordat Virgilius, VI Eneydorum:
Facilis descensus Averni;
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.

vv. 94-96

«In mezzo mar siede un paese guasto»,
diss'elli allora, che s'appella Creta,
sotto 'l cui rege fu già il mondo casto.

Creta est quedam insula Grecie, in qua regnaverunt Saturnus, Iupiter, Mars, et Minos, et multi alii. De hac insula sic ait beatus Ysidorus, XIIII libro Eth. In Creta Iuppiter fuit absconditus et nutritus. Fuit autem quondam centum urbibus nobilis; unde et Hecanthopolis, ab *antos* quod est <centum> et *polis* quod est <civitas>, dicta est. Prima etiam remis et sagittis claruit. Prima licteris iura finxit; equestres termas prima docuit; capris copiosa cervis, eget lupos et vulpes, atque ferarum noxia nusquam gignit. Serpens ibi nulla noctua, et si inveniatur, statim moritur. Larga est autem vitibus et arboribus. Dictamus herba in Creta nascitur et alimus, que admorsa diurnam famem prohibet. Sfalongos autem venenatos gignit. Quod autem Creta olim habuerit centum urbes, affirmat Seneca, VI libro Tragediarum, dicens: Urbibus centum spatiosa Creta. In istoriis etiam Romanorum legitur quod Metellus, consul Romanus, domuit regnum Crete, et illas centum urbes ad XXX redegit. Propter quam victoriam nominatus est postea Metellus Cretensis.
sotto 'l cui rege fu già il mondo casto.

Iste rex Cretensi, sub quo mundus fuisse dicitur castus, fuit Saturnus, pater Iovis, quo tempore prima etas post diluvium, que aurea nuncupatur, ab antiquis autoribus fuisse describitur.

vv. 97-99

Una montagna v'è, che già fu lieta
d'acque et di fronde, che si chiamò Yda;
or è diserta come cosa vieta.

Ista Yda fuit quedam pulcherrima et amenissima silva in quodam monte cretensi sita, in qua Iupiter, ut dictum est, fuit absconditus et nutritus. Et nota quod due fuerunt Yde in mundo famosissime: troyana videlicet, et cretensis; et ambe diis et musis a paganis antiquitus consecrate. De prima, Ovidius in libro Epistularum:
Nimpha suo Paridi, quamvis suus esse recuset,
Mittit ab Ydeis scripta legenda iugis.

Et Virgilius, II libro Eneydorum: Cernimus Ydea claram se condere silva. De secunda vero ait Ovidius, V libro Faustorum:

Nays amalthea cretea nobilis Yda,

Dicitur in silvis occuluisse Iovem.

vv. 100-102

Rea la scelse già per cuna fida. Rea fuit regina cretensis que alio nomine dicitur Opis, vel Cybele; que a paganis olim mater deorum appellata est; in cuius honorem et filiorum suorum Romani illud

maximum templum fecerunt quod Pantheon antiquitus dicebatur. Huic itaque regine, dum gravida esset, Saturnus vir eius mandavit quod quicquid pareret mox sibi representaret. Habuerat enim ab oraculo in responsum quod ipse erat filium habiturus qui ipsum de regno fugaret; unde volebat filium, si sibi nasceretur, occidere. Propter ea mandavit uxori ut sibi quicquit pareret presentaret. Sed regina, cum puerum peperisset, eius pulcritudine delectata, nimphis eum alendum in Yda cretensi studuit commendare. Ipsa vero a Saturno interrogata ubi erat et quid erat quod peperat, lapillum candidum panno involutum eidem regi monstravit, dicens se illum lapillum candidum peperisse; quem lapillum statim Saturnus, ut fabule referunt, devoravit. Puer autem natus a matre absconditur, Iupiter nominatur, et nimpharum studio in Yda cretensi celatur atque nutritur. Et lacte unius capre, que Amaltea dicebatur, lactatus est: cuius pelle scuto superextensa in bello contra tytanas, idest gygantes, ipse Iupiter dicitur postea esse usus. Propter quam victoriam ipsa capra postea in celum translata est; et est quoddam signum inter alia signa celestia valde notum. Sed ne vagitus infantis a longe audiretur, adhibiti sunt ei curites, qui dicuntur alio nomine coribantes, qui planctum pueri sonum eris prohiberent audiri. Unde coribantes sunt daimones magister matris deorum, quasi demones qui totum sciunt. Tunc etiam apes, eris sonum secute, Iovem dicuntur sua dulcedine aluisse. Et propter quam rem eis prestitit postea Iupiter atque concessit ut sine ullo concubitu filios procrearent. Iupiter vero adultus in armis se exercitans, patrem de regno expulit, sicut oracula predixerunt. Et sic, iuxta sententiam Senece, V libro Tragediarum: Multi ad fatum venere suum dum fata timent. Et Ovidius, in libro Epistolarum:
Certa prius eram, sed me mea fata trahebant.

vv. 103-105

Dentro dal monte sta drict'un gran vellio. Designat hic autor poetice describendo quatuor regna sive quatuor etates a principio usque ad finem seculi decurrentes; et hec sub methaphora illius statue, quam vidit in visione Nabuchodonosor, rex Babilonie, ut habetur Danielis II capitulo. Huius statue caput est aurum optimum; pectus et brachia de argento; venter ex ere; tibie vero et crura ex ferro; pedum autem, quedam pars ferrea, quedam lutea. Caput aureum fuit regnum Babiloniorum, propter nobilitatem regni. Pagani autem istud regnum sive istam etatem non Babilioniis, sed Saturno, attribuunt; licet utrunque regnum in eadem etate concurrerit. Quante autem iustitie et innocentie fuerit ista etas patet, quia aurea dicitur. Nam sicut aurum excedit omnia metalla in pulcritudine et valore, ita ista etas, de qua Ovidius, primo *Meth.* loquens, ait:
Aurea prima sata est etas, que vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
Pena metusque aberant, nec verba minantia fixo
Ere legebantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.
Nondum cesa sunt, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas,
Nullaque mortales preter sua litora norant.
Nondum precipites cingebant oppida fosse:
Non tuba directi, non eris cornua flexi,
Non galee, non ensis erant; sine militis usu
Mollia secure peragebant otia gentes.
Ipsa quoque inmunis rastroque intacta nec ullis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus;
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fetus montanaque fraga legebant
Cornuaque in duris herentia mora rubetis
Et que deciderant patula Iovis arbore glandes.
Ver erat eternum; placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores;
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis;
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ylice mella.

Pectus vero et brachia de argento signant regnum Persarum, Medorum et Caldeorum; quod quidem regnum non fuit ita bonum sicut primum. Et istud regnum sive istam etatem pagani attribuunt Iovi, qui patrem expulit de regno. De qua etate Ovidius ut supra:

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso

Sub Iove mundus erat, subiitque argentea proles,

Auro deterior, fulvo pretiosior ere.

Iupiter antiqui contraxit tempora veris,

Perque hyemes estusque et inequales autumnos

Et breve ver spatiis exegit quatuor annum.

Dum primum siccis aer fervoribus ustus

Canduit et ventis glacies astricta pependit.

Tum primum subiere domos; domus antra fuerunt

Et dempsi frutices et vincte cortice virge.

Semina tum primum longis cerealia sulcis

Obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci.

Ventus autem ex ere signat regnum Macedonie; et hoc vel propter eloquentiam Grecorum vel propter victoriam Alexandri, quod quidem regnum fuit tanto deterius ad bene vivendum, dico primis duobus regnis, quanto deterius est es auro et argento, licet sit sonorius et vocalius. Et istud regnum, sive istam etatem, pagani attribuunt Marti filio Iovis, sed christiani attribuunt illud Grecis. De qua etate Ovidius ut supra:

Tertia post illam successit Enea proles,
Sevior ingeniis et ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen; de duro est ultima ferro.
Protinus irrupit vene peioris in evum
Omne nefas: fugere pudor verumque fidesque;
In quorum subire loco fraudesque dolique
Insidieque et vis et amor sceleratus habendi;
Vela dabat ventis, neque adhuc bene noverat illos,
Navita; queque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carine,
Communemque prius ceu lumina solis et aure
Cautus humum longo signavit limite messor.
Nec tantum segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus, sed itum est in viscera terre:
Quasque recondiderat stigiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Tibie vero et crura ferrea regnum significant Romanorum, quia sicut ferrum domat omnia metalla, ita illud regnum domuit omnia regna mundi. Quod autem pedum quedam pars dicitur ferrea,

quedam lutea, significat quod in illo regno debebant esse civiles discordie; sive postea evenerunt, non solum civiles, sed etiam plus quam civiles. De quibus Lucanus:
Bella per Emathios plus quam civilia campos,
Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra.

Et infra:

Quis furor, o cives, que tanta licentia ferri?

Gentibus invisis Latium prebere cruorem.

Et hoc est quod significat illa mixtura pedum, que nunquam coniungi potest. Nam sicut testa non potest ferro coniungi, ita Romani tempore plus quam civilis belli coniungi vel uniri nullatenus potuerunt. Unde Lucanus in primo:
Dividitur ferro regnum, populique potentis,
Que mare, que terras, que totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos, – Cesarem scilicet et Pompeium.

Hoc ultimum regnum sive ultimam etatem pagani attribuunt Romanis quemadmodum et christiani. De qua etate Ovidius, ut supra:

Iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum

Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,

Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Vivitur ex raptu; non hospes ab hospite tutus,

Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.

Inminet exitio vir coniugis, illa mariti;

Lurida terribiles miscent aconita noverce;

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Victa iacet pietas, et virgo cede madentes

Ultima celestum terras Astrea reliquit.

Et Seneca, in IIII libro Tragediarum:

A fratre frater dextera nati parens

Cecidit, maritus coniugis ferro iacet,

Peritumque fetus impie matres suos.

Et sic patet quod sicut ferrum est vilius auro, sic ista ultima etas prima vilior est etate. Unde poeta: Ab auro venistis ad ferrum.
che tien volte le spalle inver Da[m]miata

Da[m]miata est quedam civitas in partibus orientis, a qua statua superius designata faciem avertit, et Romam tanquam suum speculum intuetur. Circa quod tria utiliter sunt videnda: Et primum est quare ista statua, que mundi dominia prefigurat, versus Damiatam dorsum, sed versus Romam faciem tenere dicatur. Secundum est quare potius ipsam statuam ponit in Creta quam in aliqua alia parte mundi. Tertium est quare de ista statua dicit exire flumina infernalia. Quantum ad primum taliter respondetur: Manifestum est enim, tam per Divinam Paginam quam etiam per poetas, prima tria regna, scilicet aurea, argentea et erea, in partibus ultramarinis dominia habuisse, sed regnum ferreum suum imperium in Ytalia possedisse. Cum itaque illa tria imperia, scilicet Babiloniorum, Persarum, et Grecorum, totaliter defecerint et regnum ferreum semper vigeat, quia imperium nunquam vacat, ut iura dicunt, merito avertit facie[m] a Dammiata, et Romam tanquam suum speculum contemplatur. Circa secundum vero, quare scilicet istam statuam potius ponit in Creta quam in aliqua alia parte mundi, est sciendum quod in Creta regnaverunt Saturnus, Iupiter, et Mars, et successive successores eorum; quibus temporibus, secundum poetas et ystorias, tres prime cucurrerunt etates, ut in superiori glosa manifestissime est expressum. Circa tertium autem et ultimum, quare scilicet de ista statua aquas producit Inferni, est sciendum quod pene infernales ex peccatis oriuntur, quia si peccata non fuissent neque ab angelo neque ab homine perpetrata, Deus prescius futurorum infernalem carcerem non fecisset. Cum itaque tres etates ultime diversis peccatis esse corrupte manifestissime convincantur, merito ab ista statua ponit aquas descendere infernales. Unde ait in textu:

vv. 112-117

Ciascuna parte fuor che l'oro è rotta
d'una fessura che lagrime goccia,
le quali accolte foran questa grotta.
Lor corso in questa valle si diroccia;

Hoc dicit quia homines qui in peccatis commissis moriuntur, ad inferna ad similitudinem aque labuntur. Et ideo pene que sunt in Inferno ab antiquis poetis similiter et ab isto sub methaphora et similitudine quatuor fluminum designantur.

Nam prima pena quam homo ex peccatis commissis in Inferno incurrit est amittere omne bonum, idest Deum qui est omne bonum. Unde ait ipse Deus ad Moysen: «Ego ostendam tibi omne bonum». Et quia peccator dum ad Infernum descendit omne bonum amittit, ideo prima aqua que est in Inferno dicitur Acheron, qui interpretatur <sine gaudio>. Secunda pena que est in Inferno dicitur esse tristitia, quam homo incurrit ex amissione omnis boni. Nam ex quo peccator omne bonum perdit, statim tristitiam eternam incurrit. Ideo secunda aqua dicitur Stix, que interpretatur <tristitia>. Tertia pena que est in Inferno est ignis inextinguibilis, de quo ait Dominus in Evangelio: Ite, maledicti, in ignem eternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Ideo tertia aqua Inferni dicitur Flegeton, qui interpretatur <ardens>. Quarta vero pena Inferni est gelu importabile; et de hiis duabus penis ait beatus Iob, XIIII capitulo: Ab aquis nivium transibunt ad calorem nimium. Ideo quarta aqua dicitur Cocitus, qui interpretatur <luctus>; nam ex maximo frigore anime damnatorum dentibus strident et oculis lacrimant. Unde Dominus in Evangelio: Ibi erit fletus et stridor dentium. Ex fumo enim qui ab igne procedit oritur fletus oculorum; ex gelu vero quod procedit a glacie, oritur stridor dentium. Et autor ait infra, cantu 32: *Vidi l'ombre fitte ne la ghiaccia, / mettendo i denti in nota di cicogna. / Ognuna in giù tenea volta la faccia; / da bocca 'l freddo, et da li occhi 'l cor tristo*, etc.

Sed non te moveat, o Lucane, quod poete quatuor solummodo penas ponunt, cum in Inferno sint pene innumerabiles et infinite, ut patet per istum autorem in designatione penarum, et etiam

per illum mortuum quem beatus Iohannes cura a mortuis suscitavit, qui octo penas Inferni retulit per hos versus:
Vermes et tenebre, flagellum frigus et ignis
Demonis aspectus scelerum confusio luctus,
quia in his poete quatuor penis predictis intellexerunt omnes alias comprehendi. Prima autem aqua, que dicitur Acheron, habetur supra cantu tertio; secunda aqua, que dicitur Stix, habetur supra cantu VII, VIII, et IX; tertia aqua, que dicitur Flegeton, habetur hic cantu XIIII et sequentibus; quarta vero aqua, que dicitur Cocytus, habetur infra, cantu XXXI et sequentibus.

vv. 130-132

Maestro, ove si trova / Flegeton et Lethe. Audiens Dantes designare Virgilium quatuor fluvios infernales, et eius designationem non plene intelligens, ait ad eum: «Magister, ubi invenitur Flegeton, quem inter alios nominasti, et Lethe, de qua taces?» Cui Virgilius: «In omnibus», inquit, «tuis questionibus michi places: sed ebullitio aque rubee bene debebat istam tuam solvere questionem». Quasi dicat: Nonne superius Acherontem et Stygem vidisti? et quod visurus es Cocytum audivisti? Quare ergo ista aqua rubea, quam ante oculos habes, non intelligis Flegetontem? maxime cum tibi dixerim quod de lacrimis que de statua cadunt non fiant nisi quatuor flumina, sive aque? Lethe autem videbis, sed non in Inferno, sed extra – supple in Purgatorio – in quo fluvio anime a peccatis per penitentiam in unde lavantur, sicut dicetur infra in secunda cantica, cantu [28]. His autem omnibus demonstrationibus et rationibus assignatis a luco recedunt et super unum duorum aggerum Flegetontis iter arripiunt versus yma, ut sequens cantus clarius demonstrabit. Sed quia in isto cantu actum est de peccato blasphemie in Deum, idcirco de ipso peccato aliqua videamus. Istud enim peccatum est gravissimum inter omnia scelera et peccata, et hoc potest patere triplici ratione. Et primo propter excellentiam dignitatis offense; secundo propter excedentiam feritatis canine; et tertio propter sententiam punitionis statute. Dico quod istud peccatum est gravissimum inter omnia alia peccata, primo propter excellentiam dignitatis offense, quia quanto persona que offenditur maioris dignitatis existit, tanto eius offensa maior et gravior iudicatur. Offensa enim que infertur uni militi vel baroni maior est quam illa que infertur uni laboratori. Unde videmus, secundum iura, quod si unus det alapam uni regi et alius det etiam alapam uni plebeio, quod licet una et eadem sit offensa ex parte actus, non tamen una et eadem ex parte recipientium iudicatur. Ideo maiorem penam primus recipiet quam secundus. Isto itaque modo peccatum quod in Deum committitur, sicut est blasphemia, est peccatum maximum indicandum. Unde in Exodo XXIII dicitur: Principem populi tui non maledices. Preterea, cum peccatum dicatur mortale eo quod tollit vitam spiritualem, et vita habeatur per caritatem et amorem, illud peccatum quod destruit maiorem amorem maius et gravius iudicatur. Sed talis ordo servandus est in amore, quod primo et super omnia debet homo diligere Deum; secundo se ispum; tertio proximum. Et ideo gravius peccat qui occidit se ipsum quam qui occidit proximum, inquantum contra maiorem amorem facit. Simili modo, iniuria illata in Deum est maxima iudicanda. Preterea, iniuria que fit alicui famose persone videtur esse gravior ex hoc quod in turbationem et scandalum multorum redundare videtur. Sed Deus est persona valde famosa, quia Deus et Dominus noster est; et ideo iniuria in ipsum commissa gravissima est censenda. Preterea, peccatum quod committitur in personam coniunctam iudicatur gravius illo quod committitur in personam solutam, vel minus coniunctam; sicut gravius est peccare cum matre vel filia, quam cum sorore, vel extranea. Sed Deus est nobis magis coniunctus quam sint alii quicumque parentes, quod sic patet: Nam pater, mater, fratres et sorores sunt nobis coniuncti secundum carnem; Deus vero secundum animam, quia ipse creavit eam ad suam ymaginem et similitudinem, et nichilominus dedit etiam nobis corpus. Unde magis est nobis coniunctus quam sint alii nostri parentes. Et ideo, cum Deus a nobis offenditur, sicut offenditur a blasphemo, grande peccatum committitur. Et idcirco Constantinus imperator, considerans divinam maiestatem et quam sit detestabile illam blasphemare, in sua conversione sanctissima lege sancivit, quod quicunque Christum blasphemaret, capite puniretur. Qualiter autem ista lex a christianis hodie observetur, manifeste videmus. Nam citius puniretur qui blasphemaret simplici verbo unum canem tyrannum, quam qui Christum Deum opprobriosis iniuriis laniaret. Item in aliis peccatis offendit homo Deum in servis suis vel in rebus eorum; sed in blasphemia, immediate offenditur Deus. Sicut raptor offendit Deum in rebus servi sui, ita omicida offendit ipsum in servo suo. Sed blasphemus offendit Deum in rebus servi sui. Homicida offendit ipsum in servo suo; sed blasphemus offendit Deum.

Secundo patet gravitas huius peccati propter excedentiam feritatis canine. Excedit enim istud peccatum canis rabidam feritatem, quia canis nunquam latrat contra dominum suum; et si contra alios latrat, domino suo tamen applaudit, ipsum sequitur et defendit. Legitur de quodam cane quod, cum dominum suum quidam occulte malivolus occidisset, et tota convicinia ad videndum mortuum confluxisset, ille homicida, ne suspectus de homicidio haberetur, illuc ivit. Canis autem, qui iuxta corpus astabat, viso homicida mox irruit in eum, et dentibus, unguibus, et latratu ipsum adeo laceravit, mortem sui domini vindicando, quod ille fuit ad tantam fidem canis tentus et capite detruncatus. Istud exemplum valde vituperat christianos et illos qui Deum blasphemant et illos qui audiunt blasphemare, qui licet non blasphement, tamen audiunt et iniuriam Dei sui non vindicant; quod de Macumet facit contrarium Sarracenus.

Tertio potest considerari gravitas huius peccati propter sententiam punitionis statute. Legitur enim in libro Levitici XXIIII quod egressus est filius mulieris Israel quem pepererat de viro egyptio, et iurgatus est cum viro israelita. Cumque nomen Domini blasphemasset, adductus est ad Moysen, quem Moyses misit in carcerem donec nosceret quid iuberet Dominus. Qui locutus est ad Moysen dicens: Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt manus suas super caput eius, et lapidet eum populus universus. Et hoc post modum confirmavit pro lege dicens: Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi. Ad gravitatem etiam huius peccati facit quod refert beatus Gregorius in libro Dyalogorum. Dicit enim quod quidam fuit Rome, qui quendam puerum V annorum suum filium tenerrime diligebat; qui puer consuetus erat nomen Domini blasphemare quotiens aliquid contra suum animum accidebat. Accidit autem quadam die quod pater ipsum tenebat in brachiis, puerque clamavit: «Mali homines ad me veniunt qui me tollere volunt». Et cum hoc dixisset, nomen Domini blasphemavit, et statim puer subito expiravit. Si igitur Deus sic fecit puero V annorum, qualiter timere debent adulti lusores? Mirum est quod ipsos terra non deglutit, vel fulmina non discindunt. Sed misericordia Dei magna non currit velociter ad vindictam. Sed hoc magis est timendum quia, quanto magis misericorditer sustinet, tanto magis terribiliter punit. Audi quid dicit Maximus Valerius, qui fuit paganus, de longanimitate Dei, libro primo, capitulo de neglecta religione: Lento quidem gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate pensat. Audisti sententiam, audi miraculum. Quidam lusor fuit in Sardinia qui in ludo solitus erat nomen Domini blasphemare. Hic cum esset sagyttarius, portabat arcum et sagittas, et cum una die ludendo omnes denarios perdidisset, sagittam in arcu ponens et versus celum se erigens, illam contra Deum verbis contumelie sagittavit. Sagitta vero emissa illa die non rediit, sed alia die cunctis videntibus super alearium rediit cruentata.

In isto XIIII cantu continentur V comparationes et quatuor notabilia.

[Comparationes]

vv. 13-15

PRIMA COMPARATIO.

Lo spazzo er'una rena arida et spessa,
non d'altra fogia facta che colei
che fu da' piè di Caton già soppressa.

vv. 28-30

SECUNDA COMPARATIO.

Sopra tutto 'l sabion, d'un cader lento,
piovean di fuoco dilatate falde,
come di neve in alpe senza vento.

vv. 31-33

TERTIA COMPARATIO.

Quali Alexandro in quelle parti calde
d'India vide sovra 'l suo stuolo
fiamme cader infin a terra salde,

vv. 37-39

QUARTA COMPARATIO.

tale scendea l'eternal ardore;
onde la rena s'accendea, com'esca
sotto focile, a doppiar lo dolore.

vv. 79-81

QUINTA COMPARATIO.

Quale del Bulicame esce ruscello
che parton poi tra lor le peccatrici,
tal per la rena giù sen giva quello.

Omnes iste comparationes sunt valde plane, et nichilominus sunt superius explanate.

[Notabilia]

vv. 1-3

PRIMUM NOTABILE.

Poi che la carità del natio loco. In hoc notabili edocemur quod locus ubi homo nascitur est causa amoris, et ideo diligendus. Ideo Seneca, 9 libro Tragediarum, loquens ad Neronem ait: Suos cives Roma commendat tibi.

vv. 16-18

SECUNDUM NOTABILE.

O vendetta, quanto tu dei
esser temuta da ciascun che legge
ciò che fu manifesto a li ochi miei!

Istud notabile nos admonet quod quando legimus vel audimus quomodo vel qualiter se vindicat ira Dei, quod timere debemus, et hoc quia timor habet removere hominem a peccatis. Unde Salomon: Per timorem Domini declinat omnis homo a malo.

Et ideo in alio loco: Quis non timebit te, o rex gentium.

vv. 42-51

TERTIUM NOTABILE.

Qual i' fu' vivo, tal son morto.

Moraliter, qualiter homo vivit, taliter moritur. Ideo beatus Augustinus: Qui bene vixerit, vix male moritur; et qui male vixerit, vix bene moritur.

vv. 64-66

QUARTUM NOTABILE.

Nullo martirio, fuor che la tua rabia,
sarebb'al tu' furor dolor compiuto.

In hoc notabili demonstratur quod non solum pena que pro peccatis infertur affligit hominem, sed etiam ipsa nequitia, que retinet hominem in peccatis. Unde, quarto De Consolatione, ait Boetius: Sicut probis probitas ipsa fit premium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est.

Et sic patet XIIII cantus prime cantice.

XV

INCIPIT XV CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XV cantu adhuc prosequitur autor de tertio girone, de quo in precedenti tractare incepit. Tractat autem in isto cantu de peccato sodomie, sed quia isto peccato clerici et layci maculantur, ideo in isto cantu tractat de clericis et literatis. In sequenti vero cantu tractat de laycis, et incipit secunda pars istius gironis in principio istius cantus, ibi: «Ora cen porta l'un de' duri margini»; et finit in XVII, ibi:
Poco più oltre vegio in su la rena
gente sedere,
etc.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-124

Postquam in precedenti cantu Virgilius statuam quadriformem et quatuor aquas Inferni Danti poetice designasset, dixit ad eum quod admodo erat tempus ab illo nemore recedendi, et per arenam ad alia contemplanda iter arripiendi. Ideo dixit ei ut habetur in textu:
fa che dietr'a me tu vegnie:
li margini fan via, che non son arsi,
et sopra lor ogni vapor si spegne.

Nunc autem in isto cantu iter arripiunt per arenam dicens: «Ora cen porta l'un de' duri margini»; ac si diceret, modo super unum duorum marginum sive aggerum cepimus ambulare, et fumus qui ex aqua consurgit aquam et argines ab igne defendit, quia sua humiditate illos calidos vapores extinguit. Qualiter autem illi aggeres sint effecti, exemplificando designat dicens quod quales fiunt in Flandria contra fiottum et in comitatu Padue contra Brentam, tales sunt illi aggeres infernales; licet non sint nec ita alti nec ita grossi. Dum autem sic super illum aggerem ambularent, dicit autor quod iam tantum erant a silva remoti quod si retro se volvisset ubi tunc esset, nullatenus cognovisset quando obviaverunt uni cuneo animarum que iuxta arginem veniebant; et quelibet ipsarum in ipsos attentis et acutis oculis intendebat, sicut solet de sero unus alium respicere luna prima. Et dum sic ab omnibus ipse autor inspiceretur, per oram vestimenti fuit captus ab uno qui clamavit dicens: «Quid mirum est istud ?» Tunc autor fixit ita oculos in faciem illius hominis sic cremati quod facies adusta non se defendit quin fuerit cognitus ab autore. Unde autor, manus versus illius faciem inclinando, respondit: «Estis vos hic, Ser Brunettus?» Et ille: «O fili mi, non tibi displiceat si Brunettus Latinus modicum revertitur retro tecum». Cui Dantes: «Quantum possum vos precor, et si vultis quod hic sedeam vobiscum, faciam, si est isti placitum cum quo vado». «O fili mi», inquit ille; «quicunque de isto grege uno puncto se firmat, iacet postea centum annis sine flabellare se ipsum quin ignea pluvia ipsum ferit. Idcirco procede et ego veniam tibi ad pannos, et postea reiungam meam masnadam, que vadit plorando suos eternos dannos». Dantes autem de strata causa ignis descendere non audebat; volebat enim, ut ipsum sua curialitas perurgebat, ire pariter iuxta eum; sed quia super arenam ignis pluebat, ideo non descendabat, sed capite inclinato cum omni reverentia cum ipso pergebat. Cum vero ambo sic irent, incepit dicere Ser Brunettus: «Qual fortuna ante ultimum diem huic inferius te deducit? et quis est iste qui tibi iter ostendit?» Et Dantes ad eum: «Superius in vita serena deviavi in quadam valle antequam etas mea totaliter esset plena. Heri nanque in mane solummodo spatulas sibi volvi. Iste apparuit michi in illo tunc et reducit me domum per istum callem». Et ille: «Si tu sequeris tuam stellam, idest gratiam que tibi ab alto descendit et que te irradiat sicut stella, non potes fallere quin tu ad portum devenias gloriosum, si ego bene perpendi in pulcra vita in qua – supple iam fui tecum –. Et si ego non fuissem ita mortuus tempestive, videndo celum tam tibi benignum, te in hoc opere confortassem. Sed ille ingratus populus et malignus qui descendit de Fesulis ab antiquo, et qui adhuc mores retinet montuosos, efficietur tibi pro tuis bonis operibus inimicus. Et est istud congruum rationi, quia inter sorbos ficus dulcedo esse non decet. Vetus enim fama in mundo vocitat eos orbos. Quasi dicat: Non mireris si te pro bono opere persequentur, quia sunt, iuxta veterem famam, orbi. Et sicut oculis egris odiosa est lux, que puris est amabilis, ita tu lucidus odio eris eis. Unde autem ista cecitas sit in ipsis ostendit dicens: «Ipsi enim sunt avari, invidi, et superbi. Ista enim tria vitia habent hominem excecare. Et ideo ab eorum moribus te absterge. Et licet fortuna tibi taliter adversetur, tamen tantum honorem ipsa tibi reservat, quod utraque pars habebit famem de te, ut te scilicet videant in suis iniquitatibus involutum; sed a rostro a longe fiet herba. Faciant autem de se ipsis stramen bestie phesulane et non tangant plantam, si aliqua in eorum stercoribus adhuc surgit; in qua quidem planta Romanorum sancta semina reviviscant, illorum dico Romanorum qui ibi remanserunt quando fuit tante malitie factus nidus». Postquam vero Ser Brunettus finem posuit dictis suis, Dantes sibi ad universa respondit. Et primo captat suam benivolentiam, dicens: Si meum petere totaliter esset plenum, vos non essetis de humana natura per mortem adhuc totaliter exbannitus. Quasi dicat: Si vos essetis vivus, ego vos extraherem de isto vitio impudico, propter quod vos video sic combustum. Unde habeo mentem dolore confictam, et modo reducitur michi ad cor cara et bona ymago vestra paterna, quando ad horam ad horam me instruebatis quomodo homo – supple virtuose vivendo – per felicem memoriam eternatur; et quantum ego habeam istud gratum, convenit ut quousque vixero in mea lingua cernatur. Quicquid vero de meo cursu narratis scribo, idest in mente repono, et reservo ad

glosandum cum alio textu uni domine – supple scilicet Beatrici – que glosare sciet, si ad eam potero applicare. Tantum vero volo quod vobis sit manifestum, dum modo mea conscientia non michi garriat, quod fortune ictibus presto sum. Non enim est nova meis auribus talis arra; idcirco volvat fortuna, sicut est sibi beniplacitum, suam rotam, et etiam rusticus suam marram. Quasi dicat: Non curo quid cogitent vel faciant contra me homines vel fortuna. Tunc Virgilius, audito hoc verbo tam libero tanque multipliciter virtuoso, respexit Dantem et ait: «Bene auscultat qui illud verbum notat». Ac si dicat: Ego qui bene audivi, optime annotavi. Nec propter hoc minus autor cum Ser Brunetto raciocinando procedit et interrogat qui sunt sui socii magis noti et magis summi. Et ille ad eum: «Scire de aliquibus erit bonum; de aliis vero laudabile est tacere, quia tempus esset curtum tanto sono. In summa autem scias quod omnes fuerunt clerici et licterati magni, et in mundo eodem peccato magna infamia maculati. Priscianus enim cum illa turba graditur lacrimosa, et Franciscus de Accursio, ac etiam ille episcopus florentinus qui a servo servorum Dei, idest romano pontifice, fuit translatus de Arno in Battillionem, idest de episcopio florentino in epyscopium Vicentinum, ubi dimisit – supple per mortem – male protensos nervos». Et his dictis adiunxit: «De pluribus aliis dicerem, sed non possum, quia video ante me de sabulo surgere novum fumum, qui fumus surgit ex adustionibus animarum, que ab igneis vaporibus sic cremantur. Gens enim venit cum qua esse non debeo. Sit tibi meus Thesaurus, rogito, commendatus, in quo per famam et memoriam adhuc vivo». Et nil aliud petens ab eo discessit, et versus suos, more illorum qui Verone in stadio currunt, velocissimo cursu cucurrit. Unde dicit in textu:
Poi si rivolse, et parve di coloro
che corron a Veron'al drappo verde
per la campagna; et parve di costoro
quelli che vince, non colui che perde.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Hora cen porta l'un de' duri margini;

Hic incipit secunda pars tertii gironis, in qua tractat autor de abominabili scelere sodomorum. Sed quia istud peccatum totum quasi genus humanum corrumpit, quia tam clericos quam laycos, primo tractat de clericis et licteratis, sicut patet in isto cantu; secundo tractat de laycis, sicut patebit clarius in sequenti.

vv. 4-6

Qual i Fiamminghi tra Guizante et Brugia,

Designat hic autor formam aggerum qui sunt iuxta fluvium Flegetontis, per quos in gironem tertium pertransivit. Et dicit quod illi aggeres sunt ita facti sicut illi quos faciunt Flamminghi iuxta litora maris, inter illas duas scilicet civitates superius nominatas. Nam in partibus illis mare occeanum semper fluit et refluit, et talis fluxus vocatur ab habitatoribus terre <fiotto>. Unde ait autor in textu:
temendo 'l fiotto che 'nver lor s'aventa,

Faciunt autem istos aggeres ne fluxus maris veniens loca culta devastet. Ponit etiam aliam similitudinem dicens quod ita erant facti illi aggeres sicut sunt illi quos faciunt Paduani iuxta fluvium Brente, qui descendit de Alpibus Carinthie. Cum enim Alpes Alamanie sint per totam hyemem nivibus cooperte, cum venit extivum tempus, quando sol dictas nives resolvit in aquas, tunc dictus fluvius Brente redundat intantum, quod nisi essent aggeres preparati, omnes villas et castra Padue dissiparet. Ideo ait autor in textu:

vv. 7-9

et qual i Padovan lungo la Brenta,
per difender lor ville et lor castelli,
anzi che Chiarentana il caldo senta:

Carinthia est quidam magnus et nobilis ducatus in Alamania, iuxta Ytaliam situs.

vv. 16-18

quando incontramo d'anime una schiera

che venia lungo l'argine,
etc. Ista acies continet clericos et licteratos qui in hoc mundo sodomie vitio laborarunt; in qua quidem acie invenit autor quendam suum magistrum florentinum, qui vocatus fuit Ser Brunectus Latinus. Fuit autem iste Brunettus maximus licteratus, sed tamen isto vitio maculatus.

vv. 61-63

Ma quello 'ngrato popolo et maligno
che discese di Fiesole ab antico,

Iste populus, quem appellat ingratum et malignum ipse Ser Brunettus, est re vera populus florentinus, qui descendit de Fesulis ab antiquo, quando scilicet civitas fesulana fuit per Romanos bello consumpta. Ad cuius evidentiam est sciendum quod civitas florentina facta fuit ex duabus gentibus, Phesulanis scilicet et Romanis. Nam postquam destructa fuit civitas phesulana, Romani civitatem Florentie construxerunt ex Fesulanis scilicet et quibusdam nobilibus Romanorum; et sic civitas florentina facta est ex duabus gentibus multum extremis, videlicet ex Phesulanis qui fuerunt homines valde duri, ingrati, malivoli, et maligni. Nam sicut legitur in ystoria beati Romuli, primi phesulani episcopi, quem beatus Petrus Apostolus misit de Roma ad predicandum Phesulas verbum Dei, ipsi Phesulani erant homines malignissimi et crudeles. Unde populus florentinus, qui descendit de illis montibus ab antiquo, adhuc tenet mores et vestigia fesulana. Unde ait Ser Brunettus in textu: *et tien'ancor del monte et del macigno*; et Romanis, qui fuerunt homines amabiles, morigerati, et virtutum omnium generibus adornati. Et sequitur: *ti si farà, per tu' ben far, nimico*.

Hic Ser Brunettus vaticinatur autori, quod propter sua bona opera inimicabitur sibi populus florentinus, et assignat causam que est congrua rationi dicens:

vv. 64-66

et è ragion, chè tra li lazzi sorbi
si disconvien fructare al dolce fico.

Figurative in hoc passu loquitur Ser Brunettus; nam per <sorbum>, quod, ut patet, duri et asperi est saporis, debemus intelligere mores protinus bestiales atque silvestres; per <ficum> vero, que est saporis dulcissimi, intelligere debemus virtuosos mores atque civiles. Inconveniens est igitur inter sorbos asperos dulcissimam esse ficum. Vult itaque dicere Ser Brunettus: Inter vitiosos, duros et asperos virtuose vivere non valebis. Ideoque te oportet, iuxta mandatum Exechielis prophete, exire de medio Babilonis.

vv. 70-72

La tua fortuna tant'onor ti serba
che l'una parte et l'altra avranno fame
di te,
etc.

Vult hic dicere ser Brunettus autori quod utraque pars, scilicet illa que descendit de Fesulis et illa que venit de Roma, que iam degeneraverat a Romanis, ex quibus duabus partibus est constructa civitas florentina, ut superius est expressum, habebunt famem de te, idest optabunt te videre in suis moribus et sceleribus involutum. Sed ab eorum ore a longe fiet herba, quia in eorum nequitiis nullatenus involveris. In nullo enim Dantes florentinorum vitia est secutus, licet esset et Florentina natus. Et hoc semper in suis licteris ostendebat dicens, Dantes Florentinus natione, non moribus.

vv. 73-75

Faccian le bestie fiesolane strame
di lor medesme, et non tocchir la pianta,
etc.

Iste bestie phesulane sunt populares florentini, planta vero Romanorum sunt quedam antiquissime domus, de quarum numero est domus istius autoris, que fuit in edificatione primaria civitatis.

vv. 106-108

In somma sappi che tutti fur cherci. Omnes isti qui sunt in ista acie ubi est Ser Brunettus Latinus clerici dicuntur, quia omnes fuerunt in mundo multum licterati. Nam Gallici omnes licteratos <clericos> vocant. Et facit hic mentionem spetialiter de tribus, quorum primus est Priscianus. Fuit autem Priscianus quidam sacerdos qui de greco totam gramaticam transtulit in latinum. Secundus est dominus Franciscus de Accurso de Bononia, qui fuit in legibus summus doctor. Tertius est quidam episcopus florentinus qui vocabatur Andreas de Mozzis, qui a domino Papa fuit translatus de episcopatu Florentie in episcopatum Vicentie. Ideo ait autor in textu:

vv. 112-114

Fu trasmutato d'Arno in Battilione, idest de Florentia in Vicentiam. Nam Arnus transit per Florentiam, et Batillione per Vicentiam. Isti omnes in hac vita sodomitico fuerunt vitio maculati.

vv. 118-120

Siati raccomandato 'l mio Tesoro. Iste Thesaurus, quem Ser Brunettus recommendat autori, est quidam liber philosophicus, quem prosayce composuit Ser Brunettus. Fecit etiam alium rictimice, qui dicitur *Tesoretto*, idest <parvus thesaurus>.

vv. 121-124

Che corron a Verona al drappo verde. Verone curritur ad bravium viride omni prima dominica quadragesime. Et ad ostendendum quomodo ipse Ser Brunettus contentus a Dante recessit, dicit autor quod ita cucurrit versos suos, sicut currunt illi qui habere bravium concupiscunt. Qualiter vero fuit receptus a suis, dicit quod ita fuit receptus sicut ille qui bravium apprehendit. Unde ait in textu: *et parve di costoro, / quelli che vince, non colui che perde*.

In isto XV cantu V comparationes, V notabilia, et unum vaticinium continentur.

[Comparationes]

vv. 4-6

PRIMA COMPARATIO.

Quale i Fiamminghi tra Guizzante et Brugia,

temendo 'l fiotto che ver lor s'aventa,

fanno lo schermo pur che 'l mar si fuggia;

vv. 7-9

SECUNDA COMPARATIO.

et qual i Padovan lungo la Brenta
per difender lor ville et lor castelli,
anzi che Chiarentana 'l caldo senta:

vv. 17-19

TERTIA COMPARATIO.

ciascuna
ci riguardava come suol da sera
guardar uno altro sotto nuova luna.

vv. 20-21

QUARTA COMPARATIO.

et sì ver noi aguzzavan le cillia
come 'l vecchio sartor fa ne la cruna.

vv. 121-123

QUINTA COMPARATIO.

Po' si rivolse, et parve di coloro
che corron a Verona il drappoverde

Omnes iste comparationes sunt plane et intelligibiles, et ideo expositione non indigent.

[Notabilia]

vv. 34-36

PRIMUM NOTABILE.

et se volete che con voi m'asseggia,
faròl, se piace a costui che vo sego.

In hoc notabili quilibet admonetur quod, quando cum aliqua notabili persona vel est vel incedit, licet aliam notabilem personam inveniat quod isti sodomiti aliquam curialitatem non faciat que reverentiam prime vel maiestatem aliqualiter dehonestet.

vv. 64-66

SECUNDUM NOTABILE.

Tra li lazzi sorbi / si disconvien fruttare al dolce fico. Licet homo teneatur semper operari quod bonum est, tamen si in vanum laborat, ut puta quia auditores non recipiunt illud opus, sed potius illi operi contradicunt, non est cessandum a bono opere, sed est alibi operandum. Non enim mutandus est animus, immo locus. Ideo figurative loquitur Ser Brunettus ad Dantem dicens: Inconveniens est reperiri ficus dulcedinem inter sorba.

vv. 91-93

TERTIUM NOTABILE.

Tanto vollio io che vi sia manifesto,
pur che mia coscientia non mi garra,
c'a la fortuna, come vol, son presto.

Proprium est enim hominis virtuosi ictus fortune equo animo fortiter tolerare. Nam, ut ait Philosophus, fortitudo est virtus retundens impetus adversitatis. Exemplum beati Iob, qui ad ipsius fortune ictus nullatenus frangebatur, sed patienti animo respondebat: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum. Ideo ait:
c'a la fortuna, come vol, son presto.

vv. 94-96

QUARTUM NOTABILE.

Non è nova alli orecchi miei tal arra;
però giri fortuna la sua rota
come le piace, e 'l villan la sua marra.

Quia ad prudentiam spectat, secundum Senecam, non solum ordinare presentia et premeditari preterita, sed etiam previdere futura. Hinc est quod homo sapiens atque constans, dum contra se aliquit vaticinari presentit, nullatenus conmovetur; et hoc quia fundata est in fortitudine mens ipsius, ut ait Ovidius: «Ut piscibus equor».

vv. 118-120

QUINTUM NOTABILE.

Siati raccomandato 'l mi' tesoro
nel qual i' vivo ancora,
Quia vita ipsa qua fruimus brevis est, ideo secundum Salustium fama et laudibus longam facere nos oportet. Et hoc est vivere non in otio, sed in aliquo opere memorando: sicut iste Ser Brunettus, qui licet sit mortuus, tamen propter librum quendam quem fecit, famosa laude vivere comprobatur.

VATICINIUM.

Vaticinium vero est superius exaratum.

XVI

INCIPIT XVI CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XVI cantu autor tractat de laycis qui sodomie sunt vitio maculati.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-78

Postquam Ser Brunettus Latinus a Dante recessit, ipse Dantes iter suum prosequens dicit se in illa parte istius gironis tertii devenisse unde auditur sonus aque, scilicet Flegetontis, in octavum circulum descendentis. Et dicit autor quod sonus illius aque est similis sonitui quem faciunt apes in alveariis laborantes. Ideo sic incipit iste cantus:
Già era in loco onde s'udia il rimbombo
de l'aqua che cadea nell'altro giro,
simil a quel che l'arnie fanno rombo,
Et in isto tali loco viderunt a longe quandam aciem animarum que sub asperi martirii pluvia pertransibant; de qua quidem acie tres anime excuntes versus eos velocissime cucurrerunt. Et quelibet earum clamando dicebat: «Siste tu gradum, qui ad habitum videris esse aliquis de nostra terra prava» – supple scilicet oriundus –. Ad quorum clamores prestitit doctor Dantis et ad eum faciem vertens ait: «Expecta, nam istis tibi esse convenit curialis; et nisi esset ignis quem loci natura sagittat, ego dicerem quod citius tibi quam ipsis ista velocitas conveniret». Illi vero, statim quod applicuerunt ad istos, duo fecerunt: primum est quod, quia licitum non est eis capere pausam aliquam vel quietem, ex se ipsis tribus pre consuetis doloribus eiulando fecerunt in circuitu unam rotam, qualem pugiles nudi et uncti antiquitus faciebant. Secundum est quod quilibet rotando, ut predicitur, tenebat faciem versus Dantem; unde oportebat eos facere iter continuum collo contrarium. Et unus illorum cepit dicere ad autorem: «Et si istius loci miseria reddit in despectum nos et nostra precamina, fama tamen nostra animum tuum inclinet ad dicendum nobis quis tu es, qui vivos pedes ita securus per infernum fricas». Et ut magis eum moveat ad petita, de suis sociis atque se notitiam prebet ei dicens: «Ista enim vestigia istius, scilicet, qui ante me vadit, que quidem pedibus tritare me vides, quamvis nudus et depilatus incedat, fuerunt maioris excellentie quam tu credas. Nepos enim fuit bone Gualdrade; Guido Guerra fuit nominatus in vita; fecit multa cum prudentia atque spata. Alius autem qui post me tritat arenam, Aldobrandi Teghiaius existit, cuius vox, idest fama, deberet in mundo superius esse cara. Et ego, qui cum eis positus sum in cruce, fui Iacobus Rusticuccii; et certe uxor quam habui mala plus quam aliquid aliud michi nocet». Audiens vero Dantes et videns tales famosos homines in Inferno, tanta fuit pietate simul et dolore commotus,

quod nisi esset ignis qui super illos pluebat, se proiecisset inferius inter eos, ut ipsis et debitam reverentiam exhiberet, et necessaria obsequia cumularet. Sed timor ignis vicit suam bonam et laudabilem voluntatem, que ipsum ad amplexandum ipsos avidum faciebat. Sed quia ea que volebat facere non valebat, ait ad eos: «Non despectum, sed dolorem, vestra conditio interius michi fixit, idest durum vel abominabilem in principio demonstravit. Sed statim quod iste meus dominus michi dixit aliqua verba, ego interius cogitavi quod vos essetis tales homines quales estis. De vestra terra sum, et semper opera vestra et honorata nomina cum affectione ad me traxi ac etiam auscultavi. Linquo fel et pro dulcibus pomis eo michi promissis per verum ducem, sed usque ad centrum michi convenit prius ire». Tunc Iacobus Rusticuccii adiuratorie rogavit autorem: «Si longo tempore», inquit, «conducat anima membra tua, et post te luceat tua fama, curialitas et probitas in nostra, ut solent, civitate morantur? aut inde totaliter se in simul abiere? Et hoc pro tanto dico quia Guilielmus Bursarius, qui dolet nobiscum pro modico, et cum sociis illuc vadit, satis suis relationibus nos conturbat». Dantes autem tunc, facie elevata in altum, ei voce libera sic respondit: «Gens nova ac subita lucra genuerunt in te, o Florentia, audaciam absque mensura». Et tunc illi tres, audita tali responsione, cum tali affectione cum qua veritas contemplatur, unus alium respexerunt. Unde ait autor in textu:
guatar l'un l'altro com'al ver si guata.

vv. 79-136

Et collaudantes istam liberam responsionem, adiungunt: «Si aliis vicibus satisfacere aliis ita modicum tibi constat, o te felicem si ita ad tuam loqueris voluntatem. Et ideo si de istis locis nigerrimis ad revidendum stellas lucidas tu evadis, quando delectaberis dicere ego fui – supple ad videndum opera mortuorum – fac ut de nobis gentibus tu loquaris». Et his dictis, rotam rapidam dissolverunt, et adeo veloci fuga fugerunt, quod eorum crura gracilia alis similia visa sunt. Et ita cito ab eius oculis vanuerunt quod dici non posset veridice unum Amen. Illis autem sic ad sua tormenta reversis, Dantes sequitur suum ducem; et non multum eundo, sonum aque ita e vicino senserunt, quod loquendo vix se ad invicem audivissent. Qualiter autem et quali modo illa aqua ad yma descendat, exemplificando declarat dicens, quod sicut ille fluvius qui proprio itinere de monte Verso descendit, versus orientem a sinistro latere Apennini; qui quidem fluvius antequam descendat in planum Aqua Queta vocatur, postea vero Montonus iuxta Forlivium appellatur, super monasterium Sancti Benedicti de alpibus resonat descendendo, ita ista aqua fluvii Flegetontis de isto VII circulo in octavum cadendo descendit. Designato autem istarum aquarum sonitu et descensu, dicit autor quod cum venisset ad locum descensus aquarum, quod Virgilius sibi mandavit quod unam cordam quam ipse Dantes erat precinctus et cum qua ipsemet Dantes aliquando credidit capere lonzam coloribus maculatam, sibi involutam porrigeret et plicatam. Quam cum sibi ut imperaverat porrexisset, proiecit illam Virgilius in illud baratrum infernale. Autor vero intra se metipsum considerando dicebat: Omnino oportet quod novitas respondeat novo signo quod magister cum oculo sequitur sic attente. Cui magister ait: «Cito erit superius quicquid ego expecto; et quod tuum somniat cogitamen, cito convenit quod tuo visui sit apertum». Et his dictis, dicit autor quod vidit per illum grossum aerem et obscurum unam figuram venire natando, miraculosam omni securo cordi. Et modum natandi exemplificando, declarat dicens quod ita de profundo superius veniebat, sicut aliquando nauta, qui postquam solverit anchoram que ab impedimento aliquo detinetur, ab inferioribus se eripit, et ad superiora velociter se extendit. Unde ait in textu:
sì come torna colu' che va giuso
talor a solver l'àncora c'agroppa
a scollio o altro che nel mare è chiuso,
che 'n sù si stende et da piè si ratrappa.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Già era in loco ove s'udia 'l rimbombo
de l'aqua che cadea ne l'altro giro,
simil a quel che l'arnie fanno rombo,

Dicit hic autor quod illa aqua, que descendit sive cadit de VII circulo in octavum, talem sonum facit qualem faciunt apes in arniis sive in alveariis. Alvearia autem sunt domuncule et habitationes apum, in quibus ipse apes mellificant; que quidem alvearia a Florentinis arnie appellantur. Cum vero apes in ipsis arniis operantur, faciunt quendam sonitum confusum qui proprie susurrium appellatur. Exemplificat igitur autor et dicit quod sonitus illius aque similis est sonitui apum cum ad operandum in arniis congregantur.

vv. 4-6

Quando tre ombre insieme si partiro. Iste tres umbre fuerunt tres maximi nobiles florentini, videlicet Guido Guerra, comes in Tuscia palatinus, dominus Teghiaius Aldobrandi de Adimaribus, et dominus Iacobus Rusticuccii.
correndo d'una schiera che passava

In ista acie sunt layci qui sodomie vitio laborarunt. Et ista est illa gens, de qua dixit Ser Brunettus autori superius: «Gente vien con la qual esser non deggio»; quia per se vadunt clerici, et per se layci.

vv. 10-12

Ha mè, che piaghe vidi ne' lor membri,
Quia misericordia sequitur misericordiam, ideo Dantes, videns istos tam miserabiliter ab igneis vaporibus concrematos, dolore commotus ait: *Hame*, idest *heu me*; nam *a* cum aspiratione, seu sine aspiratione, est nota doloris. Sed hic oritur questio, que talis est: Cum infra, cantu XX dixerit Virgilius ad autorem, quando compassus fuit illis qui facies habent retro:
«Ancor se' tu delli altri sciocchi?
Qui vive la pietà quand'è ben morta;
chi è più scelerato che colui
c'al giudicio divin passion comporta?

Quomodo hic autor non arguitur a magistro? Respondeo: Peccata carnalia ex passionibus oriuntur; peccata vero magica, propter que ibidem taliter anime puniuntur, non ex passionibus sed ex humanis inventionibus et malitiis oriuntur. Et ideo ibi et non hic fuit a Virgilio redargutus.

vv. 19-21

Incominciar, come noi ristemo, ei
l'antico verso;
Ei est interiectio dolentis, sicut *pape* est interiectio admirantis. Vult itaque dicere hic autor quod quando ipse et Virgilius eorum clamoribus prestiterunt, quod illi tres qui de acie exiverunt, reinceperunt antiquum gemitum, idest consuetum dolorem, vel *hei*; quia antiqui ubi nos ponimus hodie *heu*, ipsi ponebant *hei*. Et sic
hei est antiquus gemitus.

vv. 22-24

Qual soleno i campion far nudi et unti,
Antiquitus fiebat a paganis quidam ludus qui dicebatur palestra, in quo ludo homines militares exercebantur ad pugnam. Currebant enim in rota nudi et uncti, ne manibus capi possent. Quem quidem ludum aput montem Olimpum Hercules adinvenit. Exemplificat itaque hic autor, et dicit quod isti tres, qui de ista acie exeuntes ad eum venerunt, fecerunt unam rotam solummodo ex se tribus; et quousque sibi locuti sunt, continue in rota currebant, sicut soliti erant currere pugiles in palestra. Causam vero propter quam sic rotando currebant assignavit autori superius Ser Brunettus, ibi:
qual di questa greggia
s'arresta punto, giace poi cent'anni
sanz'arrostarsi quando 'l foco 'l feggia.

vv. 37-39

nepote fu de la buona Gualdrada;
Guido Guerra ebe nome,
Iste Guido Guerra fuit comes in Tuscia palatinus, cuius familie dicuntur vulgariter Conti Guidi. Fuit autem multe sapientie et valoris. Ideo dicitur in textu:
fece col senno assai et co' la spada.

Quod autem dicitur quod fuit nepos bone Gualdrade, hoc facit ad commendationem ipsius comitisse. Fuit autem ista Gualdrada ava istius comitis Guidonis, que suo tempore fuit inter alias dominas magni nominis atque fame.

vv. 40-42

L'altro, c'apress'a me la rena trita,

è Teghiaio Aldobrandi,

Iste Teghiaius Aldobrandi fuit quidam nobilis miles de Adimaribus de Florentia, homo certe magni nominis atque vocis. Ideo dicitur in textu: «la cui voce / nel mondo sù dovrebe esser gradita». Iste enim est unus ex illis V de quibus autor interrogavit Ciacchum, ut habetur superius in tertio circulo, cantu VI.

vv. 43-45

Ed io, che posto son con loro in croce,
Iacopo Rusticucci fui,

Iste Iacobus fuit etiam quidam nobilis miles de Florentia, qui propter malam uxorem quam habebat, omnes alias habebat odio mulieres: unde ista de causa huic se vitio mancipavit. Ideo ipsemet dicit autori: «la mala mollie più c'altro mi nuoce». Monet autem hic autor tacite mulieres ut viris suis amabiles se exhibeant et devotas, quia multi sunt qui, propter malas uxores quas habent, coguntur isti vitio deservire. Et est iste etiam unus ex illis quinque de quibus autor notitiam desiderabat habere. Ideo interrogavit de ipsis Ciaccum, ut habetur supra in tertio circulo, cantu VI.

Lascio lo fele et vo' per dolci pomi, idest relinquo peccata que per infernum allegorice figurantur, et pro dulcibus pomis vado, que figurantur per purgatorium ac etiam paradisum.

vv. 70-72

Guillielmo Borsieri, il qual si duole
con noi per poco

Iste Guillielmus fuit quidam florentinus optimus ioculator sive hystrio, qui multum fuit isto vitio maculatus. Ideo Iacobus Rusticuccii, loquens de eo, yronice dicit autori: «lo qual si duol con noi per poco», idest pro multo.

Quia de peccato contra naturam hic et in superioribus actum est, ideo de ipsius abominatione aliqua videamus. Istud enim peccatum, quod in utroque sexu invenitur, est abominabile et detestabile principaliter propter duo: Primo propter ipsius fetorem. Dicitur enim Genesis XIX quod sodomite, idest homines de Sodoma, erant homines pessimi, et quod clamor eorum, idest fetor, ascendit coram Domino. Ubi nota quod duo sunt peccata que de terra usque ad celum clamant ad Deum: homicidium scilicet et sodomia; quia laborantes his duobus vitiis sunt Dei et humani generis inimici. Nam homicida occidendo hominem qui est factura Dei, destruit opus eius. Sodomita vero impedit ne Dei factura multiplicetur. Et idcirco ista duo peccata, que divino operi contradicunt, suo fetore abominabili ad Deum clamare dicuntur. De homicidio enim ait Deus ad Caym: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et de sodomitis ait ad Abraam: Clamor sodomorum venit coram me. Preterea, dicunt sancti quod etiam demonibus vitium istud fetet. Erubescunt enim, ut ait beatus Ieronimus in numerorum magnitudine peccatorum; et hoc quia humana adinventio vincit malitiam et immunditiam demonum. Istud enim vitium, secundum Gregorium, non a dyabolo sed ab homine est inventum; et ideo de ipso demones erubescunt. Unde, secundum sententiam magnorum doctorum, quidam demones, memores antique nobilitatis, non tentant hominem de luxuria. Cuius signum est quod Lucifer in deserto de solis tribus vitiis tentavit Christum: de gula, scilicet, avaritia, et superbia; de luxuria vero non. Secundo, est abominabile et detestabile istud vitium ipsius multiplici considerata vindicta. Multipliciter enim istud vitium legimus esse punitum. Et primo per diluvium, quia secundum quod ait Methodius, mulieres in tantam vesaniam erant verse quod supergresse viris abutebantur; homines etiam exarserunt in alterutrum coeuntes. Secundo per subversionem pentapolis, idest V civitatum, ubi nunc est mare mortuum, aqua fetens et sulphurea. Preterea parvuli ibi puniti sunt, etiam unius diei in detestationem huius peccati. Et in hoc misericorditer provisum est eis ne diutius viventes maiori pene obligarentur paternorum scelerorum facti imitatores. Et nota quatuor penas in ista pena qua Deus regnum sodomorum submersit: prima pena fuit sulphur, contra fetorem istius peccati; secunda pena fuit ignis, contra ardorem. De primo Iob XVIII: Aspergatur in tabernaculo eius sulphur. De secundo, Ecclesiastici septimo: Vindicta carnis impii ignis. Tertia pena fuit patrie destructio contra pravum exemplum. Unde beatus Tadeus apostolus in canonica sua: Facti sunt exemplum ignis eterni. Quarta pena fuit et est sterilitas terre, que cum prius esset valde fertilis, postea facta est multum sterilis, quia in mare salsum conversa. Poma etiam que nascuntur in arboribus circumpositis, antequam sint matura, sunt coloris viridis; maturata vero si aperias, favillas intus invenies. Et ista pena sterilitatis inflicta fuit contra ubertatem terre qua abusi sunt sodomite. Exechielis XVI: Hec fuit iniquitas sodome: saturitas panis et otium. Nam nimia abundantia rerum temporalium qua utebantur, et otium in quo vivebant, ipsos ad tam ignominiosum deduxerunt peccatum. Et de ista pena dantur versus:
Quam male peccavit sodomita ruina probavit
Comprobat esse reum sulphur et ignis eum.

Tertio patet gravitas huius peccati ex lege tam divina quam humana, quia utraque lex ipsos condemnat ad mortem. Lex enim divina per Moysen ait, Levitici XX: Qui coierit cum masculo, morte moriatur. Lex vero humana, spiritu sancto inspirata et per ora principum promulgata, huic vitio exardescentes iubet igne cremari. De illis etiam bestialibus hominibus qui conmiscentur bestiis, sive masculus fuerit sive femina, pena statuta est a Deo eodem libro et eodem capitulo: Qui cum iumento et pecore coierint, morte moriantur; pecus quoque occidite. Mulier que subcubuerit iumento, similiter interficiatur. Et nota quod condigna penitentia debet talibus imponi in foro penitentiali, ut ab usu et esu talium animalium abstineant toto tempore vite sue cum quibus peccaverunt, si animalia comestibilia sunt. Si vero non sunt comestibilia, sed equitabilia, debet eis imponi ne unquam super ipsa ascendant. Si autem sunt animalia delectabilia ad tenendum in gremio vel brachiis, debet eis iniungi ut nunquam talia animalia tangant, quia semper debent tale facinus detestari.

vv. 94-96

Come quel fiume c'à proprio camino
prima da monte Verso inver levante,

In monte Verso, qui quidem mons est in partibus Romandiole, est quidam fluvius qui ab origine sua usque ad mare habet duo nomina. Nam ab ortu suo usque ad Sanctum Benedictum de alpibus Acqua Queta vocatur; postquam autem de alpibus ad yma descendit, dicitur tunc Montonus. Apenninus autem est quidam mons in Ytalia, qui est positus inter duo maria, scilicet inter mare Tyrenum et Adriaticum. Mare Tyrenum est mare Pisarum; mare vero Adriaticum est mare Ancone. Unde Lucanus in secundo:

Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni superique maris, collesque coercet
Hinc Tyrena vado frangentes equora Pise,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Dividit autem iste mons Apeninus Ytaliam a Pannonia, et durat usque in Calabriam. Fuit autem antiquitus coniunctus Sicilie, sed mare divisit illum. Unde ait autor infra, in cantica secunda, cantu [XIV]: «dond'è tronco Peloro». De quo Lucanus in secundo:

Extremi colles Siculo cessere Peloro.

De isto monte ait beatus Ysidorus, XIIII libro Eth.: Apeninus dicitur quasi Alpes Penice, idest Affricane. Nam Anibal Affricanus, veniens ad Ytaliam, easdem Alpes ferro aperuit. Unde Virgilius: Alpes inmittit apertas. Has etiam Alpes ipse Anibal post bella Yspanie aceto rupit. Unde Iuvenalis: Et montem rupit aceto. Et inde loca ipsa, que rupit, Alpes Apenine vocantur.

vv. 106-108

Io avea una corda intorno cinta,
et con essa pensai alcuna volta
prender la lonza a la pelle dipinta.

Superius in primo cantu autor allegorice demonstravit quod iam fuit tribus vitiis maculatus, scilicet luxuria, superbia, et avaritia; que quidem tria vitia figurantur per illas tres bestias que sibi in ascensu montis impedimenta dederunt. Virgilius autem, qui ponitur pro ratione humana, eum ab illis vitiis liberavit. Sed accidit homini a peccatis abluto queadmodum illi qui de gravi est egritudine liberatus; qui licet sit liberatus, tamen remanent quedam reliquie, sicut est memoria peccati, in qua homo etiam post peccata aliquando delectatur, et sicut est nimius affectus ad carnalia et mundana. Et de hoc ait Dominus Petro: Qui lotus est et non indiget nisi ut pedes lavet et est mundus totus, tunc autem pedes sunt loti quando affectus nostri per omnia sunt purgati. Dantes igitur, licet a lonza recesserit maculata, que propter suas maculas tenet typum luxurie, tamen adhuc quedam reliquie remanserunt in eo; scilicet intentio fraudulenta, que per cordam, qua erat ipse precinctus, methaforice figuratur. Ista enim corda ab Homero zona Veneris appellatur, quia cum ista zona, idest cum deceptione, ligat Venus etiam hominem sapientem. Nam non est adeo sapiens qui possit sibi a luxurie deceptione cavere, si conversationem primo ipsius Veneris non cavebit. Unde Omerus: Deceptio, inquit, Veneris furata est intellectum sapientis. Et ista tali corda utuntur luxuriosi ad suas lascivias exercendas, ut infra, XVIII cantu, in Iasone patebit. Cum itaque Dantes ista corda se dicat esse precinctum, demonstrat quod, sicut Venus contra luxuriosos deceptione utatur, sic e converso ipsi luxuriosi contra ipsam deceptione utantur et fraude. Et ideo dicit ipse in textu:

et con essa pensai alcuna volta
prender la lonza a la pelle dipinta.

quia nullo meliori modo quam deceptione vel fraude ipsa fraus vel deceptio capi potest; quia isto modo, secundum poetam, sic ars deluditur arte. Virgilius autem, cum ad octavum circulum propinquavit, in quo ipsa deceptio damnatur et fraus, illam cordam que est signum deceptionis et fraudis, ut dictum est, a Dante removit et in illud baratrum infernale proiecit. Et statim quoddam

terribile monstrum quod tenet typum et similitudinem ipsius deceptionis et fraudis, ac etiam proditionis, ut in sequenti cantu dicetur, viso suo signo statim sursum venit, credens portare ad infima aliquem, vel aliquos fraudulentos sive aliquos proditores.

vv. 127-129

ma qui tacer nol posso, et per le note
di questa comedìa, lector ti giuro,

Volens hic autor revelare que vidit, et timens ne propter novum inauditum sibi veridice crederetur, iurat cuilibet qui istam legerit Comediam, quod si ipsa Comedia non possit longa gratia vacuari, quod vera sunt illa que hic se vidisse confirmat. Comedia autem est iste liber. Quid vero sit comedia, et quot sunt genera poetarum, in prologo superius est expressum.

In isto XVI cantu continentur VII comparationes et quatuor notabilia.

[Comparationes]

vv. 1-3

[PRIMA COMPARATIO.]

Già era in loco ove s'udia 'l rimbombo
de l'aqua che cadea ne l'altro giro,
simil a quel che l'arnie fanno rombo,

vv. 19-24

SECUNDA COMPARATIO.

fenno una rota di sè tutti et trei.
Qual solen far li campion nudi et unti,
etc.

vv. 76-78

TERTIA COMPARATIO.

e' tre, che ciò inteser per risposta,
guatar l'un altro come 'l ver si guata.

vv. 85-87

QUARTA COMPARATIO.

Indi rupper la rota, et a fugirsi
ale sembiar le gambe loro snelle.

vv. 88-90

QUINTA COMPARATIO.

Un amen non saria potuto dirsi
tosto così com'e' furo spariti;

vv. 94-96

SEXTA COMPARATIO.

Come quel fiume c'à proprio camino

Usque ibi:

trovamo risonar quell'aqua tinta,

vv. 133-136

SEPTIMA COMPARATIO.

sì come torna colui che va giuso
talora a solver l'àncora c'agrappa
a scollio o altro che nel mar è chiuso,
che 'n sù si stende et da piè si rattrappa.
Omnes iste comparationes sunt superius explanate.

[Notabilia]

vv. 64-66

PRIMUM NOTABILE.

«Se lungamente l'anima conduca
le membra tue», rispose quelli allora,
«et se la fama tua dipo' te luca»,

In isto notabili duo magna bona Iacobus Rusticuccii imprecatur autori: primum est longa vita; secundum vero, est post mortem clara et lucida fama.

vv. 73-75

SECUNDUM NOTABILE.

«La nuova gente e' sùbiti guadagni
orgollio et dismisura àn generata»,

In isto notabili ponit autor quod duo sunt illa que destruunt civitates, scilicet novi cives et subita lucra, sicut usure et rapine.

vv. 118-120

TERTIUM NOTABILE.

Ay quanto cauti li homini esser denno
press'a color che non vegion pur l'opra,
ma per entro ' pensier guardar col senno!

In isto notabili ponit autor quod, cum homo est cum aliquo sapiente et vult aliquid vel dicere vel operari, quod cum omni cautela loquatur et operetur. Et assignat causam, quia sapiens non solum attendit ad opera, sed videt per quedam signa extrinseca etiam cogitata. Et quia Virgilius respondit sibi ad ea que ipse autor in mente volvebat, ideo ammirative ait: *Ay quanto cauti*. *Ay* enim est interiectio admirantis, quemadmodum et *pape*.

vv. 124-126

QUARTUM NOTABILE.

sempr'a quel ver c'à faccia di menzogna
dee l'om chiuder le labra infin che pote
però che sanza colpa fa vergogna;

Ad evidentiam istius notabilis est avertendum quod sunt quedam que sunt vera et habent faciem veri; quedam sunt falsa et habent faciem falsi. Sunt itaque quedam que sunt vera et habent faciem veri, ut cum dico: «Vidi leonem comedere agnum». Ista propositio potest esse vera, quia naturale est ac etiam consuetum quod leo devoret agnum. Et sic est vera et habet faciem veri. Quedam sunt que sunt falsa et habent faciem falsi, ut cum dico: «Vidi asinum volantem». Ista propositio est falsa, quia asinus nunquam volat, et sic est falsa et habet faciem falsi. Quedam sunt falsa et habent faciem veri, ut cum dico: «Vidi Petrum comedere carnes die Veneris», et non comedit. Sed quia iste Petrus diebus ieiuniorum est solitus comedere carnes, ideo ista propositio, licet sit falsa, habet tamen faciem et similitudinem veri. Quedam vero sunt que sunt vera et habent faciem falsi, ut cum dico: «Vidi unum asellum qui occidit leonem». Ista propositio, licet sit vera, quia verissimum est quod unus asellus necavit Florentie calce leonem, tamen quia non est consuetum, habet faciem falsi. Autor igitur, licet verum fuerit quod retulit, tamen quia habet faciem falsi illud verum quod protulit, protulit cum timore ne sibi scilicet crederetur. Unde ait nos admonens quod illi vero, quod habet faciem mendacii, debemus claudere labia quousque possumus, idest tantum tacere debemus quousque necessitas postulabit. Et ideo beatus Paulus Apostolus, licet raptus fuerit usque ad tertium celum, tamen quia illud verum faciem falsi poterat in auribus audientium generare, ideo illud annis XIIII occultavit. Et Christus mandavit illis tribus apostolis qui suam transfigurationem viderant, quod nemini dicerent visionem quousque ipse fuisset a mortuis suscitatus. Nam si ante suam resurrectionem illam visionem dixissent, audientes nullatenus credidissent. Sed probata et manifestata resurrectione, illud tale verum iam non habuerit faciem falsi, sed veri.

Et sic patet XVI cantus prime cantice.

XVII

INCIPIT XVII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XVII cantu autor tractat de tertia parte tertii gironis, in qua parte ponit usurarios in igne sedentes et ad collum pendentes bursas habentes. Et incipit ista tertia pars istius tertii gironis in isto cantu, ibi:
andai ove sedea la gente mesta.

et finit in isto eodem cantu, ibi:

torna'm'in dietro da l'anime lasse.

Et tunc descendit de VII circulo in octavum, scandens super Gerionem, qui tenet typum deceptionis et fraudis.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-6

In superiori nanque cantu dicit autor quod statim quod Virgilius illam cordam, qua ipse Dantes erat precinctus, in illud baratrum proiecisset, quod vidit ad superiora venire natando per illum aerem tenebrosum unam figuram, idest feram, omni securo cordi miraculosam, idest timorosam. Nunc autem in isto cantu dicit quod Virgilius figuram et formam illius fere poetando designat dicens: «Ecce feram cum cauda acuta, que penetrat montes et rumpit muros et arma. Ecce illam que totum mundum putredine sua replet». Et fecit eidem fere signum ut applicaret ad ripam iuxta aggerem in quo erant. Ideo dicitur in textu:
vicin'al fin de' passegiati marmi.

vv. 7-66

Et tunc illa putrida fraudis ymago, ad petitionem ipsius Virgilii, venit ad ripam et posuit caput et corpus in terra, sed caudam per aerem baiulabat. Pretendebat autem ista fera pessima benignitatem in facie, sed malignitatem gestabat in cauda; nam facies sua erat velut facies viri iusti, tantum benignam habebat exterius suam pellem, sed totum corpus aliud serpentinum. Habebat etiam duas brancas pilosas usque ad subascellas; dorsum vero, pectus, et latera depicta erant nodis atque rotellis, quos nodos et rotellas comparando declarat, dicens quod nunquam Tartari sive Turchi cum pluribus coloribus pannos sericos contexerunt, nec unquam tales tele per Aragnem imposite extiterunt. Qualiter autem corpus tenebat in terra et caudam in aere, exemplificando declarat dicens quod quemadmodum burchi aliquando stant in ripis, quod partim stant in terra et partim in aqua, et sicut biverus inter teutonicos lurcos, dum vult piscari, tenet totum corpus in terra et caudam in aquis, sic eodem modo illa fera pessima ibi stabat, tenens corpus in ripa, et in vano, hoc est in aere, caudam ducens, quam admodum scorpionis elevabat in altum. Tunc ait Virgilius ad Dantem: «Modo convenit ut nostra via usque ad illam bestiam devolvatur». Unde a dextero latere descendentes decem passus fecerunt super illam extremitatem, ut arenam et flammam bene cessarent. Et quando ad illam bestiam devenerunt, dicit autor quod modicum plus ultra vidit quandam gentem super illam arenam igneam residere. Et ibi ait sibi magister: «Ad hoc ut totam plenam experientiam de isto girone tu portes, vade et eorum conditionem attende. Tue autem raciocinationes sint breves, et ego interim quod ibis et reverteris loquar cum ista bestia, ut nobis concedat humeros suos fortes». Tunc Dantes per extremitatem illius septimi circuli totus solus ivit ad videndum illas animas que sedebant. Ille vero anime oculis plorabant et manibus a se vapores excutiebant; non aliter, ut ait, diebus extivis faciunt canes, modo cum ore modo cum pede, quando sunt morsi a pulicibus, vel muscis, sive tafanis. Dantes vero, postquam istas animas dolorosas attente respexit, super quas ignis dolorosus descendit, non recognovit ibi aliquem, sed avertit quod quelibet ipsarum unam peram depictam habebat ad collum, et inde eorum oculi pascebantur. Et inter istos vidit tres, unum qui habebat ad collum unam bursam croceam, in qua erat unus leo de azurro; alium qui in bursa sua, que erat rubea sicut sanguis, unum album anserem demonstrabat; reliquus vero istorum trium qui in bursa sua alba habebat unam suem de azurro, dixit ad eum: «Quid facis tu in ista fovea?»

vv. 67-136

Or te ne va. Quasi dicat: Tu hinc recedes, et quia adhuc vivus es, scias quod meus vicinus Vitalianus sedebit a sinistro latere modo hic. Cum istis enim Florentinis sum paduanus. Sepe sepius in auribus michi tonant alta voce clamando: «Veniat summus miles qui apportabit peram suam cum tribus hyrcis». Et his dictis, faciem distorsit et linguam pre doloribus foras traxit, sicut bos multotiens nasum lambit. Hic autem sic visis et cognitis, timens autor ne si plus staret Virgilium conturbaret, reversus est ad eum; quem invenit super illam bestiam ascendisse, sibique dicentem: «Modo sis fortis et audax; admodo enim per sic descenditur factas scalas. Ascende anterius, quia ego volo esse medius, ad hoc ut cauda tibi nocere non possit». Autor autem ad hec verba devenit sicut ille qui, quando est prope rigores febris quartane, habet ungues pallidos et totus tremens querit latebras thori. Sed verecundia quam concepit genuit sibi minas que ante bonum dominum faciunt servum fortem. Et idcirco super illam feram ascendit, et volens dicere Virgilio ut se amplecteretur, vox non venit, quia a suis organis formari non potuit. Sed ipse Virgilius, qui alias ei subvenit, statim quod ascendit brachiis ipsum vinxit ac etiam substentavit. Et ait ad feram: «O Gerio, admodo movere; rote sint large et modicus sit descensus. Cogita nempe novum onus quod habes». Tunc illa fera, secundum precepta Virgilii, arripuit iter suum. Cum vero Dantes se vidit et sensit in illo aere tenebroso, et de subter vidit ignes et audivit gemitus, magis timuit quam timuerit Ycarus sive Feton, quorum uterque de aere ad terram ruendo descendit. Et postquam ipse Gerio cum largis rotis et suavi descensu ad infima descendisset, ipsos ambos deposuit et abscessit. Unde dicitur in textu:
così ne puos'al fondo Gerione
a piede a piè de la stalliata rocca,
et, discarcate le nostre persone,
si dileguò come da corda cocca.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

«Ecco la fiera con la coda aguzza,
che passa i monti et rompe i muri e l'armi!
ecco colei che tutto 'l mond'apuzza».

Poetando designat hic autor figuram et formam proditionis et fraudis, dicens quod apparuit sibi quedam terribilis fera, que faciem habebat humanam et corpus totum aliud serpentinum. Quia re vera fraus et proditio faciem humanam habere videntur; quia proditores et fraudulenti humanitatem in principio et legalitatem ostendunt, sed in fine sive occulto sicut serpens vel scorpio ita pungunt. Brachia vero ideo pilosa habere dicitur ista fera, quia fraus et proditio id quod rapit vel facit celare intendit. Nodis autem et rotellis totum corpus ideo habet pictum, quia fraus et proditio

perplexiones, deceptiones, et instabilitates habere manifestissime convincuntur. Nam quid nodi nisi perplexiones et deceptiones important? Et quid rotelle volubiles nisi instabilitatem et firmitatem modicam significant et important? Quia, ut aperte videmus, fraudulenti et proditores sicut ad petitionem unius offendunt alium, ita ad petitionem offensi conantur offendere offensorem. De quorum instabilitate ait Lucanus in X:
Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur,
Venalesque manus habent: ibi fas, ubi maxima merces;

Adversus itaque istam feram, in principio istius cantus, more exclamatorio exclamat poeta dicens: *Ecce feram cum cauda acuta*; quia fraus et proditio ad malum finem semper intendunt; *que penetrat montes et rumpit muros et arma*, quia nullus mons, nulli muri, nulla arma, nulle potentie possunt a fraude sive deceptione vel proditione defendi. Unde Ovidius in libro Faustis: Fraude perit virtus. Ut patet in Troya, que cum X annis obsessa fuisset, et violentia et potentia totius mundi capi non posset, tandem proditione defecit. *Ecce illam que totum mundum putredine sua replet*. Hoc dicit vel quia istud peccatum ubique fetet, quia proditores ubique et ab omnibus odiuntur, licet eorum proditiones aliquando placeant, vel quia istud vitium ubique regnare videtur. Ideo nos admonet Ieremias: Unusquisque, inquit, a proximo suo se custodiat et in omni fratre suo non habeat fiduciam; quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.

vv. 7-9

ma 'n su la riva non trasse la coda.

Allegorice fraudulenti et proditores habent faciem benignam et blandam, quia in loquendo vel operando benigne et blande se habent; sed semper malam intentionem occultant; et hoc est abscondere suam caudam.

vv. 16-18

Con più color, sommesse et sopraposte,
non fer mai drappo Tartari nè Turchi,

Comparatio talis est: Turchi et Tartari in arte textoria sunt valde subtiles, nam faciunt pannos sericos tam diversis coloribus, sive pictos sive contextos, quod omne subtile ingenium faciunt admirari. Ideo dicit: «Con più color, sommesse et sopraposte». Color submissus fit arte textoria; color autem superpositus fit arte pictoria vel arte acus, que vocatur racamare. Vult itaque dicere autor quod panni Turchorum vel Tartarorum non sunt tanta et tali varietate ornati sicut est pellis extrinseca Gerionis.
nè fur tai tele per Aragna imposte.

Aragnes fuit quedam mulier de Lidia, de qua scribit Ovidius, VI libro Meth., quod fuit pulcherrima et subtilissima textrix intantum quod cum Pallade, que dea est artium, in opere textorio certare volebat. Pallas autem in anum se mutans, velut esset nuntia ad Aragnem transmissa, vel media conciliatrix ait ad ipsam:
Consilium ne sperne meum: tibi fama petatur
Inter mortales faciende maxima tele.
Cede dee vaniamque tuis, temeraria, dictis
Supplici voce roga; veniam dabit illa roganti.

Ad hec irata Aragnes ait: «Cur non ipsa venit? Cur hec certamina vitat?» Videns ergo Pallas quod Aragnes a sua superbia se refrenare nolebat, de anu conversa in Palladem ad certamen accessit; et ceperunt in arte textoria ad invicem preliari. Pallas texuit in sua tela Iovis et aliorum deorum mirabilia. Aragnes vero texuit in sua tela omnia deorum opprobria. Ad hec irata Pallas telam Aragnis protinus laceravit. Unde Ovidius: Et rupit pictas, celestia crimina, vestes. Hoc est, propter celestia crimina que erant picta in illa tela, rupit vestes pictas, idest telam. Aragnes vero infelix, dolore percussa, laqueo se suspendit; quam pendentem Pallas miserata levavit et ipsam in araneam commutavit. Et de ista transformatione ait Ovidius:
Fitque caput minimum; toto quoque corpore parva est;
In latere exiles digiti pro cruribus herent,
Cetera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamen et antiquas exercet aranea telas.

Hoc enim fabulose, sed non sine aliqua morali utilitate, scribit ipse Ovidius. Aragnes enim, secundum rei veritatem, fuit quedam mulier pulcerrima, scilicet textrix, que ideo Palladem deam artium dicitur contempsisse, quia sapienter vivere noluit. Unde ipsa in araneam est mutata. Et hoc nil aliud est nisi opera stultorum et malorum hominum sunt fragilia atque vana, sicut sunt tele aranearum; opera autem sapientie sunt eterna. Sed visa fabula et ystoria vera, quid per moralem intellectum significet videamus. Aragnes enim tenet figuram hominis stulti arroganter et superbe vivere et sic prudenter humiliterque habere nolentis. Pallas vero, que est dea artium, ipsam

sapientiam figurat. Tunc autem ambo ad certamen accedunt quando stultus et arrogans, sapientiam contemnens, opera sapientum condemnat et sua opera mala laudat. Sed cum sapientia malitiam vincit, apparent opera stultorum fragilia, sicut in secundo libro Regum de filio Salomonis Divina Pagina manifestat, de quo habebimus infra in secunda cantica, cantu [XXX]. Sed quid sibi vult illa transformatio quam de Pallade facit Ovidius? quia mutatur ipsa Pallas in anum et de anu in Palladem? et postea de Pallade in textricem? Allegorice sic expone: Mutatur Pallas in anum quia sapientia viget in senibus, iuxta illud poeticum:
Utile consilium prodit ab ore senum.

Deinde mutatur de anu in Palladem, quia si natura senilis est despicabilis vel propter etatem vel propter deformitatem, nichilominus in eis sapientia honoratur. Unde Sallustius: Coram cano assurge. Ultimo autem mutatur de Pallade in textricem, quia sapientia omnia fecit et omnia disposuit sapienter. Dominus enim sapientia fundavit terram et stabilivit celos prudentia, sicut dicitur in Libro Sapientie. Exemplificat itaque autor et dicit quod Aragnes de Lidia nunquam fecit ita subtiles et artificiosas telas sicut erant rote et nodi illius bestie Gerionis.

vv. 19-24

Come talvolta stanno a riva i burchi,
che parte stanno in aqua et parte in terra,
et come là tra li tedeschi lurchi
lo bivero s'asetta a far sua guerra,

Ista comparatio quam facit hic autor ad Gerionem est taliter exponenda: sicut enim in partibus Lombardie naves, quas ipsi vocant burcos, stant aliquando medie in ripis et medie in aquis, que quidem comparatio videtur sumpta de Lucano in VIIII:
Pars sedet una ratis, pars altera pendet in aquis.

Et sicut in Alamania inter theutonicos lurcos quoddam animal quod biverus a theutonicis appellatur, quando preparat se ad guerram, medius stat in terra et medius stat in aqua, ita illa fera pessima stabat media in ora septimi circuli, que quidem ora, quia lapidea est, claudit in circuitu sabulum arenosum, et media stabat in aere supra octavum et nonum circulum sicut suspensa. Ideo dicitur in textu:
lo bivero s'assetta a far sua guerra,
così la fiera pessima si stava
su l'orlo ch'è di pietra,
etc.

Istoria biveri talis est: In Alamania est quoddam animal quadrupedum quod ipsi teutonici biverum appellant. Habet autem caudam longam et latam et semper habitat iuxta rivos, quia piscibus pascitur et nutritur. Cum autem ad guerram se preparat contra pisces, stat totus in ripis et caudam percutit inter aquas; de qua cauda, quia pinguissima est, exit quedam pinguedo ad similitudinem olei sive lactis; ad quam pinguedinem trahunt pisces, et dum talem pinguedinem lambunt, ab illo tali animali quod biverus dicitur capiuntur.

vv. 31-33

e diece passi femo in su lo stremo,
per ben cessar la rena et la fiammella.

Allegorice per observationem X preceptorum Moysayce legis, que decalogus appellatur, evadit homo penas Inferni et acquirit gaudia Paradisi. De primo ait Salomon: Qui observat mandatum non experietur quicquam mali. De secundo vero ait Dominus in Evangelio: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

vv. 52-57

non ne conobi alcun, ma i' m'accorsi
che dal collo a ciascun pendea una tasca
c'avea certo colore et certo segno,
e quindi par che 'l lor ochio si pasca.

Postquam autor in superioribus de duabus partibus gentium que in isto girone tertio concremantur, hoc est de blasphemis et sodomitis, prosecutus est, nunc

autem in ista parte de tertia gente, hoc est de usurariis, prosequitur in hunc modum, dicens quod quando devenit ad eos nullum de eis breviter recognovit; et hoc propter combustas facies quas habebant; sed advertit quod quilibet eorum habebat ad collum unum marsupium, sive peram, in quo vel in qua erant quedam picture per quas recognovit autores. Quod autem dicit quod oculi eorum in contemplando sua marsupia satiantur, ostendit, moraliter exponendo, quod usurarii semper habent oculum mentis et corporis ad usuram, quia ubi amor ibi oculus, et ista tali visione pascuntur. Nam avarus sua pecunia non utitur nisi solummodo ad videndum. Et ideo Seneca dicit quod avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Et poeta:

Fervet avaritia miseraque cupidine pectus.

Querit, et inventis miser abstinet et nescit uti.

vv. 58-60

in una borsa gialla vidi azzurro
che d'un leon avea faccia et contegno.

Iste fuit unus florentinus de Gianfilliazzis, qui toto tempore vite sue prestitit in partibus gallicis ad usuram, et cum esset annorum fere LXXX reversus est Florentiam et factus est miles; cuius arma sunt campus de auro et leo de azurro.

vv. 61-63

Poi, procedendo di mi' sguardo 'l curro,
vidin'un'altra come sangue rossa,
mostrar un'oca bianca più che burro.

Iste qui habebat ad collum marsupium rubeum et anserem album fuit quidam etiam florentinus de domo Ebriacorum, qui fuit etiam maximus usurarius, cuius arma sunt campus rubeus et anser albus.

vv. 64-66

Et un che d'una scrofa azzurra et grossa
segnat'avea 'l su' sacchetto bianco,
mi disse: «Che fai tu in questa fossa?»
Iste qui dixit autori «quid facis tu in ista fovea?» fuit quidam paduanus de Scrovegnis, maximus usurarius, cuius arma sunt campus albus et sus de azurro. Et iste predixit autori de duobus maximis usurariis qui adhuc vivebant, quorum quilibet debebat cum ipsis similiter concremari; unus quorum vocabatur Vitalianus del Dente, natione etiam paduanus. Ideo ait autor in textu:

vv. 67-69

Or te ne va et perchè se' vivo anco,
sappi che 'l mi' vicin Vitaliano
sederà qui dal mi' sinistro fianco.

Alius autem vocabatur dominus Iohannes Buiamonte de Florentia, cuius arma sunt campus de auro et tres hyrci nigri. Ideo ait ipse Vitalianus autori:

vv. 70-75

Con questi Fiorentini son padovano;
spesse fiate mi 'ntronan li orecchi
gridando; «Vegna 'l cavalier sovrano,
che recherà la tasca co' tre becchi!»

Miles autem summus dicitur hic per anthifresim, que est una figura que interpretatur <contraria locutio>. Et hoc facit ad ostendendum quod est multum contrarium rationi et omni civili moralitati usurarios sacramentis militaribus decorari. Iste autem Iohannes Buiamonte fuit non solum maximus usurarius, sed fuit maior lusor ad zardum qui suo tempore reperiretur in mundo. Sed hic est sagaciter advertendum quod licet in Inferno sint usurarii omnium linguarum ac etiam nationum, autor non nisi paduanos et florentinos ibi agnoscit. Hoc autem ideo fecit ut ostenderet quod Florentini et Paduani communiter sunt omnes maiores feneratores de mundo.

Quia in isto cantu agitur de pena usurariorum, ideo de usura hic aliquid est agendum. Circa quam illa solum quatuor videamus, que Sanctus Thomas de Aquino ponit in secunda serie, LXXVIIa questione: Et primo, utrum accipere usuram pro pecunia mutuata sit licitum seu non. Secundo, utrum aliquis possit pro pecunia quam mutuavit aliquam aliam commoditatem expetere. Tertio, utrum aliquis teneatur restituere id quod de pecunia usuraria iusto lucro acquisivit. Quarto, utrum liceat pecuniam accipere mutuo sub usura. Ad primum sic proceditur: Videtur quod accipere usuram pro pecunia mutuata non sit peccatum. Nullus enim peccat ex hoc quod sequitur exemplum Christi. Sed Dominus de se ipso dicit, Luce XIX: Ego veniens cum usuris exegissem illam, scilicet pecuniam mutuatam. Ergo non est peccatum accipere usuram pro mutuo pecunie. Preterea, sicut dicitur in Psalmo: Lex Domini immaculata dicitur quia scilicet peccatum prohibet. Sed in lege divina conceditur aliqua usura, secundum illud Deuteronomii XXIII: Non fenerabis fratri tuo ad usuram nec pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno; et quod plus est etiam ibi permittitur pro lege servata, secundum illud Deuteronomii XXVIII: Fenerabis gentibus multis et ipse a nullo fenus accipies. Ergo accipere usuram non est peccatum. Preterea, in rebus humanis determinatur iustitia per leges civiles, sed ius concedit usuras accipere; ergo videtur non esse illicitum. Preterea, pretermittere consilia non obligat ad peccatum. Sed Luce VI, inter alia consilia ponitur: Date mutuum, nichil inde sperantes. Ergo accipere usuram non est peccatum. Preterea, pretium accipere pro eo quod quis facere non tenetur non videtur esse secundum se peccatum. Sed non in quolibet casu tenetur pecuniam habens eam proximo mutuare; ergo licet ei aliquando pro mutuo accipere pretium. Preterea argentum monetatum et in vasa formatum non differt spetie. Sed licet accipere pretium pro vasis argenteis accomodatis; ergo etiam licet accipere pretium pro mutuo argenti monetati. Usura ergo non est secundum se peccatum. Preterea, quilibet potest licite accipere rem quam ei dominus rei voluntarie tradit. Sed ille qui accipit mutuum voluntarie tradit usuram. Ergo ille qui mutuat licite potest accipere. Sed contra est quod dicitur Exodi XXII: Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Respondeo dicendum quod accipere usuram pro pecunia mutuata est secundum se iniustum, quia venditur id quod non est; per quod manifeste inequalitas constituitur, que iustitie contrariatur. Ad cuius evidentiam sciendum est quod quedam res sunt quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, et triticum consumimus eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa, sed cuicunque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res; et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, et seorsum vellet vendere usum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id quod non est. Unde manifeste per iniustitiam peccaret. Et simili ratione iniustitiam committit qui mutuat vinum aut triticum, petens sibi duas recompensationes: unam quidem restitutionem equalis rei, aliam vero pretium usus, quod usura dicitur.

Quedam vero sunt quorum usus non est ipsa rei consumptio, sicut usus domus est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideo in talibus seorsum potest utrunque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reservato sibi usu ad aliquod tempus; vel e converso, cum quis concedit alicui usum domus, reservato sibi eius dominio, et propter hoc licite potest homo accipere pretium pro usu domus, et preter hoc petere domum commodatam, sicut patet in conductione et locatione domus. Pecunia autem, secundum Philosophum in V Ethicorum et in primo Polithica, principaliter est inventa ad commutationes faciendas; et ita prius et principalis pecunie usus est ipsius consumptio sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecunie mutuate accipere pretium, quod dicitur usura; et sicut alia iniuste acquisita tenetur homo restituere pecuniam quam per usuram accepit. Ad primum ergo dicendum quod usura ibi methaphorice accipitur pro superexcrescentia bonorum spiritualium quam exegit Deus, volens ut in bonis acceptis ab eo semper proficiamus; quod est ad utilitatem nostram, non eius. Ad secundum, dicendum quod Iudeis prohibitum fuit accipere usuram a fratribus suis, scilicet Iudeis, per quod datur intelligi quod accipere usuram a quocumque homine est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum et fratrem, precipue in statu Evangelii ad quos omnes vocantur. Unde in Psalmo absolute dicitur: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; et Ezechielis 18: Qui usuram non acceperit, quod autem ab extraneis usuram acciperent non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad maius malum vitandum, ne scilicet a Iudeis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam cui dediti erant, ut habetur Ysaye LVI. Quod autem in premium impromittitur fenerabis gentibus multis, etc. fenus ibi large accipitur, pro nummo, scilicet,

et Ecclesiastici XXIX dicitur: Multi non causa nequitie non fenerati sunt, idest non mutuaverunt. Promittitur ergo in premium Iudeis abundantia divitiarum, ex qua contingit quod aliis mutuare possint. Ad tertium dicendum quod dare mutuum non semper tenetur homo. Et ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia; sed quod homo lucrum de mutuo non querat, hoc cadit sub ratione precepti. Potest tamen dici consilium per comparationem ad dicta Phariseorum, qui putabant usuram aliquam esse licitam, sicut et dilectio inimicorum est consilium. Vel loquitur ibi non de spe usurarii lucri, sed de spe que ponitur in homine. Non enim debemus mutuum dare vel quodcunque bonum facere propter spem hominis, sed propter spem Dei. Ad quartum, dicendum quod leges humane dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum in quibus multe utilitates impedirentur, si omnia peccata districte prohiberentur penis adhibitis. Et ideo usuras lex humana concessit non quasi extimans eas esse iustas, sed ut non impedirentur utilitates multorum. Unde in ipso iure civili dicitur quod res que usu consumuntur, neque ratione naturali neque civili recipiunt usumfructum; et quod senatus non fecit earum rerum usumfructum, neque enim poterat; sed quod usumfructum constituit concedens, scilicet usuras, et Philosophus naturali ratione ductus dicit in primo Polithica quod usuraria acquisitio pecuniarum est maxime preter naturam. Ad V dicendum quod ille qui mutuare non tenetur recompensationem potest accipere eius quod fecit, sed non amplius debet exigere. Recompensatur autem sibi secundum equalitatem iustitie si tantum ei reddatur quantum mutuavit. Unde si amplius exigat pro usufructu rei que alii in usum non habent nisi consumptione substantie, exigit pretium eius quod non est, et ita est iniusta exactio. Ad VI dicendum quod usus principalis vasorum argenteorum non est ipsa eorum consumptio. Et ideo usus eorum potest vendi licite, servato dominio rei. Usus autem principalis pecunie argentee est distructio pecunie in commutationes. Unde non licet eius usum vendere, cum hoc quod aliquis velit eius restitutionem quod mutuo dedit. Sciendum tamen quod serarius usus argenteorum vasorum posset esse commutatio, et talem usum eorum vendere non liceret. Et similiter potest esse aliquis alius serarius usus pecunie argentee, ut puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem vel ad ponendum loco pignoris, et talem usum pecunie licite vendere potest. Ad VII dicendum quod ille qui dat usuram non simpliciter voluntarie dat, sed cum quadam necessitate, inquantum indiget pecuniam accipere mutuo quam ille qui habet non vult sine usura mutuare.

Ad secundum sic preceditur. Videtur quod aliquis possit pro precunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere. Unusquisque enim potest sue indemnitati consulere. Sed quandoque damnum aliquis patitur ex hoc quod pecuniam mutuat, ergo licitum est ei supra pecuniam mutuatam aliquid aliud pro damno expetere vel etiam exigere. Preterea unusquisque tenetur ex quodam debito honestatis aliquid recompensare ei qui sibi gratiam fecit, ut dicitur in V Ethicorum. Sed ille qui alicui in necessitate constituto pecuniam mutuat gratiam facit; unde et gratiarum actio ei debetur; ergo ille qui recipit naturali debito tenetur aliquid recompensare. Sed non videtur esse illicitum obligare se ad aliquid quod quis ex naturali iure tenetur. Ergo non videtur esse illicitum si aliquis pecuniam alteri mutuans in obligatione deducat aliquam recompensationem. Preterea, sicut est quoddam munus a manu, ita est munus a lingua et ab obsequio, ut dicit glosa, Isaye XXXIII: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Sed licet accipere servitium vel etiam laudem ab eo cui quis pecuniam mutuavit, ergo pari ratione licet quidemcunque aliud munus accipere. Preterea, eadem videtur esse comparatio dati ad datum et mutuati ad mutuatum. Sed licet pecuniam accipere pro alia pecunia data; ergo licet accipere recompensationem alterius mutui pro pecunia mutuata. Preterea, magis a se pecuniam alienat qui eam mutuando dominium transfert, quam qui causa mercatori vel artifici committit. Sed licet lucrum accipere de pecunia commissa mercatori vel artifici, ergo licet etiam lucrum accipere de pecunia mutuata. Preterea pro pecunia mutuata potest homo pignus accipere, cuius usus posset aliquo pretio vendi, sicut cum impignoratur ager vel domus que inhabitatur; ergo licet aliquod lucrum habere de pecunia mutuata. Preterea contingit quandoque quod aliquis carius vendit res suas ratione mutui, aut vilius emit quod est alterius, vel etiam pro dilatione pretium auget, vel pro acceleratione diminuit, in quibus omnibus videtur aliqua recompensatio fieri, quia pro mutuo pecunie hoc autem non manifeste apparet illicitum, ergo videtur esse licitum aliquod commodum de pecunia mutuata expectare, vel etiam exigere. Sed contra est quod Ezechielis XVIII dicitur: Inter alia que ad virum iustum requiruntur, usuram et superabundantiam non acceperit. Respondeo dicendum quod secundum Philosophum in 2 Ethicorum: Omne illud pro pecunia habetur cuius pretium potest pecunia mensurari. Et ideo, sicut si aliquis pro pecunia mutuata vel quacumque alia re que ex ipso usu consumitur pecuniam accipit ex pacto tacito vel expresso, quodcumque aliud acceperit cuius pretium pecunia mensurari potest simile peccatum incurrit. Si vero accipiat aliquid huius non quasi exigens nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat; quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere. Nec peioris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit, recompensationem vero eorum que pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta benivolentiam et amorem eius qui mutuavit, vel aliquid huius. Ad primum ergo dicendum quod ille qui mutuum dat potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere, hoc enim non est vendere usum pecunie, sed damnum vitare; et potest esse quod accipiens mutuum maius damnum evitet quam dans incurret. Unde accipiens mutuum cum sua utilitate damnum alterius recompensat; recompensationem vero damni quod consideratur in hoc quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id quod nondum habet, et potest impediri

multipliciter ab habendo. Ad primum dicendum quod recompensatio alicuius beneficii dupliciter fieri potest: Uno quidem modo ex debito iustitie, ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest, et hoc debitum attenditur secundum quantitatem beneficii quod quis accipit; ed ideo ille qui accipit mutuum pecunie vel cuiuscunque similis rei, cuius usus est eius consumptio, non tenetur ad plus recompensandum quam mutuo accepit. Unde contra iustitiam est fieri ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompensandum beneficium ex debito amicitie in quo magis consideratur affectus ex quo aliquis beneficium contulit quam etiam quantitas eius quod fecit. Et tali debito non competit civilis obligatio, per quam ducitur quedam necessitas ut non spontanea recompensatio fiat. Ad tertium dicendum quod si aliquis ex pecunia mutuata expectet vel exigat quasi per obligationem pacti taciti vel expressi recompensationem muneris ab obsequio vel a lingua, per inde est ac si expectaret vel exigeret munus a manu, quia utrunque pecunia estimari potest, ut patet in hiis qui locant operas suas quas manu vel lingua exercent. Si vero munus ab obsequio vel a lingua non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benivolentia que sub estimatione pecunie non cadit, licet hoc accipere et exigere et expectare. Ad quartum dicendum quod pecunia non potest vendi pro pecunia ampliori quam sit quantitas pecunie mutuate que restituenda est, nec aliquid est exigendum aut expectandum nisi benivolentie affectus, qui sub estimatione pecunie non cadit, ex quo potest procedere spontanea mutuatio, repugnat ei obligatio ad mutuum in posterum faciendum, quia etiam talis obligatio pecunia extimari posset. Et ideo licet simul mutuanti unum aliquid aliud mutuare, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum. Ad V dicendum quod ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecunie in eum cui mutuat. Unde ille cui pecunia mutuatur sub suo periculo tenet eam et tenetur integre restituere. Unde non debet amplius exigere ille qui mutuavit; sed ille qui conmittit pecuniam suam mercatori vel artifici per modum societatis non transfertur dominium pecunie sue in illum; sed remanet eius ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur vel artifex operatur: et ideo, licite potest partem lucri inde provenientis expetere tanquam de re sua. Ad sextum dicendum quod si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam cuius usus pretio estimari potest, debet usu illius rei ille qui mutuavit computare in restitutionem eius quod mutuavit; alioquin si usum illius rei quasi gratis superaddi velit, idem est ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est usurarium, nisi forte esset talis res cuius usus sive pretio soleat concedi inter amicos, sicut patet de libro accommodato. Ad VII dicendum quod si aliquis carius velit vendere res suas quam sit iustum pretium ut de pecunia solvendi emptorem expectet, manifeste usura committitur; quia huius expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quicquid ultra iustum pretium pro huius expectatione exigitur est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usure. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere vilius quam sit iustum pretium, eo quod pecuniam ante solvit quam possit ei tradi, est peccatum usure; quia etiam ista anticipatio solutionis pecunie habet mutui rationem, cuius quoddam pretium est quod diminuitur de iusto pretio rei empte. Si vero aliquis de iusto pretio velit diminuere ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato usurie.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod quicquid aliquis de pecunia usuraria lucratus fuerit, reddere teneatur. Dicit enim Apostolus ad Romanos XI: Si radix fecta, et rami: ergo eadem ratione, si radix infecta, et rami. Si radix fuit usuraria, ergo tenetur ad restitutionem illius. Preterea, sicut dicitur extra de usuris in illa decretali: Cum tu sicut asseris possessiones que de usuris sunt comperate debent vendi, et ipsarum pretia his a quibus sunt extorta restitui, ergo eadem ratione quicquid aliud ex pecunia usuraria acquiritur debet restitui. Preterea illud quod aliquis emit de pecunia usuraria debetur sibi ratione pecunie quam dedit, non ergo habet maius ius in re quam acquisivit quam in pecunia quam dedit. Sed pecuniam usurariam tenebatur restituere, ergo et illud quod ex ea acquiritur tenetur restituere. Sed contra est quod quilibet potest licite tenere id quod legitime acquisivit; sed id quod acquiritur per pecuniam usurariam, interdum legitime acquiritur, ergo licite potest retineri. Respondeo dicendum quod sicut supradictum est, res quedam sunt quarum usus est ipsa eadem consumptio, que non habent usumfructum secundum iura. Et ideo si talia fuerint per usuram extorta, puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid huius, non tenetur homo ad restituendum nisi id quod accepit. Quia id quod de tale re est acquisitum non est fructus huius rei, sed humane industrie; nisi forte per detectionem talis rei altra sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis, tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti. Quedam vero res sunt quarum usus non est earum consumptio, et talia habent usumfructum, sicut domus et ager, et alia huius. Et ideo si quis domum alterius vel agrum per usuram retorsisset, non solum teneretur restituere domum vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum quarum alius est dominus; et ideo ei debentur.

Ad primum ergo dicendum quod radix non solum habet rationem materie, sicut pecunia usuraria, sed habet etiam rationem cause active, inquantum administrat nutrimentum, et ideo non est simile. Ad secundum dicendum quod possessiones que de usuris sunt comperate non sunt eorum quorum fuerint usure, sed illorum qui eas emerunt. Sunt tamen obligate illis a quibus fuerint usure accepte, sicut et alia bona usurarii; et ideo non precipitur quod assignentur ille possessiones hiis a quibus fuerint accepte usure, quia forte plus valerent quam usure quas dederunt. Sed precipitur quod vendantur possessiones et earum pretia restituantur scilicet secundum quantitatem usure accepte. Ad tertium dicendum quod illud quod accipitur de pecunia usuraria debetur quidem acquirenti non propter pecuniam usurariam datam, sicut per causam instrumentalem, sed propter

suam industriam, sicut propter causam principalem; et ideo plus habet in re acquisita de pecunia usuraria quam in ipsa pecunia usuraria. Ad quartum sic proceditur: Videtur quod non licet pecuniam accipere mutuo sub usura. Dicit enim Apostolus ad Romanos I quod digni sunt morte non solum qui faciunt peccata, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed ille qui accipit pecuniam mutuo sub usuris, consentit usurario in suo peccato et prebet ei occasionem peccandi; ergo etiam ipse peccat.

Preterea pro nullo commodo temporali debet aliquis alteri quomodocunque occasionem prebere peccandi; hoc enim pertinet ad rationem scandali activi, quod semper est peccatum. Sed ille qui petit mutuum ab usurario expresse dat ei occasionem peccandi; ergo pro nullo commodo temporali excusatur. Preterea non minor videtur esse necessitas quandoque deponendi pecuniam suam apud usurarium, quam mutuum accipiendi ab ipso. Sed deponendi pecuniam apud usurarium videtur esse omnino illicitum, sicut illicitum esset deponere gladium apud furiosum, vel virginem committere luxurioso, seu cibum guloso. Ergo neque licitum est accipere mutuum ab usurario; sed contra, ille qui iniuriam patitur non peccat, secundum Philosophum in V Ethicorum. Unde iustitia non est media inter duo vitia, ut ibidem dicitur, sed usurarius peccat inquantum facit iniustitiam accipienti mutuum sub usuris; ergo ille qui accipit mutuum sub usuris non peccat. Respondeo dicendum quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est, quia et Deus utitur omnibus peccatis ad aliquid bonum, ut dicitur in Enchidion. Et ideo Augustinus publicole querenti utrum licet uti iuramento eius qui per falsos deos iurat, in quo manifeste peccat, eis reverentiam divinam adhibens, respondit quod qui utitur fide illius qui per falsos deos iurat non ad malum sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per demonia iuravit, sed pacto bono eius quo fidem servavit. Si tamen inducit eum ad iurandum per falsos deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris, licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere et usuras ex certo mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum quod est subventio sue necessitatis vel alterius. Sicut etiam licet ei qui incidit in latrones manifestare bona que habet, que latrones diripiendo peccant, ad hoc quod non occidatur, exemplo X virorum qui dixerunt ad Ysmael: Noli occidere nos, quia habemus thesaurum in agro, ut dicitur Ieremie XLI. Ad primum ergo dicendum quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub usuris non consentit in peccatum usurarii, sed utitur eo, nec placet ei usurarium acceptio sed mutuatio, que est bona. Ad secundum dicendum quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub usuris non dat usurario occasionem usuras accipiendi, sed mutuandi; ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui. Unde scandalum passivum est ex parte sua, non autem activum ex parte petentis mutui; nec tamen propter huius scandalum passivum debet alius a mutuo petendo desistere, nisi indigeat, quia huius passivum scandalum non provenit ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia. Ad tertium dicendum quod si quis committeret pecuniam suam usurario non habenti alias unde usuras exerceret, vel hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur, daret materiam peccanti, unde et ipse esset. Si autem aliquis usurario alias habenti unde usuras exerceat aliquis pecuniam suam committat ut tutius servetur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum.

vv. 73-75

Qui distorse la bocca et di fuor trasse
la lingua, come bue che 'l naso lecchi.

Moraliter, qui bestialiter vivit bestialiter moritur, et sic a Minoe ubi punitur bestialitas destinatur.

vv. 79-81

Trovai 'l duca mio ch'era salito
già su la groppa del fiero animale,
et diss'a me: «Or sie forte et ardito».

Moraliter nemo potest cum fraude et proditione pugnare, nec ipsas agnoscere nisi fraudem vel proditionem ascenderit, quia non aliter ars deluditur arte. Adhuc alia moralitas continetur in eo quod Virgilius voluit esse medius inter ipsum autorem et caudam, ad ostendendum quod si quis ratione et prudentia usus fuerit, contra fraudem ipsa fraus sibi nocere non potest. Ideo poeta:
Quicquid agis, prudenter agas et respice finem.

vv. 94-96

Ma esso, c'altra volta mi sovenne
ad altro forte,
etc.

Subvenit alias Virgilius Danti sicut patet supra cantu primo, quando in auxilium sibi venit cum de monte metu ferarum ad yma descenderet. Unde dicit ei Virgilius, cantu secundo:

d'inanz'a quella fiera ti levai
che del bel monte il corto andar ti tolse.

Et cantu octavo, quando dominus Phylippus Argenti de Adimaribus ipsum Dantem voluit in palude Stygia suffocare. Unde dicitur ibi:

perchè 'l maestro accorto lo sospinse

dicendo: «Via costà con li altri cani».

vv. 97-99

et disse: «Gerion, muoviti omai»:

Queritur hic quare sub nomine Gerionis iste autor fraudem et proditionem voluit designare. Ad quod respondi potest quod in regno Yspaniarum fuit quidam rex qui Gerio vocabatur, qui non solum fuit plenus proditionis et fraudis, sed ipsa fraus et proditio putabatur. Sub nomine itaque istius regis placuit autori fraudem poetice designare. De quo quidem rege estant apud autores diverse sententie. Quidam enim dicunt tres fuisse in Yspania Geriones; sed quia equali et pari potentia in illo regno regnabant, ideo unus Gerio dicitur a poetis. Quidam vero dicunt quod fuit tantummodo unus in Yspania Gerio, sed habebat tria capita, de quo beatus Ieronimus Contra Vigilantium ait: Triphormem Gerionem Yspanie prodiderunt. Hoc autem dicitur quia habebat tria regna, ideo tricorpor fingitur a poetis. Pastor etiam vocabatur quia multa possidebat armenta, quorum fama Hercules excitatus in olla enea, secundum fabulam, venit in Yspaniam, ipsum Gerionem occidit, et armenta omnia secum duxit, sicut dicetur in cantu XXV. In olla autem enea ideo venisse fingitur quia in navigio valde forti et ere munito contra Gerionem in Yspaniam transfetavit. Dicitur etiam quod duxit secum ad ipsum Gerionem debellandum quendam canem cum duobus capitibus; quod ideo fingitur quia duplici bello cum Gerione pugnavit, terrestri videlicet et navali.

vv. 106-111

Magior paura non credo che fosse
quando Feton abandonò i freni,
per chè il ciel, come pare, ancor si cosse;

Pheton, ut scribitur secundo Meth. fuit filius solis et Climene. Huic Phetonti fuit improperatum ab Epapho filio Iovis quod ipse Pheton non erat filius legitimus solis. Unde ipse contristatus ivit ad Climenem matrem suam, et petiit ab ea utrum esset verum quod sibi improperaverat Epaphus an non. Climene vero misit eum ad solem ut ab eo rei veritatem inquireret, mandans ei ut ad orientem accederet et antequam sol surgeret ipsum alloqueretur. Qui, ut ait Ovidius:
Venit et intravit dubitati tecta parentis,
Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus
Consistitque procul; neque enim propiora valebat
Lumina: purpurea velatus veste sedebat
In solio Phebus claris lucente smaragdis,
A dextra levaque dies et mensis et annus
Seculaque et posite spatiis equalibus hore
Verque novum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda estas et spicea serta gerebat,
Et glacialis hyems canos hyrsuta capillos.

Quem cum vidisset Phebus ait ad filium: Que tibi causa me quid in hac ait arce petisti? Ad quem filius: O lux inmensi publica mundi Phebe pater, da michi scandere et uno solo die regere currum tuum, ut sic ista via probem me esse filium tuum. Cui Phebus:

Magna petis, Pheton, et que non viribus istis

munera conveniunt nec tam puerilibus annis:

sors tua mortalis, non est mortale, quod optas.

Nate, cave, Pheton et tua corrige vota.

Non assensit Pheton monitionibus patris, sed instanter petivit ascendere currum eius. Unde Phebus, victus precibus sui nati, dat sibi currum, talia monita premittendo:

Si potes his saltem monitis parere paternis

Parce, precor, stimulis et fortius utere loris!

Nec preme nec summum molire per aera currum;

Altius egressus celestia tecta cremabis,

Inferius terras; medio tutissimus ibis.

Corripe lora manu; vel, si mutabile pectus

Est tibi, consiliis, non curribus utere nostris!

Pheton autem avidus et vagus omnino voluit ascendere currum patris.

Interea volucres Pyroys Eoys et Ethon,

Solis equi, quartusque Fleton innitibus auras

Flammigeris implent pedibus repagula pulsant.

Propter quod non valens Pheton ipsorum equorum impetum refrenare, currum doluit ascendisse. Ovidius:

Quid agat ignarus stupet et nec frena relinquit,

Nec retinere valet, nec nomina novit equorum.

Tandem vero equi tantum ascenderunt in altum quod usque ad signum Scorpionis suo impetu devenerunt, et ibi flammis accensis celestis regio concremari cepit. Tunc pater omnipotens Iupiter de celo respexit et videns celestia sic comburi, ad devotas et humiles preces terre que iam in fluviis, stagnis et lacubus sicca erat, que quidem oratio secundum Ovidium in hac sententia continetur:

Hosne michi fructus, hunc fertilitatis honorem

Officiique refers? quod adunci vulnera aratri

Rastroque ferro totoque exerceor anno,

Quod pecori frondes alimentaque mitia, fruges,

Humano generi, vobis quoque thura ministro?

Quid meruit frater? cur illi tradita sorte

Equora decrescunt et ab ethere longius absunt?

Quodsi nec fratris nec te mea gratia tangit,

At celi miserere tui! circumspice utrumque:

Fumat uterque polus! quos si violaverit ignis,

Atria vestra ruent! Athlas en ipse laborat

Vixque suis humeris candentem sustinet axem!

Si freta, si terre pereunt, si regia celi,

In chaos antiquum confundimur! eripe flammis.

Iupiter autem, non habens unde deduceret nubes nec unde induceret umbres:

Intonat et dextra libratum fulmen ab aure

Misit, in aurigam pariterque animaque rotisque

Exuit, et sevos conpescuit ignibus ignes.

At Pheton rutilos flamma populante capillos

Volvitur in preceps longo per aera tractu

Fertur, ut interdum de celo stella sereno

Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

Quem procul a patria diverso maximus orbe

Excipit Heridanus fumantiaque abluit ora.

Nayades Hesperie trifida fumantia flamma.

Corpora dant tumulo, signant quoque carmine saxum:

Hic situs est Pheton currus auriga paterni

Quem si non tenuit magnis tamen excidit ausis.

Exemplificat itaque autor et dicit quod non credit quod tantus timor invaserit Phetontem quando de curru solis cecidit, quantus invasit eum quando in aere super Gerionem se vidit. Sed visa fabula poetica, ad allegoriam utiliter transeamus. Per Phebum enim, qui deus sapientie a paganis antiquitus dicebatur, accipimus sapientiam. Iste enim Phebus generat filios sapientia illustratos. Accidit autem quod generatus filius aliquando antequam ad sapientie totalitatem accedat, currum patris scandere et regere se iudicat esse dignum, sicut quando secreta sapientie sive scientie ultra suas vires iudicare presumit. Et de isto intellectu dantur versus:
Phebus lux dicitur et Pheton dicitur inde
Sicut splendor solis filius esse datur;
Philosophi radium generat sapientia cuius
Currum deducis sed cadit inde rudis.

Vel per Phetontem accipere possumus potentes et arrogantes, qui semper appetunt altiora, sicut primus angelus qui divinitatis currum scandere attentavit, iuxta illud: In celum conscendam, super astra celi exaltabo solium meum. Sed frangit Deus omne superbum, iuxta illud Isaie: Quomodo

cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris. Et beata Maria in cantico: Deposuit potentes de sede. Et ista de causa Pheton a Iove fingitur fulminatus. Et de isto alio intellectu etiam dantur versus:
Actibus et verbis homo tu quicunque superbis
Hoc retine verbum, frangit Deus omne superbum.
per che 'l ciel, come pare ancor, si cosse;

Quando Pheton, ut fabula narrat, nescivit ducere currum solis ad alta conscendens, quedam pars celi dicitur fuisse combusta; que quidem pars via lactea sive galatia nuncupatur. De qua Ovidius, primo Meth.:
Est via sublimis celo manifesta sereno
Lactea nomen habet candore notabilis ipso.

Vulgo autem strata sancti Iacobi appellatur. Dicitur enim Galatia sive via lactea propter quandam maximam et lucidam claritatem quam habet, ut percipitur locus ille. Et istud accidit secundum quod dicunt astrologi, quia in illa parte celi sunt minutissime ac etiam spisse stelle, que adeo spisse sunt quod ibi illam talem generant claritatem. Fabulose autem dicitur quod sit illa via per quam Feton in celum deviando devenit, propter quam deviationem illa talis via dicitur fuisse cremata. Ideo ait in textu:
per che 'l ciel, come pare ancor, si cosse;
nè quando Ycaro misero le reni
sentì spennar per la scaldata cera,
gridando 'l padre a lui: «Mala via tieni!»

Quia Pasiphe regina cretensis cum tauro, notario Minois, Dedali arte artificiosa concubuit, ut dictum est superius in VII circulo, cantu XII, Minos ipsum Dedalum cum filio eius, qui Ycarus vocabatur, in laberintum inclusit. Sed Dedalus, sibi et filio impositis alis, de labirinto exivit et in Liciam transvolavit. Ante vero quam volare inciperet, dedit mandata Dedalus filio, ut 8 Meth. scribit Ovidius:
Ycare, ait, moneo, ne si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat:
Inter utrunque vola.
Sed quia Ycarus precepta patris noluit observare, dum altius quam sibi preceptum fuerat evolaret, calor solis ceram liquefecit intantum quod alis perditis, in mare decidens expiraret.

Rei autem veritas talis est: Minos, rex cretensis, Dedalum et Ycarum in laberintum inclusit; sed regina Pasiphe ipsos ambos, corruptis pecunia custodibus, relaxavit. Sed, ut Ovidius velle videtur, non de laberinto sed de insula advolavit. Unde ait:
«Clausus erat Dedalus pelago»

qui ait in se licet obstruat Minos terras et undas, tamen celum patet ibimus illo. Et licet omnia possideat, non possidet aera Minos. Sed quia de tam arduo carcere sive insula exiverunt, ideo a poetis volasse finguntur. Allegorice autem nos per Dedalum, qui fuit homo multum ingeniosus, accipimus ingenium; per filium vero eius accipimus studium; nam Dedalus ingenium et Ycarus studium interpretatur. Studium itaque si ad alta et archana Dei sive nature se voluerit elevare, frustrabitur; quia ut ait beatus Bernardus: Scrutator maiestatis a gloria comprimetur. Et ideo monet poeta: Mitte archana Dei. Si autem circa yma nostrum studium se versare voluerit, et nil de celestibus cogitare, ignorantia simul et vitio involvetur. In extremitatibus enim, secundum philosophos, stant vitia et peccata, sed virtus in medio perseverat. Et de hoc intellectu accipe istos versus:

Ycarei fati memores ex tote parati

Iussa paterna pati, medium tenuere beati.

Exemplificat itaque autor et dicit quod, quando Ycarus miser perdidit alas, non tantum timuit quantum ipse, cum super Gerionem in aere tenebroso se vidit.

vv. 115-117

Ella sen va notando lenta lenta; Ita enim lente descendebat Gerio et rotabat, quod ipse autor nec rotationem nec girationem aliqualiter sentiebat; sed quia ventus in faciem sibi flabat, ideo girationem notavit. Et etiam sentiens ventum de subtus expirantem, notavit descensionem. Ideo ait in textu:
rota et discende, ma non me n'accorgo
se non c'al viso et di sotto mi venta.

In isto XVII cantu continentur XII comparationes et VI notabilia.

[Comparationes]

vv. 16-18

PRIMA COMPARATIO.

Con più color, sommesse et sopraposte,
non fer mai drappi Tartari nè Turchi,
nè fur tai tele per Aragna imposte.

vv. 19-21

SECUNDA COMPARATIO.

Come talvolta stanno a riva i burchi,
che parte stanno in aqua et parte in terra,
et come là tra li tedeschi lurchi

vv. 22-24

TERTIA COMPARATIO.

lo bivero s'asetta a far sua guerra,
così la fiera pessima si stava,
etc.

vv. 49-51

QUARTA COMPARATIO.

non altrimenti fan di state i cani,
or col ceffo or col piè, quando son morsi
o da pulci, o da mosche, o da tafani.

vv. 73-75

QUINTA COMPARATIO.

Qui distorse la bocca et di for trasse
la lingua, come bue che 'l naso lecchi.

vv. 85-90

SEXTA COMPARATIO.

Qual è colui che sì presso à il riprezzo
de la quartana, c'à già l'unghie smorte,
et trema tutto pur guardando il rezzo,

tal mi fec'io a le parole porte;

vv. 100-102

SEPTIMA COMPARATIO.

Come la navicella esce di loco
in dietro in dietro, sì quindi si tolse;

vv. 103-105

OCTAVA COMPARATIO.

là 'v'era 'l petto, la coda rivolse,
et quella tesa, com'anguilla, mosse,

vv. 106-108

NONA COMPARATIO.

Magior paura non credo che fosse
quando Fetonte abandonò i freni,
per chè 'l ciel, come pare ancor, si cosse;

vv. 109-111

DECIMA COMPARATIO.

nè quando Ycaro misero le reni
sentì spennar per la scaldata cera,
gridando 'l padre a lui: «Mala via tieni!»

vv. 127-129

UNDECIMA COMPARATIO.

come 'l falcon ch'è stato assai su l'ali,
che sanza veder logoro o uccello,
fa dir al falconiere: «Omè, tu cali!»
etc.

vv. 133-136

DUODECIMA COMPARATIO.

si dileguò come da corda cocca.

Omnes iste comparationes sunt satis aperte et nichilominus superius explanate.

[Notabilia]

vv. 1-3

PRIMUM NOTABILE.

«Ecco la fiera con la coda aguzza,
che passa i monti et rompe i muri et l'armi!

ecco colei che tutto 'l mondo apuzza!»
Et est istud notabile exclamatio poetica contra fraudem et proditionem.

vv. 7-9

SECUNDUM NOTABILE.

Et quella sozza ymagine di froda
sen venne, et arrivò la testa e 'l busto,
ma 'n su la riva non trasse la coda.
Sepe enim fraus et proditio finem et intentionem abscondunt.

vv. 40-42

TERTIUM NOTABILE.

Li tuoi ragionamenti sian là corti;
Semper enim est laudanda moderata locutio. Frequenter enim, ut dicit beatus Ieronimus in epistula ad Augustinum, sermo in longum protractus caret intelligentia.

vv. 55-57

QUARTUM NOTABILE.

et quindi par che 'l lor occhio si pasca.
Loquitur de usurariis et avaris, qui pascuntur solummodo suam pecuniam contemplari.

vv. 88-90

QUINTUM NOTABILE.

ma vergogna mi fè le sue minacce,
che 'nnanzi a buon signor fa servo forte.
Semper est verecundia in omnibus laudanda, et spetialiter in iuvenibus et servitoribus, quia coram domino bono servum ipsa verecundia facit fortem.

vv. 97-99

SEXTUM NOTABILE.

pensa la nuova soma che tu ài.
Quia aliter portandum est balsamum et aliter lutum.

Et sic patet decimus septimus cantus prime cantice.

XVIII

INCIPIT XVIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XVIII cantu autor descendit in octavum circulum, positum sub dominio Gerionis: qui quidem octavus circulus dividitur in X malas bulgias, quarum due continentur in isto cantu. Et incipit prima ibi:
In questo luogo, de la schiena scossi
di Gerion, trovamoci,

etc. et finit ibi:

et questo basti de la prima valle

sapere,

etc.Secunda vero malabulgia incipit ibi:

Già eravam là 've lo stretto calle

con l'argine secondo s'incrocicchia,

et finit ibi:

Et quinci sian le nostre viste satie.

In prima malabulgia tractat autor de lenonibus et deceptoribus, quorum pena est quod a demonibus cornutis scopantur et verberantur. In secunda vero tractat de adulatoribus, quorum pena est quod in stercore putrido stant submersi.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-99

Postquam autor in superiori circulo, hoc est in VII, de peccato violentie quam malitiosus homo tripliciter operatur, in Deum, scilicet, proximum, et se ipsum, egregie pertractavit, nunc in isto VIII de peccato malitie et bestialitatis, prout per fraudem committitur, pertractare intendit. Sed quia fraus sive deceptio committitur X modis, ideo iste octavus circulus in quo punitur ipsa deceptio sive fraus, in X malas bulgias distinguitur ab autore. In prima nanque malabulgia ponit lenones et seductores; in secunda adulatores; in tertia symoniacos; in quarta ydolatras atque magos; in quinta barattatores; in sexta ypocritas; in septima latrones; in octava fraudulentos consiliarios; in nona scismaticos; in decima vero et ultima falsatores. Incipiens autem a prima, facit quoddam prohemium, designans situm octavi circuli, dicens: Locus est in Inferno qui dicitur Malebolge, totus petrosus in materia et ferreus in colore, sicut murus qui in circuitu vallat eum. Et in medio istius campi maligni, idest octavi circuli, est unus puteus satis largus et profundus, de quo qualiter sit ordinatus suo loco infra dicetur. Et in medio, hoc est inter altitudinem illam de qua de VII circulo cum Gerione ad infima descenderunt et puteum illum, est octavus circulus in X malasbulgias distinctus atque divisus. Et super unamquanque bulgiam, ut de una in aliam possit iri, est unus pons ferreus et petrosus. Facto prohemio, in quo situm istius octavi circuli designavit, ad primam bulgiam manum ponit, dicens, cum superiori cantu continuando, quod statim quod illa putrida fraudis ymago ipsos ad terram deposuit, Virgilius tenuit a sinistris, et autor secutus est eum. Dum autem ambo sic iuxta ripam prime bulgie pertransirent, dicit autor quod a manu dextera vidit in ista prima bulgia nova tormenta et novos tortores. Erant enim ibi in fundo nudi peccatores qui sine aliqua requie in illa fovea per circuitum decurrebant; et erant distincti isti currentes in duos ordines sive partes. Nam una pars, et isti erant lenones, veniebant iuxta ripam per quam ipse autor una cum Virgilio ambulabat. Ideo dicit in textu:
dal mezzo in qua ci venian verso 'l volto,
Alia vero pars iuxta aliam ripam ibat. Et isti erant seductores, qui quia magis quam lenones peccaverunt, ideo magis ad tormenta decurrunt. Ideo ait in textu: *di là con noi* – supple veniebant – *ma con passi magiori*. Et ponit hic autor quandam similitudinem Romanorum, ut melius ymaginari possimus quomodo illi ambulabant contra se; quam similitudinem ego ponam quando comparationes finaliter exarabo. In utrisque autem ripis dicit autor cornutos demones se vidisse, qui cum magnis ferulis illas animas crudeliter verberabant. Et tam magnos ictus cum illis ferulis illis dabant, quod illi, recepto primo ictu, iam nullus ipsorum nec secundos nec tertios expectabat. Et interim quod autor sic ibat inter illas animas sic a demonibus verberatas, unum militem de Bononia recognovit, qui

propter peccatum lenocinii quod de sorore carnali commisit, cum aliis lenonibus est damnatus. Et ad aliqualem excusationem sui dixit ille miles autori quod omnes sui concives sunt isto vitio lenocinii maculati. Et dum sic loqueretur cum Dante, unus demon qui erat in ripa ipsum percussit cum ferula sua, dicens: «Vade leno, hic non sunt femine meretrices». Autor autem illum dimittens, Virgilium est secutus, et ad quendam pontem qui operit istam primam bulgiam devenerunt. Et illum pontem leviter ascendentes, in pontis medio aliquantulum pausaverunt. Dum autem sic pausarent, dixit Virgilius ad autorem: «Facies quod istos ex ista parte alia venientes attente respicias, quorum facies, quia nobiscum venerunt, videre minime potuisti». Et dum inde respicerent illam gentem, que propter peccatum deceptionis et fraudis quod in mulieres quas deceperunt perpetrarunt, ait Virgilius ad autorem: «Respice illum magnum qui venit; et licet dolore sit plenus, tamen propter suam magnanimitatem lacrimas non expandit. Respice quantum aspectum regalem in penis etiam ipse tenet. Ille enim est Iason, qui audacia et prudentia sua magna regnum Colcorum aureo vellere spoliavit». Et ut Dantes sciret causam quare tantus homo in ista bulgia sic punitur, narrat sibi Virgilius quomodo ipse Iason decepit duas maximas mulieres, Ysiphilem videlicet et Medeam; quarum prima fuit filia regis Lempni et altera filia regis Colcorum. Unde ait: Ipse transivit per insulam Lempni postquam audaces femine omnes suos masculos morti sine pietate aliqua tradiderunt. Et ibi cum signis et verbis ornatis Ysiphilem iuvenculam tunc decepit, que omnes alias primitus deceperat mulieres. Dimisit enim eam ibi gravidam et desertam, et ideo talis culpa ad tale martirium ipsum damnat, et de Medea ibi etiam fit vindicta. Cum ipso etiam vadit qui cum tali vitio decipit mulieres. Et istud de prima valle et de istis qui ibi sunt scire sive videre sufficiat nunc ad presens.

vv. 100-136

Determinato autem peccato lenocinii et peccato deceptionis et fraudis, que duo peccata quodammodo unum sunt, et que in ista prima malabulgia condemnantur, ad secundam bulgiam, in qua punitur adulatio, dirigit autor gressus. Et dicit quod ista bulgia est multum profunda, intantum quod nisi homo pontem ascendat, nichil videre breviter potest ibi. Et ideo de primo ponte veniens ad secundum, dicit quod in fundo secunde bulgie vidit quandam gentem in vituperosa et opprobriosa pena submersam. Erat enim illa fovea stercoribus putridissimis tota plena. Et cum autor ibi inferius cum oculo scrutaretur, vidit ibi quendam cum capite sic stercoribus coopertum, quod si erat laycus sive clericus minime videbatur. Ille autem, dum se sic vidit conspici ab autore, contra ipsum exclamavit dicens: «Cur es tu ita avidus respicere me magis quam alios stercorosos?» Et Dantes ad eum: «Quia si bene recordor, iam te vidi cum capillis non madidis, immo siccis. Et es Alexius de Anterminellis de Luca; ideo te respicio plus quam omnes». Et ille tunc, percutiens sibi caput dixit: «Adulationes mee hic inferius me merserunt, ex quibus linguam nunquam habui satiatam». Post hoc autem Virgilius ostendit autori antiquam Taydam meretricem, que adulando Amasio suo dicenti: «Habeo aput te gratias magnas?» «Ingentes», inquit. Ideo ait in textu:
Tayda è, la puttana che rispose
al drudo suo quando disse: «Ò io gratie
grandi apo te?» «Anzi maravilliose!»
Et quinci sian le nostre viste satie.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Luogo è in Inferno, detto Malebolge,
tutto di pietra,
etc.

Hic incipit octavus circulus Inferni, in quo punitur malitia, sive fraus, que naturalem amorem extinguit. Ad cuius evidentiam est sciendum quod amor est duplex, scilicet naturalis et accidentalis. Naturalis amor est ille qui est et esse debet in tota natura humana, que ab omnibus diligitur et a nemine oditur; et iste talis amor spiritualem fiduciam non requirit. Accidentalis vero, sive spiritualis amor, est ille qui facit aliquem vel aliquos singulariter amari, et hoc vel propter consanguinitatem, vel propter patriam sive partem, vel propter amicitiam, vel propter recepta beneficia. Et iste talis amor fiduciam tam in amato quam in amante reponit. Contra istos itaque duos amores fraus et malitia bestialis hominis operatur; que quidem fraus, quia duplicem amorem extinguit, ideo duplicem locum obtinet in Inferno. In isto enim VIII circulo punitur fraus que facit contra primum amorem; sed quia talis fraus committitur X modis, ideo iste octavus circulus in X malasbulgias est distinctus. Fraus autem que secundum amorem extinguit, in nono et ultimo circulo condemnatur; sed quia talis fraus quatuor modis committitur, ideo nonus circulus in quatuor partes dividitur ab autore. Et de his duabus fraudibus habetur superius [XI] cantu, ibi:
La froda, ond'ogni conscientia è morsa,
può l'uom usar in colui che 'n lui fida,
et in quel che fidanza non imborsa.

Tractans autem de prima fraude, ipsam in VIII circulo collocat et distinguit, quem quidem circulum partitur in X partes, ut dictum est.
tutto di pietra et di color ferrigno,

Vult dicere hic autor quod octavus circulus, qui continet decem foveas, est totus petrosus, idest de petra factus; et ista talis petra est in colore ferrea, sicut est ille murus rotundus et altus qui in circuitu vallat eum. Unde ait in textu:

vv. 4-6

come la cerchia che d'intorno 'l volge.
Nel dricto mezzo del campo maligno
vanegia un pozzo

Dicit hic autor quod in medio illius campi maligni est unus puteus satis largus et profundus; sed quia in eo nichil a longe videtur, ideo vocat ipsum vanum.

di cui suo loco dicerà l'ordigno,

Vult hic dicere autor de isto puteo aliud, non dico ad presens, quia qualiter sit ordinatus suo loco dicetur.

vv. 7-9

Quel cinghio che rimane adunque è tondo
tra 'l pozzo e 'l piè de l'alta ripa dura,

Adhuc declarat hic autor situm octavi circuli, dicens quod sicut puteus qui est in medio est rotundus, ita illud totum quod est inter puteum et illam altam ripam, de qua descenderunt, est rotundum; et istud tale rotundum in decem foveas, que una circuit aliam, est distinctum. Ideo sequitur cum exemplo:

vv. 10-12

Quale, dove per guardia de le mura,
più et più fossi cingon li castelli,

Qualiter enim una bulgia cingat aliam, exemplificando demonstrat quod, quemadmodum pro custodia murorum plures et plures fovee castella circundant, ita in isto VIII circulo una bulgia circumdat aliam, quousque perveniatur ad puteum qui est in medio collocatus. Et quemadmodum hoc mundo, ubi sunt plures fovee circa castra, super quamlibet foveam est unus pons, ita super malasbulgias sunt pontes, qui pontes rescindunt argines atque vallos, sed puteum non transcendunt. Ideo ait in textu:
infin al pozzo che i tronca et raccogli.

vv. 19-21

In questo luogo, da la schiena scossi
di Gerion, trovamoci; e 'l poeta
tenne a sinistra, et io dietro mi mossi.

Hic incipit prima malabulgia, in qua tractat de prima deceptione et fraude quam quis in luxuria operatur. Sed quia in luxuria committitur duplex fraus, ideo isti qui in ista bulgia puniuntur in duas partes et ordines sunt distincti. Prima enim fraus, que committitur in luxuria, est illa que committitur per aliquod medium, sicut per ambaxiatam, ut puta lenones qui semper ad deceptionem ambarum partium tendunt. Quia, ut videmus, lenones pulcritudinem, venustatem, et iuventutem mulieris homini magnificant, et mulieri hominis curialitatem, liberalitatem, et nobilitatem extollunt. Secunda vero fraus, que in luxuria committitur, est illa quam quis non per medium, sed per se ipsum immediate committit, ut puta quando homo suadet mulieri ut sue consentiat voluntati, promittens ei dolose ipsam accipere in uxorem, vel ipsam nunquam derelinquere, vel sibi in omnibus providere;

sed postquam suam perfecerit voluntatem, ipsam deserit vel expellit. Qui primam fraudem committunt vocantur lenones; qui vero secundam, dicuntur deceptores. Et isti ambo in ista prima malabulgia puniuntur. Sed quia secundi magis peccare dicuntur quam primi, ideo maioribus ictibus verberantur, ut patet in textu.

vv. 25-27

dal mezzo in qua ci venian verso 'l volto,
Isti sunt lenones.
di là con noi, ma con passi magiori,
Isti sunt deceptores, qui dolose decipiunt mulieres. Et nota quod istos dicit magis ad tormenta currere quam lenones, quia maius peccatum est puellam cum deceptione habere, et postea relinquere seu expellere, quam alteri procurare. Unde Thamar, filia David, quando fuit illusa et decepta a fratre suo Amon, ait ei, ut habetur in secundo libro Regum, XIII capitulo: Maius est hoc malum quod nunc agis adversum me expellens me quam quod ante fecisti opprimens me. Et Phyllis ait ad Achillem, ut scribit Ovidius in libro Epistularum:
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria. Simplicitas digna favore fuit.
Sum decepta tuis et amans et femina verbis.

vv. 40-42

Mentr'io andava, li occhi miei in uno
furo scontrati:

Iste leno, qui in ista bulgia cognoscitur ab autore, fuit quidam nobilis miles de Bononia, qui vocatus fuit dominus Veneticus de Caccianimicis. Unde ait sibi autor infra:

vv. 49-51

se le fation che porti non son false,
Venedico se' tu Caccianimico.

Hic Venedicus ideo in ista bulgia reperitur, quia sororem suam germanam, nomine Ghisolam, Opizoni marchioni Estensi non erubuit mediante pecunia procurare. Unde, confusione et verecundia ductus, ait ad Dantem:

vv. 52-57

Mal volontier lo dico;
ma sforzami la tua chiara favella,
che mi fa sovenir del mondo antico.
I' fu' colui che la Ghisolabella
condussi a far la vollia del marchese,
come che suoni la sconcia novella.
Quasi dicat: Ego sum ille qui propriam sororem alteri procuravi, quamvis sit horridum atque turpe solummodo dicere alteri propriam lenonizare sororem. Iste est enim ille Opizo, de quo habetur supra in VII circulo, cantu XII, girone primo.

vv. 58-63

et non pur io qui piango bolognese;
Ad aliqualem sui excusationem et suorum civium abominabilem damnationem, dicit hic dominus Veneticus Danti quod non ipse solus Bononiensis propter peccatum lenocinii plangit ibi, quia in illa malabulgia sunt plures Bononienses mortui quam sint in Bononia modo vivi. Unde ait in textu:
anzi n'è questo luogo tanto pieno,
che tante lingue non son ora aprese
a dicer Sipa tra Sàvana et Reno;
Civitas Bononie sita est inter duo flumina; unum vocatur Savena, reliquum vero Renum. Bononienses vero utuntur quodam singulari vocabulo, scilicet *sipa*, et sonat in eorum lingua *sit* vel *fiat*; ut cum dicimus in latino: Sit nomen Domini benedictum, Bononienses vulgo dicunt: *Sipa lo nome di Dio benedicto*. Vult ergo autor dicere quod tot homines non sunt in Bononia

vivi, illud singulare vocabulum personantes, quot sunt Bononienses mortui in ista prima malabulgia propter peccatum lenocinii condemnati. Quod autem dicitur in textu: *tante lingue non son ora apprese / a dicer sipa*, sic intellige: Cum de sero circa crepusculum vel de nocte Bononienses cum scolaribus sibi obviant alternatim, cum volunt scire utrum sint extrinseci sive cives, unus alteri dicit: «Dic sipa». Et si fuerit cives ille qui fuerit requisitus, statim perfecte resonat illud verbum; si autem advena fuerit vel scolaris, ad pronuntiationem illius verbe capitur in instanti.
et se di ciò vuoi fede o testimonio,
rècat'a mente il nostro avaro seno.

Hic reddit dominus Veneticus veram causam propter quam Bononienses communiter sunt lenones, quia communiter sunt avari. Et ex hoc solvitur questio que fit, ex quo scilicet peccato ex septem principalibus istud peccatum lenocinii oriatur. Et patet quia ex peccato avaritie.

vv. 67-69

I' mi ragiunsi con la scorta mia;
poscia con pochi passi divenimo
là 'v'uno scoglio de la ripa uscia.

Postquam autor in ista prima malabulgia de lenonibus pertractavit, nunc in ista eadem tractat de deceptoribus, qui dolose decipiunt mulieres. Quorum peccatum ex quo ex VII principaliter oriatur, non bene clare apparet. Sed quantum ad presens, dico quod istud peccatum, scilicet decipere mulieres, aut oritur a luxuria aut ab avaritia. Nam quidam ipsas decipiunt, ut cum ipsis suas vuluptuosas expleant voluntates; quidam vero, ut ab ipsis extorqueant quicquid possunt. Et tales, ut ait Aristoteles, non luxuriosi, sed avari potius sunt censendi. Et causa est ista, quia nullum peccatum denominatur nisi a fine vel intentione. Unde beatus Ambrosius: Intentio tua operi tuo nomen imponit. Et poeta: Quicquid agant homines, intentio indicat omnes.

vv. 82-84

E 'l buon maestro, sanza mia dimanda,
mi disse: «Guarda quel grande che vene»,
etc.

Tractans autor de illis qui dolose decipiunt mulieres, inducit exemplariter poetando quendam antiquissimum regem Grecorum, nomine Iasonem, qui duas decepit maximas mulieres, Ysiphilem scilicet et Medeam, cuius deceptionis ystorie breviter iste sunt. In regno nanque Thesalie, quod quidem regnum Salonichium hodie appellatur, fuit antiquitus quidam nobilis et potens rex, nomine Peleus, pater illius bellicosissimi viri, scilicet Achillis, qui fuit fortissimus inter Grecos. Habebat autem iste Peleus fratrem germanum nomine Esonem; qui quidem Eson habuit quendam filium nomine Iasonem, iuvenem certe fortem et strenuum, ac etiam mirabiliter spetiosum. Hunc Iasonem primates Thesalie affectu mirabili diligebant, intantum quod in corde regis suspicio orta est ne Iason invaderet gubernacula regni sui. Illis autem diebus fama loquax per mundum insonuit quod in insula Colco erat quidam aries cuius vellus erat aureum, ut fame preconium perhibebat; hunc aurei velleris arietem, describit hystoria sive fabula, custoditum fuisse mirabili cura et studio dei Martis. Nam quidam boves ipsi Marti consecrati, qui ex ore flammas igneas evomebant, et quidam draco aspectu et visu terribiles, erant ad ipsius aurei velleris custodiam per artem mathematicam deputati. Si quis vero miles bellicosus et fortis vellet dictum arietem possidere, oportebat eum cum predictis bobus primo inire certamen. Et si eorum victoria potiretur, oportebat eum draconem occidere insopitum. Quibus bobus devictis et dracone necato, debebat cum illis bobus terram arare, et dentes draconis avulsos in illa terra arata protinus seminare. Ex quo semine debebant oriri quidam homines armati mirabiliter bellicosi, et cum istis similiter debebat inire certamen. Et sic oportebat eum antequam ad aureum vellus posset accedere, tria periculosa bella subire. Pelleus autem rex Thesalie, dubitans de nepote, ipsum accersivit et ait ad eum: «O fili mi, gloria regni mei, si in regno meo quod tibi de iure succedet – quia nondum natus erat Achilles – esset aureum illud vellus, quod in Colcon insula custoditur, ego reputarer et dicerer gloriosior homo mundi. Perge igitur, care nepos, cum comitiva regum et principum, quos mea magnificentia tibi dabit, et vade in Colcon, ut per te possideam quod totis desideriis concupisco». Tunc Iason sicut curialis, probus, et dulcis, non advertens fallacias sui patrui versipellis, et ad mandata regis se offert totaliter pariturum. Unde rex, corde exhyllaratus et facie, mandavit uni ingenioso artifici, qui dicebatur Argus, ut navem maximam fabricaret que Iasonem et socios transportaret. Qui, iussa complens, fecit navem que ab autore <Argos> dicta est, et eius naute <Argonaute> dicti sunt. Dicitur autem ista navis prima fuisse navis, non quod prima fuerit – nam primo multe navicule facte fuerant – sed ista fuit prima navis que cum magnis velis ad loca remota transivit. Ideo dicta est etiam <pegasea>, idest <volans>; nam sicut avis pennis per aera volat, sic navis maria velis sulcat. Unde versus: More volantis avis, volat alta per equora navis. Fabricata autem navi, Iason cum nobili procerum comitiva, Herculis qui monstra devicit, Castoris et

Pollucis, qui fuerunt reges in Grecia, Medi qui Medos condidit, Ameni qui Amenos fundavit, et aliorum quam plurium ascendit in eam. Navigans itque per mare, Iason applicuit primo ad portum troyanum, qui dicebatur tunc temporis Symenonta. Tunc Laumedon rex Troye, timens et dubitans de adventu Grecorum, ipsos inhoneste pepulit terra sua. Et ista fuit prima causa et radix illius terribilis guerre que postea inter Grecos viguit et Troyanos. Nam postquam de aureo vellere victoriam habuerunt, cum multis navibus ad portum Troye iverunt, et ibi positis de nocte insidiis, cum summo die Laumedon ad propulsandas naves ascenderet, insidie de vineis exeuntes, urbem totam edacibus flammis tradunt et ipsum Laumedontam occidunt. Filius autem eius, nomine Tros, civitatem incensam, mortuo patre in melius reparavit. Iason autem cum sociis prosequens vota sua ad quamdam insulam que Lempnos dicitur devenerunt. In hac vero insula non invenit Iason aliquem virum nisi solummodo regem, quia paulo antequam ipse Iason in insulam applicuisset mulieres Lempni omnes masculos cuiuscumque conditionis, status, vel etatis existerent una nocte interemerunt, preter Ysiphilem, que patri suo naturali dilectione commota, vitam voluit condonare. Et hoc manifeste apparet per epistulam quam scripsit ipsa Ysiphile Iasoni contra Medeam, ubi sic ait:
Prodidit illa patrem; rapui de cede Thoanta.
Deseruit Colcos; me mea Lempnos habet.

Hoc autem scelus mulieres Lempni ideo perpetrarunt, quia viri earum quodam tempore profecti ad bellum, habita victoria, cum uxoribus et filiabus hostium se carnaliter miscuerunt; et adeo dulci amore cum ipsis confederati sunt, quod postquam ad propria sunt reversi intantum suas mulieres execrati fuerunt, quod nullus voluit cum aliqua sub uno tecto iacere, vel ad unam mensam similiter manducare. Unde ipse, dolore succense, quia ut ait Ovidius: Quelibet iratis ipse dat arma dolor. Habito inter eas et deliberato consilio, una nocte omnes masculos necaverunt, preter Ysiphilem, que suo patri pepercit, ut dictum est. Ad hanc igitur insulam veniens Iason et applicans ad civitatem, inveniensque ipsam viris totaliter vacuatam, vi voluit capere civitatem. Sed mulieres Lempni, sicut scribit Statius V libro Thebaydos, portas clauserunt, muros et turres ascenderunt, et civitatem viriliter defenderunt. Videns vero Iason quod non potuisset vi armorum capere civitatem, se convertit ad dolos. Ysiphilem enim filiam regis alloquitur, et verbis dulcibus et compositis ipsam flectens, promittit sibi ipsam capere in uxorem, et omnibus mulieribus Lempni viros etiam se daturum, nec non et civitatem et insulam totam se offert legaliter defensurum. Tunc Ysiphile, nimium credula, portas aperit, Iasonem recipit, et regni totius dominium sibi tradit. Iason autem duobus annis cum ipsa remansit, tanta fuit pulcritudine sua captus; et hoc est quod ipsa scribit ei in epistula sua dicens, sicut narrat Ovidius:
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi!
Hic tibi bis estas, bisque cucurrit hyems.

Tandem, expletis duobus annis, ipsam duobus filiis gravidam dereliquit, et ad Colcon, ut dictum est, pro aureo vellere festinavit, promittens sibi se reversurum ad ipsam. Sed ipse, habita victoria de Colchis, ipsam decepit et nunquam ad ipsam est reversus. Unde ipsa hoc sibi improperat per epistulam dicens:
Tertia messis erat, cum dare vela coactus,
Implesti lacrimis talia verba tuis:
«Abstraor, Ysiphile; si dent modo fata recursus,
Vir tuus hinc abio, vir tibi semper ero».

Et infra:

Cur tua polliciti pondere verba carent?

Vir meus hinc ieras, non vir meus inde redisti.

Ideo ait autor in textu:

vv. 91-93

Ivi con segni et con parole ornate
Ysiphile ingannò, la giovinetta
che prim'avea tutte l'altre ingannate.
Hoc est dicere: Iason decepit Ysiphilem, que primo omnes alias deceperat mulieres, que contra consilium ordinatum patrem suum noluit trucidare.

Viso quomodo Ysiphile fuit decepta, ad Medeam breviter transeamus. Recedens itaque Iason ab Ysiphile, venit in regno Colcorum, in quo regno regnabat tunc temporis rex Oetes, qui liberis carens, unicam filiam, Medeam nomine, possidebat; que quamquam iam ad annos nubiles pervenisset, a puerilibus tamen annis se totam exhibuerat liberalibus disciplinis, et adeo in mathematica erat experta, ut per exorcizationes nigromanticas lucem subito vertebat in tenebras, ventos inducebat, et pluvias corruscationes generabat, et grandines ac etiam tumidos terremotus, fluviorum autem decursus per declivia loca labentes ad superiores partes refluere et redundare cogebat, hiemali etiam tempore arbores frondibus et prata floribus vestiebat, iuvenes quoque senescere, et senes iuvenescere faciebat. Hec etiam, ut credidit antiqua gentilitas, luminaria magna celi, solem scilicet atque lunam, contra naturalem ordinem faciebat subito eclipsari. Que omnia non vere sed fantastice operantibus demonibus faciebat. Hec itaque cum esset virgo nimium speciosa, vulnerata amore Iasonis docuit ipsum quomodo domaret boves Marti consecratos, qui erant ad custodiam arietis deputati. De quibus Ovidius in libro Epistularum:

Martis erant thauri plus quam per cornua sevi,
Quorum terribilis spiritus ignis erat.

et quomodo, domitis bobus atque devictis, draconem per vigilem trucidaret. Quo trucidato sive necato, docuit ipsum terram arare, dentes draconitidos seminare, armatos natos ex dentibus debellare, et sic vellus aureum transportare. Quod nil aliud hec poetica narratio sonat nisi quod rex Colcorum habebat ydolum aureum ad modum arietis fabricatum, cui ydolo fecit templum mirabile fabricari, in quo templo thesaurum recondidit infinitum. Locum autem, ne violentia capi posset, munivit foveis, muris, turribus, atque armis. Posita vero custodia et defensione visibili, adhibuit etiam et invisibilem; nam per artem magicam, in qua sua filia nimium docta erat, tales apparentes custodie ibi erunt. Iason autem multa astutia et prudentia regnum Colcorum intravit, omnia que ordinata erant ad templi et regni custodiam dissipavit atque removit, et thesaurum totum cum ydolo asportavit. Ipsam autem Medeam, cuius opere hec omnia fecerat, in uxorem accepit et secum in Greciam ipsam ducens tandem duobus filiis gravidam dereliquit, et aliam uxorem accepit. Unde ipsa Medea ipsum Iasonem de sua fallacia in quadam epistula quam scribit Ovidius increpat in hec verba:

Intrasti patrie regna beata mee

Et formosus eras, et me mea fata trahebant;

Abstulerant oculi lumina nostra tui.

Perfide sensiti? quis enim bene celat amorem?

Cur unquam Colchi magnetida vidimus Argon?

At michi plus equo? flavi placuere capilli

Et decor et lingue gratia ficta tue. Et si ego

Te non iuvassem ac etiam docuissem

Semina iecisses totidem sumpsisses et hostes

Ut caderet cultu cultor ab ipse suo

Quantum perfidie tecum scelerate perisset?

In memoria etiam habere deberes qualiter et quomodo me in templo Dyane sacramentaliter adiurasti dicens:
Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen
Per genus, et numen cuncta videntis avi,
Per triplices vultus arcanaque sacre Diane,
Et si forte aliquos gens habet ista deos –
O virgo, miserere mei, miserere meorum;
Effice me meritis tempus in omne tuum!
Quodsi forte virum non dedignare Pelasgum –
Spiritus ante meus tenues vanescat in auras
Quam thalamo nisi tu nupta sit ulla meo!

Et ad hec sacrilega iuramenta Iunonem et Dianam in testimonium invocasti dicens:
Conscia sit Iuno sacris prefecta maritis,
Et dea marmorea cuius in ede sumus!
Vidi etiam lacrimas – an pars est fraudis in illis?
Sed cito sum verbis capta puella tuis,

quod contra mandata patris amore tui tauros domui, per vigilem draconem sopivi, et ex dentibus natos milites debellavi.

Et tunc tibi, que raperes, vellera tuta dedi.

Proditus est genitor, regnum patriamque reliqui;

Munus, in exilio quod licet esse, tuli!

Virginitas facta est peregrini preda latronis;

Deficit hoc uno lictera nostra loco.

Quod facere ausa mea est, non audet scribere dextra.

Et sicut non audeo scribere ea que pro tuo amore tunc feci, ita nunc pro tua crudelitate id quod concepi faciam et non dicam. Duos enim filios, quos ipsa Medea genuerat ex Iasone, propriis manibus interfecit et ipsos patri in quodam convivio tradidit devorandos. Propter peccatum itaque deceptionis et fraudis, quod contra Medeam commisit Iason, ideo in ista prima malabulgia ponitur ab autore. Ideo ait in textu:
et di Medea ancor si fa vendetta.

vv. 100-102

Già eravam là 've lo stretto calle
con l'argine secondo s'incrocicchia,

Hic incipit secunda malabulgia, in qua autor, postquam in precedenti de lenonibus et illis qui mulieres decipiunt pertractavit, de adulatoribus sive blanditoribus poetando pertractat, ponens ipsos in putridissimis stercoribus esse mersos; et hoc ad ostendendum quantum istud peccatum feteat in naribus sapientum. Nam nullum est fere peccatum quod ita displiceat homini sapienti sicut est adulatio sive blanditio, que alio nomine a sapientibus assentatio nuncupatur. Continet autem istud peccatum maximam deceptionem et fraudem, quia nunquam in se continet veritatem. Unde legitur de quodam imperatore romano quod cum se coram suis principibus collaudaret, dicens quod omnibus bonis desiderabilibus abundaret, ac etiam peteret utrum aliquo indigeret, et omnes responderent quod nichilo indigebat, ait sibi quidam philosophus: Uno indiges, quo indigent omnes, quia de te coram te nullus loquitur veritatem. Quantum enim adulatio sit grave peccatum patet per beatum Augustinum super psalmos. Duo, inquit, sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium et adulantium. Sed plus nocet lingua adulatoris quam manus interfectoris.

Propter quod adulatores vitare debemus quadruplici ratione: Primo, quia adulatores sunt velut aucupes, animas capientes; Proverbiorum 39: Homo qui fictis loquitur verbis et blandis sermonibus amico suo, rete expandit gressibus suis. Et ideo viri sapientes contra adulatores semper stant mirabiliter celati, ne eorum fallaciis capiantur, Proverbiorum primo: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Legitur enim de quodam philosopho, nepote Platonis, quod dum quidam sibi adularetur ait: «Desine adulari, nichil enim proficies». Secundo, quia adulatores sunt sicut syrene, animas in peccatis dormire dulciter facientes; Ysaie XIII: Syrene in delubris voluptatis. Sirene sunt pisces marini habentes spetiem mulieris, que ita dulciter cantant quod nautas faciunt obdormire. Simili modo adulatores suis adulationibus homines ad se trahunt, et tanquam a dormientibus, denarios, raubas, et alia bona carpunt; contra quos Ysaie, tertio capitulo, loquitur nobis Deus: Popule meus, qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt. Sed quid faciunt sapientes, claudunt certe aures dum eorum adulationibus commendantur. Beatus Ieronimus: Nos ad patriam festinantes mortiferos syrenarum cantus surda debemus aure transire. Tertio, adulatores sunt sicut scorpiones vel apes; scorpio enim facie blanditur, sed cum cauda venenum infundit. Apes etiam mel portant in ore, sed in cauda aculeum gestant. Sic et adulatores in facie laudant, sed in absentia vituperant. Ideo tales, ut venenata animalia, sunt vitandi. Ieronimus in quadam epistula: Quis iuxta viperam somnum securus capit? Que si non percutiat, certe solicitat. Securius est enim perire non posse, quam iuxta periculum non perisse. Et Seneca: Habet suum venenum blanda oratio. Et ideo, iuxta sententiam cuiusdam doctoris: Cum sapiens laudatur in facie, flagellatur in corde.

Quarto, adulatores sunt sicut fricatores; fricant enim sermonibus blandis quem aliis modis plicare non possunt. Sicut ponit Crisostomos exemplum de tauro quem, si non possunt homines verbibus subiugare, fricant manibus eius cervicem. E contra autem, sapiens vir potius vult argui et reprehendi quam blandis sermonibus collaudari. Unde David ait in Psalmo: Corripiet me iustus in mina et increpabit me; oleum autem peccatoris, idest adulatio blanda, non inpinguet caput meum. Et Tullius in libro De Amicitia: In obsequio amicorum comitas assit; affectatio vero vitiorum adiutrix procul admoveatur. Scitum est enim illud verbum Catonis: Multo melius acerbos inimicos habere, quam eos amicos qui dulces videantur; illos verum sepe dicere, hos nunquam. Adulatores autem veritatem nunquam dicunt, et si aliquando dicunt, non causa veritatis commendande dicunt, sed ut possint placere vel aliquid extorquere. Et si placere vel extorquere non possunt, ad opprobria se convertunt. Unde legitur in istoriis Romanorum quod dum quidam adulator multum Vespasiano imperatori adulatus fuisset, et nichil ab eo accepisset, ait ille ad imperatorem: «Vulpis potest pellem sed non animum commutare». Cui ait magnificus imperator: «Huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, malefactoris penam». Et ideo Tullius, in libro De Amicitia, dicit: Nullam in amicitia pestem esse maiorem quam adulationem, blanditionem, et assentationem.

vv. 115-117

Et mentre che là giù con l'occhio cerco,
vidi un col capo sì di merda lordo,

Tractans autor de adulatoribus, duos maximos adulatores in exemplum adducit: Et primo quendam militem de Luca, qui vocabatur Alexius de Anterminellis. Iste enim isto vitio fuit mirabiliter maculatus. Unde percutiendo sibi caput, quod quidem zuccam, idest cucurbitam, nominat ipse autor, quia sicut cucurbita est levis et vacua, ita adulatores, et maxime Lucani, habent capita levia et vacua; ait ut habetur in textu:

vv. 124-126

«Qua giù m'ànno sommerso le lusinghe
ond'i' non ebbi mai la lingua stucca».
Secundo ponit quandam antiquissimam meretricem que Tayda dicebatur, que, ut scribit Terentius in suis comediis, fuit maxime adulatrix. Nam cum semel quidam suus Amasius ei diceret: «Habeo ego magnas gratias apud te?» Respondit, ut ait Terentius: «Imo ingentes», idest mirabiles. Quam responsionem redarguit Tullius in libro De Amicitia dicens: Magnas agere gratias Thais satis erat respondere <magnas>; <ingentes> inquit. Et subdit Tullius: Semper auget assentator id quod ille cuius ad voluntatem dicitur vult esse magnum. Propter peccatum igitur adulationis facit autor de ista Thayda mentionem; et ab ista omnes meretrices, quia adulatrices sunt, Thayde appellantur. Et ideo ait in textu:

vv. 133-136

Tayda è, la puttana che rispose
al drudo suo quando disse: «Ò io gratie
grandi apo te?» «Anzi maravilliose!»

Si vero queritur unde adulatio oriatur, idest ex quo ex VII peccatis mortalibus, dico quod oritur ex pusillanimitate; quia adulatores pusillanimi sunt et viles. Ideo timent dicere veritatem; pusillanimitas autem oritur ex peccato invidie, quia iuxta Salomonem, parvulum occidit invidia.

In isto XVIII cantu continentur tres comparationes et tria notabilia.

[Comparationes]

vv. 40-42

PRIMA COMPARATIO.

Quale, dove per guardia de le mura
più et più fossi cingon li castelli,
etc.

vv. 13-15

SECUNDA COMPARATIO.

et come a tai fortezze da' lor sogli
a la ripa di fuor son ponticelli,

Iste due comparationes sunt superius explanate.

vv. 28-30

TERTIA COMPARATIO.

come i Roman per l'exercito molto,
l'anno del Iubileo, su per lo ponte
ànno a passar la gente modo colto,

Comparatio talis est: Omni enim anno centesimo est Rome, ut tradit antiquorum vera relatio, non solum plena sed plenissima omnium peccatorum remissio omnibus, scilicet accedentibus ad limina beatorum apostolorum Petri et Pauli. Romani autem, propter infinitam multitudinem que illo anno Rome concurrit, talem modum super pontem Sancti Angeli gentibus transeuntibus invenerunt. Nam in utroque capite pontis positi sunt custodes, qui taliter ordinant transeuntes ex una enim banda sive latere pontis: quidam habent faciem versus castrum Sancti Angeli, quod quidem castrum est in capite pontis, et vadunt ad Sanctum Petrum; ex alia vero parte a Sancti Petri basilica venientes vadunt versus montem, qui quidem mons est ab alio capite pontis. Exemplificat itaque autor et dicit quod quemadmodum anno iubilei, dum Rome est generalis remissio omnium peccatorum, una gens vadit ad Sanctum Petrum et alia redit, sic in ista malabulgia ab una parte ibant lenones et ab alia deceptores.

Iubileus autem annus quid sit et unde dicatur breviter est videndum. Iubileus enim erat in veteri testamento quilibet annus quinquagesimus, in quo anno, secundum quod legitur in Levitico, omnis servus efficiebatur liber, omnis possessio que vendita erat, ad venditorem redibat. In isto eodem anno quiescebat terra Iudeorum, quia non arabatur nec serebatur. Debita etiam isto anno dimittebantur. Habuit autem ortum sive initium a quadam victoria quam habuit Abraam contra quattuor reges, scilicet regem Elamitarum, regem Babilonis, regem Ponti, et regem gentium; propter quam quidem victoriam omnes captivos quos ceperant illi reges, Abraam liberos abire permisit. *Iobel* enim lingua ebraica dicitur *remissio*; inde *iubileus*, idest *remissivus*. Ob hoc autem institutus est quinquagesimus annus, quia tunc erat Loth quinquaginta annorum quando ipsum de manibus regum eripuit Abraam; vel tunc erat quinquagesimus annus ex quo locutus fuerat Deus Abrahe; vel Abraam peritus astrorum in quibus etiam, secundum quosdam Zoroastem, magice artis inventorem, instruxit, noverat quod intemperies aeris que fit ex elevatis vaporibus vel depressis planetis semper versus ad L annos ad temperiem redeat. Et quod vidit fieri in astris voluit invitare in terris. Christiani autem omni anno centesimo, quia centesimus numerus est perfectior quinquagesimo, faciunt Iubileum, in quo remittuntur omnia debita peccatorum et in quo omnes qui sunt servi peccato efficiuntur liberi Deo.

[Notabilia]

vv. 37-39

PRIMUM NOTABILE.

Ai come facen lor levar le berze
a le prime percosse! già nessuno
le seconde aspectava nè le terze.

Istud est notabile curiosum, in quo ponit quod ille anime a cornuti demonibus sic scopate velocissime propter verbera decurrebant. *Berze* enim in lingua florentina pedes, sive calcaneum, prefigurat.

vv. 82-84

E 'l buon maestro, sanza mia dimanda,
mi disse: «Guarda quel grande che vene,
et per dolor non par lagrima spanda:

In hoc notabili est notandum quod magnanimi homines, sicut fuit iste Iason, propter dolores quos sustinent sive habent, lacrimas non expandunt, quia sensualitatem a qua lacrime oriuntur rationi subiciunt. Unde legitur de Catone, quod dum esset in Asia et sibi mors filii qui Rome decesserat nuntiata fuisset, mox respondit: «Satisfecit nature filius meus, quia mortalis erat». Unde Tullius de hac magnanimitate Catonis in libro De Amicitia loquens ait: Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut si quisquam sapiens est, Cato sapiens fuit. Quomodo enim, ut alia omittam, mortem filii tulit.

vv. 85-87

quant'aspecto reale ancor ritene!

Proprium est enim magnificorum virorum, quod licet a felicitate in miseriam cadant, quod mores altos non dimittunt. Nam ut manifeste videmus, multi ribaldi, quia sint filii nobilium, etiam nullo statu infimo in gestis et moribus cognoscunt.

Et sic patet XVIII cantus.

XIX

INCIPIT XVIIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XVIIII cantu autor tractat de tertia malabulgia, que incipit ibi:
Già eravamo, a la seguente tomba,

et finit ibi:

rimontò per la via onde discese.

Ponit autem in ista bulgia symoniacos, pena quorum est quod sunt deorsum capite supplantati, et plantas habent velut candelas accensas.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-39

Volens autor de symoniacis pertractare, more exclamatorio intonat contra ipsos, dicens: «O Symon mage, o miseri sequaces, qui res divinas, idest ecclesias et prebendas, que bonitate gratuita debent esse sponse Dei, vos lupi rapaces pro auro adulteramini et argento. Et ideo convenit quod pro vobis, idest contra vos, modo intonet tuba mea; quia in tertia bulgia statis». Facta vero exclamatione more poetico, dicit ipse autor, quod iam devenerat ad sequentem tumbam, idest ad tertiam bulgiam, in qua symoniaci stant sepulti; et videns eorum penam, ad Deum admiratorie se convertit, dicens: «O summa sapientia, quam admirabilis est ars tua, quam ostendis in celo, in terra, et in inferno, et quantum iuste compartitur virtus tua». Et postquam apostrophavit ad Deum, ad nos apostrophat in hunc modum, dicens: «Ego vidi illam bulgiam per costas et fundum quibusdam foraminibus totam plenam. Et quodlibet foramen erat largum uniformiter et rotundum». Et cuiusmodi forme essent, exemplificando declarat, dicens: «Non videbantur michi illa foramina ampliora neque maiora quam illa que sunt in pulcro templo mei sancti Iohannis, facta pro locis baptizantium sacerdotum; unum quorum foraminum non sunt adhuc multi anni quod ego fregi propter unum puerum qui suffocabatur in illo. Et istud sit sigillum quod omnem hominem qui esset deceptus clarificet et declaret». Postquam autem illa foramina exemplariter declaravit, ostendit quomodo et qualiter in uno quolibet foramine stat una anima cum accensis pedibus transplantata, dicens quod extra os cuiuslibet foraminis superabant, idest exibant, unius peccatoris pedes et crura usque ad nates, et totum aliud a natibus usque ad caput interius ibi stabat. Plante autem cuiuslibet peccatoris erant ita accense, quod sic fortiter palpitabant quod fregissent strambas atque ritortas. Qualiter vero illorum plante arderent, exemplificando declarat dicens, quod quemadmodum lignum vel aliud aliquod unctuosum, dum inflammatur, non statim comburitur, sed flammiger ignis lambit solummodo illam superficiem unctuosam, sic ille ignis divinus pariter et eternus lambebat pedes illorum a calcaneis usque ad punctas pedum. Exemplificatis igitur tam locis penarum quam ipsis penis, dum ipse autor universos attentissime respexisset, videns unum qui plus aliis in suo foramine torquebatur, ait ad Virgilium: «Quis est ille, o magister, qui plus quam alii sui consortes palpitando turbatur, et quem rubicundior flemma lambit?» Ad quem Virgilius: «Si tu vis quod ego te portem illuc inferius, per illam ripam que plus iacet, ab ipso scies de se et de suis tortis, idest ab ipso scies quis et que peccata commisit». Cui Dantes: «Tantum est michi pulcrum quantum tibi placet. Tu es enim dominus meus et scis etiam desideria que tacentur».

vv. 43-87

Tunc Virgilius ipsum suis brachiis dulciter apprehendit, et per illam ripam que minus est ardua ipsum portavit, usque ad illum qui sic dolorose pedum commotionibus condolebat. Cum autem Dantes applicuisset ad illum, ait: «O quicunque es qui caput tenes inversum, anima tristis sicut palus fixa, michi loquere, si tu potes». Stabat autem ipse autor iuxta illam animam sic defixam, sicut stat aliquando frater qui confessionem audit perfidi sicarii, et illa anima subito exclamavit: «Es tu istic, Bonifatius? De duobus enim annis michi est Scriptura mentita. Es tu sic tam cito illo ere satiatus atque repletus, pro quo non timuisti pulcram dominam fraudulenter auferre, et ipsam postea vituperabiliter pertractare?» Tunc autor audiens ista verba, talis est effectus, quales efficiuntur illi qui non intelligunt id quod respondetur eisdem, quasi elusi, et nesciunt respondere. Quod advertens Virgilius, mox sibi ait: «Dic sibi cito non sum ille, non sum ille quem tu credis». Et ille respondit sicut sibi a magistro fuerat imperatum. Unde ille spiritus transplantatus fortiter pedes torsit, et postea suspirando voce lugubri ait ei: «Si tu qui michi loqueris non es Bonifatius, quid ergo a me queris? Si enim tantum est tibi cure scire quis ego sum, quod tu propter hoc ripam descenderis, scias quod ego fui iam magna clamide coopertus, et vere filius urse fui, sic cupidus et avarus quod ut possem ursiculos sublimare, superius in mundo es in bursa reposui, et istud es me in isto foramine imbursavit. Subter vero caput meum sunt alii mei predecessores qui symonizando me in vita alia precesserunt per istius petre fissuras absconsi. Illuc inferius etiam ego cadam, quando veniet ille quem credebam te esse quando interrogationem subitam tibi feci. Sed plus est tempus quo pedes habeo sic

combustos, et quo steti capite sic inverso, quod ipse non stabit pedibus rubeis hic plantatus. Quia post ipsum veniet operis turpioris ex parte occidentali unus pastor sine lege, cui convenit quod me et ipsum cooperiat et excuset. Novus enim Iason erit de quo legitur in Machabeis quod sicut sibi fuit mollis Anthyocus suus rex, ita erit ei mollis ille qui Franciam modo regit».

vv. 88-133

Postquam vero ille spiritus suis dictis finem imposuisset, autor ipsum mirabiliter increpavit; sed primo facit quandam sui excusationem dicens: Ego nescio si hic fui nimis presumptuosus et audax, quod ego respondidi tantum huic metro, dicens: «Dic michi: quantum thesaurum voluit noster dominus Ihesus Christus a Sancto Petro antequam claves ecclesiasticas in sua poneret potestate? Certe non quesivit ab eo nisi <veni post me>; nec Petrus nec etiam alii apostoli acceperunt a Mathia aurum sive argentum quando sorte fuit electus ad locum quem perdidit anima prava, idest Iudas Scarioth. Et ideo hic remane; tu es enim, sicut decet, bene punitus; et custodias bene pecuniam male captam, que te fecit contra Karolum sic audacem. Et si non esset quod adhuc michi vetat reverentia summarum clavium, quas tu in vita alacri tenuisti, ego uterer verbis adhuc gravioribus, quia avaritia vestra mundum contristat, deprimendo bonos et sullevando pravos. De vobis enim pastoribus animadvertit Evangelista, quando illa que sedet super aquas meretricari cum regibus sibi fuit methaphorice in visione monstrata; illa nempe que cum VII capitibus orta est, et circa X cornua habuit argumentum quousque virtus placuit viro suo. Fecistis enim, re vera, vobis deos aureos et argenteos. Et que differentia est inter vos et ydolatras? nisi quod ipsi ydolatre adorant unum, et vos adoratis centum?» Finita vero curiosissima exprobatione quam contra symoniacos fecit autor, ad Constantinum imperatorem cum quadam admiratione pariter et dolore sua verba convertit, dicens: «Hai Constantine, quanti mali fuit mater, non tua, dico, conversio, sed illa dos quam a te recepit primus dives pater». Et interim quod autor tales notas illi spiritui decantabat, ille spiritus, sive ira sive conscientia morsus, fortiter cum ambobus pedibus se urgebat. Ideo ait in textu: «forte spingava con ambo le piote». His autem omnibus sic completis, Virgilius cum ambobus brachiis cepit Dantem, et per illam viam per quam descenderat reascendit; et ipsum non deposuit quousque super quartum pontem qui operit quartam bulgiam baiulavit. Ibique suaviter ipsum deposuit, suaviter dico propter arcum qui est adeo erectus quod esset capris verissime durus passus. Et de illo ponte unum aliud vallum vidit. Ideo ait in textu: «Indi un altro vallon mi fu scoverto».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-6

O Symon mago, o miseri seguaci
che le cose di Dio, che di bontate
deon essere spose, et voi rapaci,
etc.

Postquam autor in cantu superiori de pena lenonum, deceptorum, et adulatorum prosecutus est, nunc in isto cantu tractat de symoniacis et de pena que magis competit eis. Nam ponit eos deorsum capite, in quibusdam foraminibus sive puteolis transplantatos. Et hec pena satis correspondet peccatis eorum; ipsi enim symoniaci semper in hac vita procurant quomodo possint et qualiter in statu ecclesiastico sublimari. Et sic, sicut ipsi in hoc mundo volunt semper et appetunt altiora, ita in Inferno in infimis retruduntur; ita ut in eis illud evangelicum videatur impletum, quod Dominus comminatur dicens: Qui se exaltat humiliabitur. Tractans vero de symoniacis, facit contra eos exclamationem more poetico, dicens: «O Simon mago, o miseri seguaci», etc. Incipit autem suam exclamationem a Symone quodam mago, a quo Symone venditores et emptores ecclesiasticorum bonorum symoniaci nominantur. Dico largo modo. Stricto modo emptores dicuntur symoniaci, sed venditores geziaci, a quodam scilicet discipulo Elysei prophete nomine Gezi, qui propter pecuniam et donaria que petiit a Naman syro, quem a lepra curaverat Elyseus, effectus est leprosus ipse et semen suum, ut habetur in quarto libro Regum, V capitulo. Autor vero largo modo hic accipit symoniacos tam pro venditoribus quam pro emptoribus. Cuius Symonis ystoria talis est: Cum apostoli et discipuli Domini, sicut scribit beatus Lucas, Actuum, 8 capitulo, per Iudeam et Samariam verbum Domini predicarent, miracula facerent, homines baptizarent, et credentibus Spiritum Sanctum darent, quidam magus qui vocabatur Symon, seducens gentem Samarie, dicens se esse aliquem magum cui auscultabant omnes, a minimo usque ad maximum, dicentes: <Hic est virtus Dei que vocatur magna>, credidit Phylippo evangelizanti de regno Dei et baptizatus est. Videns autem signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. Et videns quod per impositiones manus apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: «Date et michi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum». Petrus autem dixit ei: «Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est pars neque sors tibi in sermone isto. Cor enim tuum non est erectum coram domino». Hucusque beatus Lucas.

Ab isto itaque Symone, qui Spiritum Sanctum emere voluit, omnes vendentes et ementes spiritualia karismata symoniaci appellantur. Contra hunc itaque Symonem et suos sequaces vox poetica clamat, dicens: *O Symon mago*, etc. ut supra. Sed quia hic agit autor de symoniacis, ideo circa ipsum peccatum tria breviter indagemus: primo, unde oriatur; secundo, quomodo diffiniatur; tertio, quot modis committatur. Circa primum nota quod symonia nascitur ex peccato avaritie. Nam beatus Petrus dixit Symoni mago, ut habetur Actuum VIII capitulo: Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Ille enim, et qui emit et qui vendit dona Dei, avaritia commovetur. Dicuntur autem bona spiritualia dona, quia debent donari, non vendi. Unde Dominus in Evangelio Mathei, IIII capitulo: Gratis accepistis, gratis date. Sed heu hodie impletus est ille versus Ovidii, imo potius posset dici sanctissima prophetia:
Curia pauperibus clausa est, dat census honores.

Circa secundum, nota quod istud peccatum taliter diffinitur: Symonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale vel annexum spirituali. In qua diffinitione ostenditur quod non solum actus emendi vel vendendi est symoniacus, sed etiam studiosa voluntas; et bene dicit studiosa voluntas, quia si fuerit momentanea, non est propter hoc symoniaca iudicanda. Circa tertium vero, nota quod symonia committitur tribus modis, sicut dicit beatus Gregorius super illud Ysaie, XXVIII capitulo: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Primo modo committitur symonia pecunia mediante, ut cum datur vel recipitur aliquod munus, sicut voluit dare Symon magus, et sicut recepit discipulus Elysei. Secundo modo committitur lingua, ut puta precibus, promissionibus, sive minis. Precibus dico, sicut mater filiorum Zebedei, que rogavit Christum pro filiis dicens, Mathei XX: Dic ut sedeant hii duo filii mei unus ad dexteram et aliud ad sinistram tuam. Que quia carnaliter spirituale petebat, non fuit a Domino exaudita. Promissionibus, sicut fecit Iason regi Anthyoco, qui promisit ei multa auri et argenti talenta, ut sibi sacerdotium donaretur, sicut habetur in secundo libro Machabeorum. Minis autem, sicut faciunt nobiles et magnates, qui minantur electoribus nisi ad suas eligant voluntates. Contra quos ait Dominus in Evangelio: Nolite timere eos qui occidunt corpus, etc. Tertio vero modo committitur symonia officio, quando scilicet pro beneficiis ecclesiasticis clerici se faciunt ordinari, ut de patrimonio Ihesu Christi valeant ditari et sublimari et cum prebendas ecclesiasticas vane et luxuriose consumunt, contra quos ait beatus Ieronimus: Bona pauperum pauperibus non dare sacrilegium est. Et est sacrilegium sacre rei furtum.
che le cose di Dio, che di bontate
deon essere spose, et voi rapaci
per oro et per argento avolterate,

Vult hic dicere autor quod bona Dei, que bonitate gratuita debent expendi, mali prelati tanquam lupi rapaces destruunt et corrumpunt. Vel secundum aliam licteram, mali prelati qui debent de iure et ex officio eis commisso bona spiritualia custodire, tractare, et zelare tanquam sponsas, ipsi sicut adulteri per aurum et argentum indignis et insufficientibus largiuntur. Ideo immediate subiungit:
or conven che per voi suoni la tromba;

Quasi dicat: Propter sacrilegia que in bonis spiritualibus commisistis convenit ut tuba, idest vox – subaudi poetica – intonet contra vos.

vv. 7-9

Già eravam a la seguente tomba Hic incipit tertia malabulgia et finitur in isto eodem cantu, ibi: «rimontò per la via onde discese».

vv. 10-12

O somma sapientia, quanta è l'arte
che mostri 'n cielo, in terra et nel mal mondo,
quia secundum Divinam Scripturam, omnia in sapientia facta sunt, et secundum Philosophum, ad sapientem pertinet ordinare. Et ideo autor, videns omnia que a Deo sunt sapientissime ordinata, cum quadam admiratione apostrophat, dicens quod omnia que sunt in celo, in terra, et in Inferno sunt optime ordinata.

vv. 13-15

I' vidi per le coste e per lo fondo
piena la pietra livida di fóri,
d'un largo tutti e ciascun era tondo.

Hic designat autor materiam et formam istius tertie bulge. Materiam ponit, dicens istam bulgiam de petra livida esse factam; formam vero, cum ait quod ista petra livida et obscura est, plena per costas et fundum quibusdam foraminibus uniformiter et rotundis. Et ut ista foramina

qualiter facta sint melius intelligere valeamus, facit de ipsis quandam comparationem ad illa que sunt in ecclesia beati Iohannis Baptiste de Florentia, dicens:

vv. 16-18

Non mi paren men ampi, nè magiori,
che quei che son nel mi' bel San Giovanni,
facti per luogo de' baptezatori:

Ad cuius comparationis intelligentiam clariorem, est sciendum quod in civitate Florentie est unum admirabile templum, beato Iohanni Baptiste hodie consecratum; sed antiquitus fuit Marti paganorum tempore dedicatum, sicut dictum est supra, circulo VII, girone secundo, cantu XIII. In isto autem templo sunt fontes in quibus pascali tempore pueri baptizantur; in quorum fontium circuitu sunt quatuor puteoli, in quibus stant sacerdotes et levite ad baptismatis officium deputati. Exemplificat itaque autor et dicit quod illa foramina que in ista bulgia vidit, in quibus sunt symoniaci transplantati, non sunt ampla minus nec maiora quam sint illi puteoli qui sunt in Sancto Iohanne Baptista.

vv. 19-21

l'un de li quali, ancor non è molt'anni,
rupp'io per un che dentro v'annegava:

Dum quadam die Dantes, autor istius altissime Comedie, esset in templo predicto, et pueri luderent in fontibus eiusdem templi, accidit quod unus puer ludendo, se in unum puteolum fontium illorum involveret. Cum autem brachiis et cruribus esset ibi puer implicitus, et nullo modo posset inde extrahi vel exire, Dantes ut posset puerum a morte servare, puteolum illum fregit et puerum liberavit. Sed si aliquis querat cur Dantes hanc ystoriam hic inserere voluit, taliter respondetur: quia multi se inaniter iactant de operibus alienis, virtuosorum facta sibi mendaciter ascribendo, ideo autor, ne aliquis se istam induat Comediam, more cornicule, que se pennis alienis ornavit, hoc factum hic ponere voluit, ut omnes sciant autorem huius Comedie esse Dantem qui illum puteolum dissipavit sive fregit, quod quidem factum omnibus notum fuit. Ideo sequitur in textu:
et questo sia suggel c'ogn'uomo sganni.

vv. 71-73

«Chi è colui, maestro, che si cruccia,
guizzando più che li altri suoi consorti»,
diss'io,
etc.

Videns autor animas symoniacas sic eversas, vidit inter eas unam que motu crurium magis conqueri videbatur, et quam in pedibus rubicundior flamma lambebat. Unde de ipsa certitudinem habere desiderans, ait ad Virgilium: «Quis est ille, o magister?» Cui Virgilius: «Si tu vis ut [te] portem usque ad illum, ab ipso scies de se et de suis obliquis. Iste autem fuit Nicholaus papa tertius, natione romanus, de filiis ursi». Sed hic oritur questio, scilicet quare symoniaci, et maxime Pape, habent pedes ita flamma rubicunda succensos. Respondeo: pro pede enim accipimus affectum; nam sicut corpus pede, ita anima movetur affectu. Per flammam vero accipimus caritatem, qua anima inflammatur. Et ideo in figura huius summus Pontifex calciamenta rubea gestat in pedibus, ad ostendendum quod sui affectus debent esse caritate succensi. Cum itaque symoniaci suos affectus non igne caritatis, sed cupiditatis, habeant inflammatos, ideo in Inferno a divina iustitia, que omnia ponderat equa libra, pedes et plantas taliter habeant inflammatos.

vv. 46-48

«O qual che se' che 'l di sù tien di sotto,
anima trista come pal commessa»,
comincia' io a dir, «se puoi, fa' motto».

Postquam autor a Virgilio fuit portatus ad papam Nicholaum, nesciens ipse autor quis ille esset eversus, ait ad eum: «O anima tristis, que inversa manes, si potes, loquere ad quesita». Et illa anima sic ab autore rogata, credens ipsum esse Bonifatium papam, quem secundum prophetias et oracula expectabat, subito exclamavit: «Es tu iam istic, es tu iam istic, Bonifatius?». Quasi dicat: Quomodo es tu iam ita cito mortuus? Certe quando ego in papatu vivebam, per prophetyas et oracula

tunc prescivi quod quasi decem annis in illa sede triumphare debebas. Et ecce fere modo completi sunt octo. Ideo ait in textu:

vv. 52-57

«Di parecchi anni mi mentì lo scritto.
Se' tu sì tosto di quel aver satio,
per lo qual non temesti tòrre a 'nganno
la bella donna, et poi di farne stratio?».

Credens Nicholaus Bonifatium ad inferos descendisse, in vituperium sue avaritie dixit ei: «Es tu tam cito illo ere satiatus, pro quo non timuisti fraudulenter auferre pulcram dominam, et postea ipsam inhoneste tractare?» Ista autem pulcra domina, quam dicit Nicholaus dolose Bonifatium abstulisse, dupliciter potest intelligi: primo pro Romana Ecclesia, que est mater et caput omnium ecclesiarum, de cuius pulcritudine habetur in Canticis: Pulcra es et decora filia Ierusalem. Hanc autem dominam abstulit Bonifatius multa astutia, dolo, et fraude Celestino pape, cui in papatu successit. Quod autem dicit: «et poi di farne stratio», sic intellige: Licet Bonifatius Romanam Ecclesiam gubernaret, non tamen ipsam ut sponsam Dei Unigeniti verebatur. Nam uno semel, cum esset cum cardinalibus ait: «Alii pape fecerunt miracula, sed ego faciam mirabilia». In quo quidem verbo timor Domini, qui secundum Salomonem est initium sapientie, et per quem declinat omnis homo a malo, secundum eundem inclusus non erat. Secundo modo, pro quadam magna domina comitissa, scilicet Margarita, quam ipse papa Bonifatius, avaritia ductus, ut suo posset comitatu potiri, abstulit viro suo, domino scilicet Nello de Petra, cui dicta domina nupta erat; et dedit eam in uxorem Marchioni nepoti suo. Sed postquam dicte comitisse bona omnia usurpavit, voluit ipsam reddere primo viro. Sed ipse eam renuit, eo quod dotes rehabere nequibat, dicens: «Ego nolo equam sine herba». Unde Bonifatius ipsam, ne alicui magno viro adhereret qui eam defendere posset, vinculis alligavit. Ideo Nicholaus:
«Se' tu sì tosto di quel aver satio,
per lo qual non temesti tòrre a 'nganno
la bella donna et poi di farne stratio?»

vv. 70-72

Et veramente fui figliuol de l'orsa.

Duplici modo fuit iste filius urse: primo, quia fuit de domo Ursinorum de Roma; secundo, quia fuit totus cupidus et avarus, ad modum urse. Nam ursa ita est avida comedere mel quod omnia pericula pro nichilo reputat, dum modo ipsum mel valeat degustare. Sic iste et Dei offensam et penas inferni pro nichilo reputavit, quas bene se habiturum sciebat propter vitium symonie ac etiam rapacitatis, quibus duobus vitiis in hac vita valde fuit intentus, dum modo posset fratrem, nepotes, atque consortes super omnes romanos principes exaltare. Ideo ait:
Veramente fu' filliuol de l'orsa,
cupido sì per avanzar li orsatti
che sù l'avere, et qui mi misi in borsa.

vv. 73-75

Di sotto al capo mio son li altri tracti – subaudi pape. Dicit hic Nicholaus quod omnes illi pape qui eum precesserunt symonizando sub capite suo in illa petra absconsi [sunt].

vv. 76-78

Là giù cascherò io altresì quando
verrà colui – subaudi Bonifatius

Hic satis aperte Nicholaus ostendit quod nullus suorum successorum descendit ad inferos; et hoc quia nullus symoniacus fuit; sed Bonifatium expectabat tanquam symoniacum summum. Nam inter Nicholaum et Bonifatium omnes summi pontifices sine symonia fuerunt.

vv. 79-81

Ma più è 'l tempo già che ' piè mi cossi,
et ch'i' son stato così sottosopra,
ch'ei non starà piantato co' piè rossi:

Vaticinatur hic Nicholaus et dicit quod quando Bonifatius veniet in Infernum, non stabit tanto tempore cum accensis pedibus transplantatus quanto tempore stetit ipse. Et assignat causam, dicens quod post ipsum Bonifatium fuit papa Benedictus, post Benedictum vero papa Clemens, qui Clemens ei in hoc loco succedere debebat, sicut in papatu post illos duos in hoc mundo successit. Ed ideo seguitur immediate:

vv. 82-84

chè dopo lui verrà di più lada opra,
di ver' ponente un pastor senza legge,
tal che conven che me – idest Nicholaum – et lui –
idest Bonifatium, – ricopra.

Iste pastor venturus, de quo vaticinatur hic Nicholaus tertius, fuit dominus Bertrandus archiepiscopus Burdegalensis, qui post mortem Benedicti fuit factus summus Pontifex in hunc modum: Dum enim Romana Ecclesia post mortem dicti Benedicti vacaret, dictus archiepiscopus Burdegalensis composuit cum Phylippo rege Francorum, quod si sibi Romanum Pontificium cum cardinalibus procuraret, quod ipse faceret dicto regi omnia que sibi essent placita atque grata. Inter alia vero que sibi promisit fuerunt VII: Primum fuit quod promisit sibi Romanam Curiam de Ytalia extrahere et in partibus ultramontanis sub tyrannide dicti regis facere residere. Secundum, ad petitionem dicti regis creare duodecim cardinales. Tertium, ordinem Templariorum deponere. Quartum, magistrum Templi et Templarios igni tanquam hereticos et ydolatras condemnare. Quintum, omnes possessiones et bona Templariorum ipsi regi tribuere et regno Francie perpetuo confiscare. Sextum, decimam omnium ecclesiarum et bonorum ecclesiasticorum et regnorum et provinciarum Alamanie, Anglie, Ispanie, et Francie dicto regi per X annorum spatium condonare. Septimum, corpus pape Bonifatii tanquam hereticum concremare. Tunc ipse rex Phylippus suos ambaxiatores Perusium, ubi erat Romana Curia, cardinalibus destinavit, cum quibus taliter fecit quod dominus Bertrandus archiepiscopus Burdegalensis summus pontifex efficitur et Clemens vocatur. Factus autem Papa, omnia que regi promisit et multa alia, preter septimum, quia illud implere non potuit, adimplevit. Optime ergo dicit Nicholaus vocans ipsum pastorem sine lege: Nam sine lege intravit, sine lege vixit, et sic, secundum Apostulum, sine lege damnatus de hac vita migravit. Quod enim sine lege intraverit, patet quia symoniace papatum emit a rege Francie. Quod sine lege vixerit, universo mundo patet quomodo et qualiter Ecclesiam tyrannice rexit, luxoriose vixit, et guerram maxime per Ytaliam seminavit; finis autem suus veridice scitur quomodo cum esset gravi infirmitate gravatus, beatis apostolis Petro et Paulo vovit quod si sibi sanitatem restituerent, quod Romanam Curiam Romam reduceret sine mora. Recepta vero a Deo misericorditer sanitate, ipsa abutens in sui damnationem votum taliter adimplevit, quod sicut debebat ire versus Romam, versus Galliam se direxit. In quo itinere, dum esset serenitas summa, facta est tempestas venti, pluvie, grandinis, tonitruorum et fulminum ita grandis, quod omnes milites et pedites illum in itinere reliquerunt. Sed post modicum, tranquillitate reversa, reversi sunt milites qui ad ipsius erant custodiam deputati. Et invenerunt dictum papam de suo curru in terram a fulmine sic deiectum, quod nec vere vivus nec vere mortuus apparebat. Quem cum ad proximam villam duxissent, in nocte spiritum exalavit. Quod autem in textu dicitur: *lo qual conven che me et lui ricopra*, duobus modis intelligi potest. Primus est iste: Tanta et talia mala faciet pastor iste, quod mala que nos duo, scilicet ego Nicholaus et Bonifatius fecimus, quasi pro nichilo videbuntur. Secundus vero modus est iste: Iste enim Clemens me Nicholaum et Bonifatium cooperiet in Inferno.

vv. 85-87

Novo Iasón sarà, di cui si legge
ne' Machabei; et com'a quel fu molle
suo re, così fia lui chi Francia regge.

Sicut secundo libro Machabeorum Divina Pagina manifestat, fuit in Ierusalem quidam sacerdos nomine Iason, qui summum sacerdotium ambiens, ivit ad regem Anthiocum, promittens ei argenti talenta trecenta et sexaginta, et ex redditibus talenta octingenta, si sibi sacerdotium regia autoritate daretur. Insuper promisit ei alia centum quinquaginta talenta si sibi concederet edificare in Ierusalem gignasium et ephebiam. Est autem gignasium locus ubi addiscitur ludus palestre, in quo ludo Hercules adoratur. Ephebia vero est lupanar puerorum, que quidem duo Deus vetuit super omnia filiis Israel. Que quidem omnia cum rex annuisset et Iason principatum obtinuisset, ut dicunt Hebrei, ignis sanctus qui vigiter in altari ardebat, quique duraverat a tempore Moysi usque ad tempora illa, statim extinctus est. Vocat itaque Nicholaus papam Clementem novum Iasonem, quia sicut Iasoni rex Anthyocus fuit mollis, idest flexibilis ad vendendum sacerdotium, ita Clementi fuit flexibilis rex Phylippus ad vendendum papatum, sicut glosa superior manifestat. Quia vero hic fit mentio de talento, videamus quid sit talentum, et quot sunt genera talentorum. Talentum enim, secundum Ysidorum, XVI libro Eth., est mensura sive pondus septuaginta duarum librarum, sicut Plautus ostendit, qui ait duo talenta esse centum quadraginta quatuor librarum. Est autem triplex

talentum, scilicet minus, medium, et summum. Minus constat ex quinquaginta libris; medium ex septuaginta duabus, et istud est aput Romanos; summum vero ex centum viginti.

vv. 97-99

et guarda ben la mal tolta moneta,
ch'esser ti fece contra Carlo ardito.
Mala moneta, que Nicholaum papam contra regem Karolum effecit audacem, tripliciter accipitur in hoc loco. Primo modo accipitur sic: Maxime divitie quas in papatu habuit Nicholaus, ipsum ad tantam superbiam et audaciam induxerunt, quod non erubuit filiam regis pro nepote suo petere in uxorem, cuius petitioni rex nullo modo voluit assentire. Secundo modo accipitur sic: Cum rex Karolus regnum Sicilie invasisset et omnibus Siculis gravis esset, papa Nicholaus, propter pecuniam quam habuit ab imperatore Constantinopolitano, regnum Sicilie Petro regi Aragonum invadere et capere occulte permisit. Tertio modo accipitur sic: Cum quadam vice Karolus esset Rome, Nicholaus ab inimicis regis accepta pecunia ipsi regi mandavit quod antequam sol occumberet, de Roma exiret et pontem Ciperanum transiret. Iste Karolus fuit primo comes Provincie et postea rex Sicilie, qui Corradinum imperatorem electum una cum duce Austrie et comite Gerardo de Pisis decapitavit.

vv. 106-108

Di voi pastor s'accorse il Vangelista,
quando colei che siede sovra l'aque
puttanegiar coi regi a lui fu vista;

Hic contra malos prelatos invehit autor dicens: *Di voi pastori*. Non dicit de Ecclesia, quia Ecclesia semper est bona, sed de pastoribus qui aliquando mali sunt vel esse possunt: *s'accorse il Vangelista, quando colei* etc., ubi advertendum est, quod beatus Iohannes Evangelista vidit unam visionem que in XVII Apocalipsis capitulo continetur, que talis est: Vidit enim unam mulierem sedentem super aquas, que habebat poculum aureum in manu sua plenum abominatione, et immunditia fornicationis eius; et in fronte habebat scriptum istud nomen: «Babillon magna mater fornicationum et abominationum terre». Et erat ebria de sanguine sanctorum; et cum ea fornicabantur reges terre. Ista mulier signat malos prelatos, que ideo meretrix dicitur, quia, relicto Deo qui est verus sponsus anime, dyabolo adultero per diversa peccata et specialiter per avaritiam copulatur, quod iniquius malus prelatus operari non potest. Ecclesiasticus X: Nichil iniquius quam amare pecuniam. Super aquas vero sedere dicitur, quia prelati in delitiis requiescunt. Habet autem poculum aureum in manu sua plenum abominatione, quia mala subditis exempla propinant. Quod autem in fronte habet scriptum «Babilon magna», nil aliud est nisi quia mali prelati sunt confusiones subditorum; nam Babillon <confusio> interpretatur. Mater vero fornicationum dicitur, quia omnia mala a malis oriuntur prelatis. Sed quid vult dicere quod erat ebria de sanguine sanctorum et quod fornicabatur cum regibus terre, nisi quia mali prelati bonos opprimunt, expellunt, et persequuntur, et malos promovent, fovent, et sublimare procurant? Nam, ut manifeste videmus, ista meretrix, que malos prelatos significat, guerram seminat, discordiam amat, rem publicam conculcat, et tyrannos promovet et exaltat. Verum enim sponsum suum, qui eam de suo latere in cruce formavit, vel imperatorem qui eam bonis temporalibus et magnis honoribus sublimavit, tanquam meretrix fugit, et nunc illi regi, nunc illi iniqua et adultera amicitia copulatur.

vv. 109-111

quella che con le sette teste naque,
et a le diece corna ebb'argomento,
fin che virtute al su' marito piaque.
Hic vult ostendere sacramentaliter autor quo tempore et quando facta est Romana Ecclesia, idest prelati Ecclesie meretrix, unam aliam visionem ponendo, que in predicto Apocalipsis capitulo declaratur, ubi sic dicitur: Et abstulit me angelus in desertum in spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemie, habentem capita VII et cornua X. Ista mulier signat malos prelatos, qui dicuntur *mulier* propter mollitiem et deceptionem. Mulier enim dicitur quasi *mollier* a *mollitie*, cuius natura est hominem decipere et ad luxuriam provocare. Sic mali prelati suos subditos per mala exempla effeminant, per ypocrisim decipiunt, et ad bona carnalia et delectabilia per vite mollitiem trahunt. Tunc autem ista mulier super bestiam coccineam fuit posita ad sedendum quando mali prelati romane urbis dominium susceperunt. Que quidem urbs dicitur bestia, quia quando Romani Deum non cognoscebant, bestias adorabant; sicut quando Esculapium in forma serpentis et Iovem in forma arietis excolebant. Coccinea vero, idest rubicunda, dicitur propter sanguinem innumerabilium martyrum quem fuderunt. Quod autem ibidem dicitur, quod erat plena nominibus blasphemie, nichil aliud est nisi quia Deum, dum adorabant ydola, blasphemabant. Habet autem ista bestia VII capita et X cornua. Septem enim capita ideo habere dicitur, quia ipsa

Roma VII montes continet intra muros. Unde sibi dicitur per prophetam: «Ve tibi, civitas septicollis». Et Virgilius in Georgicis:
Septem uno sibi muro circundedit arces.

Per decem autem cornua possumus accipere universale ipsorum Romanorum dominium quod per universam mundi machinam habuerunt: per decem enim, in quo universitas numeri continetur, quia supra decem nullus est numerus, universale dominium designatur. Unde circa finem mundi, ut habetur in Daniele et Apocalipsi atque Sibilla, in X regna Romanorum imperium dividetur. Tunc autem ista mulier meretrix supra bestiam sanguinolentam que habet VII capita et decem cornua sedit, quando bona temporalia tanquam venenum in Ecclesia sunt diffusa. Unde dicitur quod illa die qua Constantinus Augustus Romanam Ecclesiam in temporalibus sublimavit, et romane urbis dominam fecit, quod audite sunt voces de celo. «Heu heu, hodie diffusum est venenum in ecclesiam». Vult itaque dicere autor, quod quando fuit Romana Ecclesia in temporalibus sublimata, quod tunc nata est cum VII capitibus, quia posita fuit domina alme urbis, que ut dictum est septem montes continet intra muros. Ideo ait in textu:
quella che con le sette teste naque,

Quod autem sequitur:

et a le diece corna ebe argomento,

fin che virtute al su' marito piaque,

sic intelligendum est: quousque boni et sancti prelati in romana sede sederunt, bona temporalia sive dominia, que per X cornua figurantur, optime gubernarunt; et contra ipsa cornua ipsam Romanam Ecclesiam impugnantia, secundum Deum viriliter restiterunt. Sed quando in dicta sede mali prelati sederunt, bona ipsa temporalia sive divina, que eis ab imperio sunt concessa, male rexerunt, et contra impugnationem tyrannorum resistere secundum Deum minime valuerunt; et hoc quia secundum virtutes vivere noluerunt. Ideo ait in textu:

fin che virtute al su' marito piaque,

idest quousque placuit virtus prelato qui est sponsus Ecclesie erga X cornua optime se rexerunt.

vv. 112-114

Facto v'avete dio d'oro et d'argento;

Secundum beatum Augustinum, illud ab homine colitur quod pre ceteris diligitur. Prelati enim avari et maxime symoniaci, qui amore pecunie spiritualia bona vel vendunt vel emunt, manifeste, ut experientia manifestat, magis temporalia quam spiritualia diligere comprobantur. Unde convincuntur, secundum eundem doctorem, pecuniam adorare. Et ideo autor comparatione ydolatrarum eos condemnat, interrogative Nicholao pape petendo: «Que differentia est inter vos et ydolatras, nisi quod illi unum et vos centum simulacra adoratis?» Quasi dicat: Ydolatre, ut sunt Saraceni, Tartari, et alie gentium nationes, adorant unum deum, quia quelibet secta adorat suum deum. Sed vos symoniaci, cupidi et avari, tot deos adoratis quot symoniace recipitis sive datis. Ideo magis quam illi in hoc mundo detestandi, et in alio extitis puniendi.

vv. 115-117

«Ai, Costantin, di quanto mal fu matre,
non la tua conversion, ma quella dote

che da te prese 'l primo ricco patre!».

Pia exclamatione autor invehit in Constantinum, dicens: Non tua conversio fuit mater tanti mali, sed illa dos quam a te recepit primus dives pater, idest beatus Silvester, cui primo bona temporalia ab ipso imperio sunt concessa; propter quam dotem Romana Ecclesia, quia male utitur ipsa, in Apocalypsi, ut dictum est, meretrix nominatur. Dotes autem quibus Constantinus Sanctam Romanam Ecclesiam tanquam magnificus et munificus sponsus dotavit sunt iste: primo nanque die quo in urbe romana a beato Silvestro baptisma suscepit, in quo quidem baptismo splendor quidam mirabilis super eum emicuit, ibique Ihesum suam lepram mundantem se vidisse asseruit, hanc legem per universum romanum Imperium observandam instituit ut Christus, qui eum a lepra mundaverat, ab universa urbe et universo orbe tanquam verus Deus creator et redemptor omnium coleretur. Secunda die hanc legem sacratissimam dedit, ut si quis Christum blasphemasset capite puniretur. Tertia, ut quicunque paganus alicui christiano iniuriam facere attemptaret, dimidia parte suorum bonorum omnium privaretur. Quarta, ut sicut imperator romanus est caput et princeps omnium regum et principum orbis terre, sic romanus pontifex caput ab universis episcopis et ecclesiis habetur. Quinta, ut quicunque malefactor ad ecclesias christianas confugerit, ab omnibus curiis servetur immunis. Sexta, ut nullus nisi de licentia sui antistitis ecclesiam edificet vel altare intra muros breviter civitatis cuiuscunque. Septima, ut ad edificationem ecclesiarum decime possessionum regalium tribuantur. Octava, ipse christianissimus imperator ad locum ubi iacebat corpus beati Petri apostoli accessit, ibique de suis culpis se lamentabiliter accusavit. Postmodum, accepto bidente, ad fundamentum basilice construende terram primus aperuit, et in suis scapulis in honorem XII apostolorum XII cophinos foras iecit. Privilegia etiam tributa et vectigalia et possessiones magnificas ipsi Ecclesie Romane concessit. Fabricavit etiam multas ecclesias in urbe et spetialiter istas: ecclesiam lateranensem, que est episcopium urbis et orbis, in honorem Christi Domini Salvatoris, iuxta quam edificavit baptismum in quo fuit a lepra mundatus; et ab ipso baptismo ecclesia lateranensis Sanctus Iohannes ad Lateranum vulgariter nominatur; ecclesiam Sancti Petri extra urbem, que est de episcopatu portuensi; ecclesiam Sancti Pauli, similiter extra urbem, que est de episcopatu hostiensi; ecclesiam Sancti Laurentii, que dicitur foris muros; ecclesiam Sanctorum Marcellini et Petri, ubi mater sua, Sancta scilicet Elena, est sepulta; ecclesiam Sancte Agnetis, etiam extra muros, ubi sua filia beata Constantia sibi ma[u]soleum fabricavit, in quo ipsa una cum beata Artemia et Athica requiescit. Infra muros vero fecit unam basilicam in honorem Sancte Crucis et aliam in honorem XII Apostolorum, et iste sunt maiores et digniores ecclesie urbis.

vv. 118-120

Et mentr'io li cantava cotai note,
o ira o conscientia che 'l mordesse,
forte spingava con ambo le piote.

Duabus de causis homo a suo statu quieto sive pacato subito commovetur: prima causa est ira, que secundum Damascenum est accensio sanguinis circa cor, et secundum Philosophum est appetitus vindicte; et utrumque membra quieta commovet et conturbat. Secunda est remorsus conscientie, que secundum Ysaiam, est vermis qui nunquam moritur, sed semper intima cordis rodit. Et ideo videns autor quod papa Nicholaus plus solito pedibus se vergebat, ait: Interim quod ego sibi talia decantabam, ipse, aut ira aut conscientia motus, cum ambobus pedibus fortiter se movebat, more dico ludentium; homo enim quando manibus ludit, hac illacque brachia manusque commutat. Sic ille spiritus transplantatus cruribus et pedibus se movebat, sicut soliti sunt ludentes brachia manusque movere. Ideo ait in textu:
forte spingava con ambo le piote.
Ista enim duo vocabula, *spingava* scilicet et *piote*, sunt vocabula florentina; unum verbum, reliquum vero nomen. *Spingabat*, idest <ludebat>; *con le piote*, idest <cum pedibus>.

vv. 121-123

I' credo ben c'al mio duca piacesse,
con sì contenta labia sempre attese
lo suon de le parole vere espresse.

Dicit hic autor quod Virgilius ostendit in facie quod verba que ipse autor contra symoniacos est locutus sibi optime placuerunt, et hoc quia fuerunt vera ea que dixit, et aperte et expresse probata. Istud vero vocabulum, scilicet *labbia*, est ydioma Tuscorum et tantum valet quantum <apparentia faciei>. Unde quando gratiosam faciem alicuius hominis volumus commendare dicimus: «Questi à una bella labia». Et ad probationem quod ea que dixit Virgilio placuerunt, dicit ipse autor quod Virgilius cum ambobus brachiis eum cepit, et per illam ripam per quam descenderat reascendit. Nec eum deposuit quousque ipsum super pontem qui est super quartam bulgiam baiulavit; ibique suaviter eum posuit, unde potest quarta fovea contemplari. Ideo ait:
Indi un altro vallon mi fu scoperto.

In isto XVIIII cantu continentur quatuor comparationes et totidem notabilia et tria vaticinia.

[Comparationes]

vv. 16-18

PRIMA COMPARATIO.

Non mi paren men ampi nè magiori
che quei che son nel mio bel San Giovanni,
fatti per luogo de' battezatori;
Lictera plana est.

vv. 28-30

SECUNDA COMPARATIO.

Qual suole il fiammegiar de le cose unte
muoversi pur sù per la strema buccia,
tal era lì da' calcagni a le punte.

Comparatio talis est: Sicut quando aliquod unctuosum accenditur vel crematur, non statim comburitur, sed flammiger ignis lambit primo illam superficiem unctuosam, sic ille anime transplantate in pedibus, hoc est per planitiem pedis a pollice usque ad calcaneum habent illam talem superficiem inflammatam.

vv. 49-51

TERTIA COMPARATIO.

Io stava come 'l frate che confessa
lo perfido assessin, che, poi ch'è fitto,
richiama lui,
etc.

Vult hic dicere autor quod ipse stabat iuxta illam animam sic eversa, sicut est solitus stare frater qui audit confessionem perfidi assessini. Et illa anima que stabat eversa, ita loquebatur et respondebat autori quemadmodum assessinus suo loquitur confessori, qui postquam est infixus in terra clamat ad eum, et hoc quia mortem refugit quantum potest.

vv. 58-60

QUARTA COMPARATIO.

Tal mi fec'io, qua' son color che stanno,
per non intender ciò ch'è lor risposto,
quasi scornati, et risponder non sanno.

Sepe sepius accidit quod quando quis cum alio loquitur, quod responsionem sibi factam non intelligit: et tunc stupor sive pudor invadit eum, que quidem due passiones causant taciturnitatem in homine; et ideo stat stupidus, et respondere non potest. Simili modo, dum Dantes cum illo spiritu loqueretur, quia responsionem sibi factam non intellexit, ideo pudore sive stupore percussus obmutuit. Sed nota quod differentia est inter pudorem et stuporem. Pudor enim, sive verecundia, causatur in homine quando manifestatur in eo aliquid quod vellet celari, sicut quando in adulterio comprehenditur sive furto, et tunc ex tali verecundia omnia membra moventur suo modo ad facinus occultandum: quia oculi deprimuntur, facies avertitur, et ex tali verecundia coloratur. Et ratio est, quia sanguis currit ad faciem ad illam verecundiam expellendam. Lingua etiam, ne aliquid indicet, colligatur. Stupor autem est passio subito perturbans. Et ideo stupet homo in subitis, de quibus ymaginationem primitus non habebat, et tunc efficitur pallidus in facie. Et ratio est quia sanguis, sentiens timorem sive tremorem in corde, totus fugit illuc ad ipsum corroborandum et confortandum.

Ista quidem talis passio invadit aliquando etiam milites bellicosos. Unde Ieronimus ad Augustinum: Fortissimos quosque milites subita bella conturbant, et ante coguntur fugere quam arma corripere. Que autem istarum duarum passionum sit peior, secundum Boetium dicitur esse stupor; et ratio est quia verecundia oritur ab exteriori, stupor autem ab interiori. Et ideo Philosophia, primo libro De Consolatione, Boetium increpans ait: «Quid taces? Pudore an stupore siluisti? Mallem pudore, sed te ut video stupor oppressit».

[Notabilia]

vv. 37-39

PRIMUM NOTABILE.

«Tanto m'è bel, quant'a te piace:
tu se' signore, et sai ch'i' non mi parto
dal tu' volere, et sai quel che si tace».

In hoc notabili commendatur discipulus pariter et magister; discipulus, in eo quod que beneplacita sunt magistro, beneplacita sunt et sibi; magister, in eo quod non solum intelligit ea que sibi a discipulo proponuntur, sed etiam ea que, vel propter timorem, vel propter ignorantiam, occultantur. Multa enim in corde absconsa tenemus, que propter timorem sive verecundiam propalare veremur, vel propter ignorantiam manifestare nescimus. Ille igitur prudentissimus est auditor qui non solum intelligit id quod audit, sed considerat etiam id quod occultatur in corde.

vv. 88-96

SECUNDUM NOTABILE.

«De, or mi di': quanto tesoro volle
Nostro Signore in pria da sancto Pietro
ch'e' li ponesse le chiavi in balìa?
Certo no' i chiese se non <Vienmi retro>.
Nè Pier nè li altri tolsero a Mathia
oro o argento, quando fu sortito
al luogo che perdè l'anima ria.

Verba sunt Dantis contra prelatos symoniacos et avaros; in quibus verbis condemnat prelatos qui tenent in mundo locum Christi et Apostolorum, sed eorum vitam minime imitantur. Et adducit hic contra eos duo gloriosa exempla. Primum est exemplum Christi, qui, quando dedit beato Petro apostolo claves regni celorum, non petivit ab eo nisi solummodo *Veni post me*, idest imitare vitam meam. Secundum exemplum est Apostolorum, qui quando beatum Mathiam loco Iude in apostolum elegerunt, nec aurum nec argentum ab eo protinus acceperunt, nec etiam petiverunt.

vv. 100-105

TERTIUM NOTABILE.

Et se non fosse c'ancor lo mi vieta
la reverentia de le somme chiavi
che tu tenesti ne la vita lieta,
io userei parole ancor più gravi;
chè la vostra avaritia il mondo attrista,
calcando i buoni et sollevando i pravi.

In hoc notabili admonet nos hic autor, quod licet symoniacam perfidiam detestari et tanquam detestandam fugere debeamus, nichilominus, propter reverentiam summarum clavium que nobis celum aperiunt atque claudunt, ipsos prelatos sustinere debemus; non propter ipsos, quia digni sunt morte, sed propter claves, quibus etiam in malis prelatis revereri debemus. Unde habetur in iure, de excomunicatione que virtute clavium fulminatur, quod sive sit iusta sive iniusta, timenda est.

vv. 115-117

QUARTUM NOTABILE.

«Ai, Costantin, di quanto mal fu matre,
non la tua conversion, ma quella dote
che da te prese 'l primo ricco patre!»

In hoc notabili demonstratur quod multa bona possunt fieri bona intentione, que propter malum finem bona non sunt. Dotes autem quas Constantinus Augustus Ecclesie Romane concessit fuerunt bone, quia Deo et Ecclesie date et bona intentione donate, ut scilicet Deus laudaretur et Ecclesia honoraretur, et clerici et pauperes inde sustentarentur. Sed mali prelati finem alium invenerunt, quia de ipsis bonis nec Deus laudatur, immo potius blasphematur, nec Ecclesia honoratur, immo potius vituperatur, quia ut habetur infra, in secunda cantica cantu [XVI]: *cade nel fango, et sè brutta et la soma*. Nec etiam clerici et pauperes inde sustentantur, immo ribaldi, histriones, ioculatores, aves et canes, consanguinei et nepotes foventur, nutriuntur atque ditantur. Et de patrimonio Ihesu Christi ipse Christus in suo clerico sive paupere nichil habet.

Vaticin[i]a vero sunt superius declarata.

Et sic patet XVIIII cantus.

XX

INCIPIT XX CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XX cantu autor tractat de quarta bulgia, que incepit in precedenti cantu, ibi:
sì men portò sovra 'l colmo dell'arco
che dal quarto al quinto argine è tragetto.

et finit in isto cantu, ibi:

Ma vienn'omai, chè già tiene 'l confine

d'amendue li emisperi,

etc.

Ponit autem in ista bulgia maleficos, veneficos, ydolatras atque magos, et omnes illos qui in sortilegio student, sicut illi qui cum incantationibus, herbis, ymaginibus, vel sacris rebus divinant vel maleficia faciunt; quorum pena est vultus retro habere, et per penas retrorso calle transire.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-3

Residens supra pontem quarte bulgie ipse autor, et attente considerans ea que continebantur in ipsa, admiratione multa simul et pietate repletus, volens narrare que vidit, facit quoddam preambulum, dicens: De nova pena michi convenit carmina fabricare et dare materiam XX cantui qui in prima cantica continetur, que tractat de illis, scilicet animabus, que sunt in Inferno submerse.

vv. 4-60

Facto vero preambulo, ad narrationem earum que vidit dirigit stilum suum, dicens: Ego eram iam totus dispositus ad istam quartam bulgiam contemplandam, que planctu flebili rigabatur. Et vidi per illam foveam sic rotundam quandam gentem que tacendo et lacrimando illo passu incedebat et modo quo soliti sunt clerici letanias cum populo celebrare. Designato quomodo et qualiter per penosa loca

incedunt, eorum penam poetando declarat, dicens quod iste anime, que in ista bulgia puniuntur, habent facies retroversas, et sic facie renibus et calcaneis antevadunt; pedes autem, ventres et pectora post se trahunt. Et ut istam penam melius intelligere valeamus, facit hic quandam comparationem, dicens: Forte per violentiam paralisis iam aliquis fuit taliter revolutus, sed ego nunquam talem revolutionem vidi, nec credo talem unquam alicui accidisse. Et quia totus erat ipse autor erga istos pietate commotus, ad quemcunque qui hanc legerit visionem apostrophat in hunc modum: «Si Deus tibi permittat, o lector, fructum de tua capere lectione, cogita per te ipsum quomodo ego poteram a lacrimis abstinere, quando nostram ymaginem vidi de prope sic retortam, quod fletus oculorum nates, non pectora, balneabat». Cuius lacrimas Virgilius videns, ipsum increpans ait: «Adhuc es tu de numero aliorum cecorum; in isto enim loco tunc pietas vivit quando est bene mortua. Quis est sceleratior illo qui erga divina iudicia compassione movetur? Erige caput, erige et respice illum cui in oculis Thebanorum terra se aperuit et ipsum absorbuit». Et tunc ostendit sibi antiquissimos quosdam augures et divinatores. Et primo Amphyoraum sacerdotem Apolinis, qui fuit unus ex VII regibus qui Thebas obsederunt, in qua obsidione fuit deglutitus a terra; secundo Tyresiam, augurem Thebanorum; tertio Arontam, aruspicem Latinorum; quarto ostendit sibi quandam mulierem thebanam que dicebatur Manto, que fuit filia supradicti Tyresie. Et in isto passu narrat autori Virgilius edificationem sue Mantue civitatis, dicens: «Ista Manto, postquam pater suus, scilicet Tyresias, de hac vita exivit, et sua civitas thebana, que Bacci civitas dicebatur, in servitutem a libertate devenit, longo tempore per mundum peregrinata est. Tandem, cum per Ytaliam transitum faceret in illa provincia que hodie dicitur Lombardia, que ante Liguria dicebatur, videns in medio cuiusdam pantani aliqualem planitiem terre sicce, ibi ad habitandum se posuit».

vv. 61-114

Qualiter autem et unde illud oriatur pantanum, declarat adiungens: In Ytalia enim pulcra iacet unus lacus ad pedes Alpium que claudunt Alamaniam, supra quendam comitatum qui dicitur Tyralli, qui quidem lacus Benacus antiquitus dicebatur. Et ad commendationem aque dicti lacus dicit quod credit quod plus quam ex mille fontibus procedat sive scaturiat illa aqua inter Gardam, Valcamonicam et Peninum. Et in medio dicti lacus est quedam parva insula que est de iurisdictione trium episcoporum ipsius provincie Lombardie, scilicet Tridentini, Brixiensis et Veronensis. Ex una vero parte dicti lacus est quedam ripa ad piscationem amena et ad resistendum Brixianis et Pergamensibus naturaliter valde fortis, in qua est unum castrum quod Pischeria nominatur. In ista itaque parte aque que in Benaci gremio stare non possunt faciunt fauces suas, et inde exeuntes, seu potius descendentes, faciunt quendam fluvium qui non Benacus sed Mencius appellatur. Quantum vero sit longitudinis istud flumen, adiungens ait: *sino a Governo, dove cade in Po*. Hoc est dicere, illa aqua que egreditur de Benaco ab ipso lacu currit in Padum, in quem dilabitur iuxta quendam locum qui dicitur Governum. In isto autem medio, hoc est inter lacum et Padum, dictus Mencius facit quandam paludem, in cuius medio est quedam planities, iuxta quam dum dicta Manto transitum faciens, videns dictam planitiem sine cultu et habitatione humana, et ex aquarum circumstantia valde fortem, ibi cum suis servis qui eam comitabantur ad habitandum se posuit, ibique exercens magicas suas artes finaliter vitam finivit. Post mortem vero suam, homines in circuitu eius habitantes dispersi, ad illum locum, quia fortis erat, unanimiter confluxerunt, ibique civitatem super illa ossa mortua construxerunt et in honorem illius mage, que primo illum locum incoluerat, Mantuam appellarunt. Posita edificatione mantuana que fuit antiquitus populo copiosa, ponit causam quare modo sic raro incolitur habitatore, dicens: «Iam fuerunt gentes sue interius magis spisse, prius scilicet quam fatuitas illorum de Casa Lodi a Pinamonte decepta fuisset». Designato vero exordio Mantue civitatis ac etiam causa quare hodie sit suo cive sic vacua, instruit Dantem Virgilius in hunc modum: «Fili, doctum te facio, quod si tu unquam aliter originari audiveris terram meam, quod nullum defraudet mendacium veritatem». Ad quem Dantes: «Magister, tuas nempe raciocinationes sive sermones reputo ita certos et ita capiunt meam fidem, quod omnes alii sermones essent michi carbones extincti. Sed dic michi, queso, de ista gente que per istam bulgiam sic incedit, si tu vides in ipsa aliquem dignum nota, quia mens mea solummodo ad hoc tendit».

vv. 106-130

Tunc ostendit sibi Virgilius alios quatuor augures, multum in hac arte famosos. Et primo Euripilem grecum, socium Calcantis, qui ambo fuerunt Grecorum augures et divini, illo scilicet tempore quo Greci, duce Agamenone, ad obsidendam Troyam cum mille navibus accesserunt. Secundo, ostendit ei Michaelem de Scotia, qui tempore imperatoris Frederici mirabiliter floruit in hac arte; tertio, Guidonem Bonatti de Forlivio, provincie Romandiole; quarto, Asdentem, qui fuit de civitate Parmensi; ultimo, omnibus visis, ostendit ei quasdam mulierculas que, exercitia muliebria relinquentes, arti magice se dederunt, dicens: «Recedamus hinc admodo, quia luna que in silva heri in nocte quintadecima tibi fulxit, in qua – subaudi hora – iter nostrum incepimus, iam tenet confinia amborum emisperiorum in partibus scilicet occidentis». Quasi dicat: Iam unam noctem in nostra consumpsimus visione. Et sic loquendo a quarta bulgia recesserunt, et versus quintam iter arripuerunt. Unde ait in textu:

Sì mi parlava et andavamo introque.
idest duo simul faciebamus, scilicet loquere et ire.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Di nova pena mi conven far versi

Tractaturus autor de peccato magorum, novam penam poetando confingit, dicens ipsos ita terribiliter revolutos, quod facies gestant retro. Et hec pena satis correspondet peccatis eorum; nam magi et quotquot eorum scientiam emulantur, videre volunt ea que soli Deo sunt cognita, et nulli nisi per divinam revelationem concessa. Et quia isti videre voluerunt ultra quod eis concessum videre non erat, ideo in Inferno retro habent facies et retrorso calle procedunt. Ideo dicitur in textu de Amphyorao:
perchè volle saper troppo danante,
di rietro guarda et fa ritroso calle.

Circa vero peccatum istorum, quatuor breviter sunt videnda. Primo, quis fuit inventor istius magice artis; secundo, quot sunt partes eius; tertio, in qua parte mundi magis viguit; quarto, de vi sive posse huius artis. Circa primum est sciendum quod inventor huius abominabilis et detestande artis fuit Zoroastes, rex Battrianorum, qui fuit modico tempore post diluvium. De quo beatus Ysidorus, VIII libro Eth.: «Magorum», inquit, «primus extitit Zoroastes rex Battrianorum, quem Ninus rex Assyriorum prelio interfecit». De quo Aristotiles scribit quod vigeties centum milia versuum ab ipso condita sunt, sicut inditiis eius voluminum declaratur. Hanc artem multa post secula Democritus philosophus ampliavit, quando Ypocras medicine disciplina efloruit. Beatus vero Augustinus hanc artem dicit a malignis spiritibus processisse. Hec vanitas, inquit, magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto orbe terrarum plurimis seculis invaluit. Nec est contrarium illi sententie que habetur Ecclesiastici primo: Omnis sapientia a domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante evum quia quicquid veritatis et cognitionis per causas naturales et rationales assertiones in scientiis est, a Deo est. Quod autem superstitionis false et fatue opinionis est, a dyabolo est. Superstitiosum autem dicitur omne illud quod non a Deo, sed ab homine vane inventum est. Dicit etiam beatus Augustinus in libro De Civitate Dei quod ex quo dyabolus non potuit ab initio coli ut Deus, cum dixit «ascendam in celum et ero similis altissimo», ut habetur Ys. XIIII, ideo adinvenit ydolatriam, ut qui in se divinos honores habere non poterat, haberet in ydolis. Ideo etiam tradidit artem magicam, ut videatur divinam habere sapientiam, cum aliqua futura predicit; que novit vel ex occultis nature, vel ex quibusdam signis, vel ex revelatione angelorum bonorum. Nec obstat Augustinus Ysidoro, quia Zoroastes, magistro demone, magicam adinvenit. De isto etiam Zoroaste scribit Solinus quod mox quod natus est, risit. Beatus etiam Augustinus illud idem asserit, XXI libro De Civitate Dei, dicens: Solum quando natus est ferunt risisse Zoroastem, nec bonum aliquod monstruosus risus ille portendit. Nam inventor fuit artium magicarum. Et sic patet primum, quis scilicet fuerit huius artis inventor.

Circa secundum est sciendum quod quinque sunt partes sive speties huius artis: prima dicitur Mantica, sive Mathesis; secunda Mathematica; tertia Sortilegium; quarta Maleficium; quinta vero Prestigium. Prima igitur speties huius artis dicitur Mantica sive Mathesis; que interpretatur <nativa scientia>, in qua fuit multum experta Manto, filia Tyresie; vel dicitur <divina quasi cognitio>. Et hec habet octo speties: quatuor secundum quatuor elementa; quintam secundum infernum; reliquas vero secundum diversa animalia in quibus vel cum quibus ipsa scientia exercetur. Prima dicitur Piromantia, a *pir* quod est <ignis> et *mantia* quod est <divinatio>; vel, ut alii volunt, a Manto filia Tyresie. Ista ars exercetur in igne, luna, et stellis. Secunda dicitur Arismantia, ab *aere* et *mantia*, sive Manto; ista exercetur in aere et in gladiis et speculis. Tertia dicitur Ydromantia, ab *ydor* quod est <aqua> et *mantia*, sive Manto; ista exercetur in aquis. Quarta dicitur Geomantia, a *geos* quod est <terra>, et *mantia*, sive Manto; ista exercetur in cavernis terre. Quinta, secundum Herebum, dicitur Nigromantia, a *nigros* quod est <mortuus> et *mantia*, sive Manto; ista ars exercetur homine mortuo suscitato: non quod mortui suscitentur, sed demones adiurati ingrediuntur in corpora defuntorum et ad interrogata respondent. Sexta dicitur Cinomantia, a *cinos* quod est <canis>, idest <divinatio facta per sacrificium canis>. Septima dicitur Pedomantia, idest <divinatio facta per sacrificium de puero>; nam *pedos*grece, <puer> latine. Octava dicitur Cernimantia, idest <ars divinatoria facta per sacrificium de gallina>; nam grece *cernix*, latine <gallina>. Et sic patet de prima parte magice artis que dicitur Mathesis.

Secunda speties sive pars dicitur Mathematica, que habet tres speties, scilicet Aruspitium, Auspitium et Oroscopium. Aruspitium dicitur ab *aris*, quia super aras sive altaria in extis animalium et fumo sacrificiorum futura videbant. Auspitium dicitur ab avibus, quod alio nomine Augurium nominatur; quod quidem fit in volatu, garritu, vel cantu avium. Friges primum invenerunt, ut scribit Ysidorus VIII libro Eth. Horoscopium dicitur ab *horis*, nam in horis et gradibus dierum atque signorum celestium, necnon in numero oscitationum atque sternutationum futura predicit. Et sic patet de secunda parte que dicitur Mathematica.

Tertia pars dicitur Sortilegium, que est <ars divinandi per sortem>, quando scilicet per sortes cognoscuntur futura. Ista in Veteri Testamento fuit concessa, sicut habetur in libro Hester, tertio capitulo: Missa est sors in urna, que hebraice dicitur *furim*. Sed in Novo prohibita; non quod de se sit mala, quia sors, secundum Augustinum, est res in humana dubietate divinam indicans voluntatem, sed quia per assiduitatem posset labi in ydolatriam, ideo prohibetur. Et sic patet de tertia parte que dicitur Sortilegium.

Quarta pars dicitur Maleficium, quando demones coacti per coniurationes dant responsa, vel futura predicunt. Et isti tales in quibus spiritus maligni loquuntur dicuntur Phytones, qui alio nomine, ut ait Haymo Super Ysaiam, ventriloqui appellantur, eo quod habent malignum spiritum, cuius inspiratione plerunque vera plerunque falsa Deo permittente loquuntur. Artem vero phytonicam Phyton, qui et Apollo dicitur invenisse. Et sic patet de quarta parte que dicitur Maleficium. Quinta vero et ultima pars magice artis dicitur Prestigium, quando oculos intuentium fallit, ut cum quis apertis oculis nichil videt; vel cum videt id quod non est; et dicitur Prestigium eo quod prestringit aciem oculorum. Et sic patet secundum, quot scilicet sunt partes sive speties huius artis. Circa tertium nota quod, licet tempore paganorum ista ars in toto mundo multum fuerit copiosa, tamen semper apud Assirios, secundum Ysidorum, tenuit principatum. Unde Lucanus:

quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves? quis fulgura celi
Servet, et Assiria scrutetur sidera cura.

Circa quartum vero et ultimum, scilicet de vi et potentia huius artis, nota quod ista ars, si bene scitur et perfecte exerceatur, habet mirabilem et quasi incredibilem operationem. Nam, ut habetur in Exodo, magi Pharaonis Moysi viro Dei signis simillimis restiterunt, vertentes virgas ligneas in dracones et aquas in sanguinem. Circe etiam, maga famosissima secundum poetas, socios Ulixis mutavit in bestias. Legitur etiam de sacrificio quod Archades deo suo liceo immolabant, quod quicunque ex eo comederet vel gustaret, in bestiarum formas subito vertebatur. Hinc apparet non esse in totum dubium, ut ait beatus Ysidorus, VIII libro Eth., quod nobilis ille poeta Virgilius, IIII libro Eneydorum, de quadam femina que magicis artibus excellebat ait:

Hec se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit, est aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis et vertere sydera retro;
Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
Sub pedibus terram et descendere montibus hornos.

Quid plura? Si credere fas est de Phytonissa, de qua habetur in primo libro Regum, ut prophete Samuelis animam de Inferni abditis evocaret et vivorum conspectibus presentaret, si tamen animam Samuelis fuisse putamus et non aliqua fantasmatica illusione Sathane fallaciam factam. Prudentius quoque de Mercurio sic ait:

Traditur extinctas sumpto moderamine virge
In lucem revocasse animas ... Ast alias damnasse neci.

Et post paulum adiecit:

Murmure non magico tenues excire figuras,

Atque sepulcrales scite incantare favillas,

Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.

Virgilius etiam, quarto Eneydorum, de Mercurio loquens ait:

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orcho
Pallentes, alias sub tristitia tartara mittit.

Patet igitur ex predictis quanta vis in arte magica includatur, et quod maius est, magi, secundum Ysidorum, elementa concutiunt, mentes hominum turbant, ac sine ullo veneni haustu violentia tantum carminis interimunt. Unde et Lucanus:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit.

Et sic patent illa quatuor que in arte magica querebantur. Quia igitur magna novitas fuit istas artes dyabolicas invenire, ideo autor novam penam poetice adinvenit. Unde ait:

Di nova pena mi conven far versi

Et sequitur:

e dar materia al ventesimo canto

Ista Comedia, ut superius est expressum in Prologo, dividitur in tres canticas. Prima tractat de animabus in Inferno dannatis; secunda tractat de animabus in Purgatorio a peccatis ablutis; tertia vero tractat de animabus in celesti gloria sublimatis. Et quelibet istarum canticarum dividitur in cantus. Sed quia quelibet habet vigesimum cantum, quia prima continet trigintaquattuor cantus, secunda triginta tres, et tertia totidem, ideo ad insinuandum cuius cantice sit iste XX cantus, dicit quod est de prima cantica, que tractat de animabus que sunt in Inferno submerse. Ideo ait:
de la prima canzon, ch'è de' sommersi.

vv. 4-18

Io ero già disposto tutto quanto Lictera plana est usque ibi:
Forse per forza già di parlasia

Comparat hic autor revolutionem istorum magorum ad revolutionem quam facit in humanis membris vitium paralisis, que multotiens faciem vertit retro. Fit autem paralisis maxime tribus de causis: primo, ex frigiditate constringente; secundo, ex humore o[p]pilante; tertio, ex vulnere nervos incidente. Simili modo peccatum magorum et divinorum ex tribus peccatis oritur. Aliquando enim oritur ex avaritia constringente, quia avaritia animam congelat et stringit, sicut ventus frigidus aquam et terram congelare facit. Unde Ecclesiastici XLIII: Frigidus ventus aquilo flavit, et congelavit cristallus ab aquis. Sic isti divini et magi huic vitio student ratione lucri. Aliquando oritur istud vitium ex humore carnalis concupiscentie; unde et ipsa paralisis corporalis ex nimio cibo et potu vel sonno fertur accidere. Sic isti huic vitio student ut carnales concupiscentias valeant ad libitum exercere. Aliquando vero oritur ex vulnere superbie conscientiam vulnerante; quia magi et divini per superbiam alienati et separati a Deo existunt dum ad ydola convertuntur. Et nullo modo huiusmodi artes exerceri possunt ab homine, nisi ydolatria precedente. Et sic videtur quod istud peccatum aut ab avaritia, aut a luxuria, aut a superbia oriatur.

vv. 28-30

Qui vive la pietà quand'è ben morta;
chi è più scelerato che colui
c'al giudicio divin passion comporta?

Reprehendit hic Virgilius Dantem, eo quod erga divina iudicia compassionem habebat. Unde ait: <Tunc, hic pietas vivit quando mortua bene est>. Quasi dicat: Habere erga istos magos impietatem est habere pietatem, quia nullam compassionem habere debemus circa divina iudicia que in Inferno a divina iustitia fulminavit, ita orante pro eo sicut pro dyabolo. Circa iudicia vero divina que videmus in mundo nos ipsos ad compassionem movere debemus. Unde beatus Iob: «Anima mea compatiebatur pauperi». Exemplum habemus in Christo, qui de miseriis nostris quamdiu sumus in mundo compatitur, ut quando vidit cecum a nativitate misericordia motus est. Et videns beatam Mariam Magdalenam lacrimari, lacrimas continere non potuit; et ut ipsam consolaretur, suum fratrem Lazarum suscitavit. Sed circa miserias damnatorum, Sacra Pagina attestante, nulla compassione movetur. Et ratio est ista: In isto enim mundo est tempus misericordie; in alio autem, est solum tempus iustitie, ubi redditur unicuique quod operatus est bonum, bonum scilicet sive malum. Proverbiis VI dicitur de iustitia Dei erga damnatos: Zelus et furor viri, idest Christi, non parcet in die vindicte, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.

vv. 31-36

Driza la testa, driza, et guarda a cui
s'aperse a li occhi de' Tebani la terra;
perch'e' gridavan tutti: «Dove rui
Amphiorao? perchè lasci la guerra?».
Et non ristò di ruinare a valle
fin a Minòs che ciascuno afferra.

In ista quarta malabulgia, ut dictum est supra, invenit autor veneficos, magos, ydolatras, augures et divinos, de quorum nequitia et peccato exemplariter tractare volens, incipit a Grecis; et primo ponit Amphyoraum. Fuit autem Amphioraus unus ex septem regibus qui Thebas obsederunt, ut quarto Thebaydos scribit Statius. Iste rex ideo hic ponitur quia fuit vates Apollinis, maximus scilicet augur. Et dicitur ille augur qui in volatu vel cantu avium futura predicit, ut VIII libro Eth. scribit Ysidorus. Dum autem contra Thebas proficisceretur ad bellum, prius per suas incantationes et avium inspectiones consuluit Apollinem deum suum; cui Apollo predixit quod si iret absorberetur a terra; VI Thebaydos:
Iam Thebe prope et tenebrosa vorago
Scis miser, et nostre pridem cecinere volucres,
quia in volatu avium que erant Apollini consecrate previdit suum futurum periculum. Veniens autem ad Thebas, dum in curru regio armatus sederet in campo, ecce subitus terremotus terram aperuit, et ipsum regem cum armis et curru absorbuit in momento. Quod videntes Thebani qui erant in muris, repleti gaudio insultando dicebant: «Quo ruis, Amphiorae?»,

vv. 34-36

«... Perchè lasci la guerra?».
Et non ristò di ruinare a valle
fin a Minòs,

etc. De hoc ait Statius, VIII. *Theb[aidos]*:

Ut subitus vates pallentibus incidit umbris

Letiferasque domos orbisque archana sepulti

Rupit et armato turbavit funere manes,

Horror habet cunctos, Stigiis mirantur in oris

Tela et equos corpusque novum; nec ignibus atris

Conditus aut mesta niger adventabat ab urna,

Sed belli sudore calens, clipeumque cruentis

Roribus et scissi respersus pulvere campi...

... Forte sedens media regni infelicis in arce

Dux Herebi populos pascebat crimina vite,

Nil hominum miserans iratusque omnibus umbris.

Stant Furie circum varieque ex ordine Mortes,

Sevaque multisonas exercet Pena catenas;

Fata serunt animas, et eodem pollice damnant.

Cum autem Amphioraus in Infernum se cecidisse vidisset, ait:

Augur Apollineis modo dilectissimus aris,

Testor inane chaos – quid enim iurandus Apollo? –

Crimine non ullo subeo nova fata, nec alma

Sic merui de luce rapi; scit iudicis urna

Dictei verumque potest deprehendere Minos.

Coniugis insidiis et iniquo venditus auro.

Venditus autem hic dicitur Amphioraus iniquo auro, quia insidiis sue coniugis fuit venditus in hunc modum: videns enim per responsa que habuerat ab Apoline quod si contra Thebas iret absorberetur a terra, abscondit se, ne ab aliis regibus inveniri valeret. Argia vero, Polinicis uxor, dedit Euripili, uxori Amphiorai, quiddam monile aureum, ut sibi revelaret Amphyoraum. De isto autem monili fatatum erat quod quicunque illud haberet semper sibi malum portenderet. Euriphyle vero et monile accepit et virum manifestavit. Propter peccatum igitur auguriandi quod iste Amphioraus exercuit in hoc mundo, volens videre per suas augurias ultra quod ei concessum fuerat, faciem habet retro. Et quia non via Dei, que est recta, sed via diaboli, que est obliqua, futura videre curavit, ideo in Inferno non recto, sed obliquo calle procedit. Ideo sequitur in textu:

vv. 37-42

Mira c'à fatto pecto de le spalle;
perchè volse veder troppo davante,
di rietro guarda, et fa ritroso calle.
Vedi Tyresia, che mutò sembiante
quando di maschio femina divenne,
cangiandosi le membra tutte quante;

Postquam autor de Amphyorao rege et Apolinis sacerdote prosecutus est, nunc prosequitur de Tyresia mago et augure Thebanorum, quem dicit fuisse mutatum primo de viro in feminam, et de femina postea reversum fuisse in virum. Ystoria sive fabula talis est: Tyresias enim fuit quidam maximus augur de civitate thebana, qui factus est cognitor futurorum per istum modum: dum enim quodam semel ipse Tyresias, ut narrat Ovidius tertio libro Meth., per montem Cillenum transitum faceret, duos magnos serpentes insimul coeuntes invenit; quos cum virga quam gestabat in manu uno ictu solummodo percussisset, in feminam est conversus. Octavo autem anno elapso, invenit eosdem serpentes in eodem loco atque modo invicem coeuntes; quos cum eadem virga percussisset, in figuram pristinam est reversus. Ovidius:
Nam duo magnorum viridi coeuntia silva

Corpora serpentum baculi violaverat ictu
Deque viro factus (mirabile) femina, septem
Egerat autumnos; octavo rursus eosdem
Vidit et «Est vestre si tanta potentia plage»
Dixit, «ut autoris sortem in contraria mutet,
Nunc quoque vos feriam». Percussis anguibus isdem
Forma prior redit, genitivaque venit ymago.

Illo autem tempore, inter Iovem et Iunonem uxorem eius, fuit orta iocosa contentio: quisnam, mas seu femina, maiorem sentiat coitus voluptatem. Dicente vero Iove, quod mulier maiorem delectationem quam vir in coitu sentiebat, et illa econtra contrarium asserente, ad dirimendam istam controversiam iudex medius introducitur Tyresias, quia utranque delectationem expertus fuerat, propter nature duplicis qualitatem. Qui dicta Iovis tenens, Iunonis sententiam reprobavit, dicens mulierem maiorem habere in coitu voluptatem quam vir. Ob hoc Iuno, irata, eum protinus excecavit. Iupiter autem, quia fas non erat Iunonis sententiam permutare, sibi dedit ut vates veracissimus haberetur. Et de ista inter Iunonem et Iovem contentione et de arbitris electione ac etiam arbitraria ipsius Tyresie pronuntiatione, nec non et eius excecatione, et recepta remuneratione, ait Ovidius:

Forte Iovem memorant diffusum nectare curas

Deposuisse graves vacuaque agitasse remissos

Cum Iunone iocos et «maior vestra profectio est,

Quam que contigerit maribus» dixisse, «voluptas».

Illa negat; placuit, que sit sententia docti

Querere Tyresie: Venus huic erat utraque nota ...

... Arbiter hic igitur sumptus de lite iocosa

Dicta Iovis firmat: gravius Saturnia iusto

Nec pro materia fertur doluisse suique

Iudicis eterna damnavit lumina nocte;

At pater omnipotens (nec enim licet irrita cuiquam

Facta dei fecisse deo) pro lumine adempto

Scire futura dedit, penamque levavit honore.

Ille per Haonias fama celeberrimus urbes

Irreprehensa dabat populo responsa petenti.

Sed re vera Tyresias fuit quidam maximus divinator, et maximus demonum incantator. Masculus autem et femina ideo dicitur vel quia utrunque sexum habebat, quo suo loco et tempore, ut sibi erat beneplacitum, utebatur; vel quia, dum esset adolescens, sodomitico se vitio mancipavit, unde de viro in feminam dicitur permutatus. Et octavo anno meretricio facinori se totaliter occupavit; unde de femina in virum reversus a poetis fingitur. Et ne hoc alicui incredibile videatur, quod masculus scilicet et femina natus sit, firmiter per naturales causas habemus quod multotiens homo cum sexu generatur utroque; quem philosophi naturales hermafroditum appellant. De quo Ovidius, quarto libro Meth.:
Cuius erat facies, in qua materque paterque
Cognosci possent.

Et infra, eodem libro:

Nec duo sunt sed forma duplex, nec femina dici

Nec puer ut possit; neuterque et uterque videtur.

Exempla etiam manifesta videmus: nam temporibus meis accidit Florentie id quod narro. Nata est enim, in quadam non ignobili domo, una, ut videbatur, puella; sed sexum femineum habebat ita crossum, atque tumentem, quod omnes dicebant istam, dum etatem haberet, in monasterio recludendam, non matrimonio coniungendam. Cum autem ad etatem nubilem pervenisset, ipsam in monasterio recluserunt. Sed cum quadam nocte cum una sua socia iaceret in lecto, in libidinem concitata, de isto sexu femineo sic tumenti exivit membrum virile, sicut gladius de vagina; et cum ipsa carnaliter iacens, filium generavit. Iste igitur Tyresias vel utrunque sexum habuit, vel utroque se carnali vitio mancipavit, vel per artem diabolicam se quandoque virum, quandoque feminam ostendebat. Ideo dicitur in textu:
Vidi Tyresia, che mutò sembiante
quando di maschio femina divenne,
etc.

De istis duobus magis superius nominatis, scilicet Amphyorao et Tyresia, ait Tullius Cicero, primo libro De Divinatione: «Amphioraus et Tyresias clari et prestantes viri ab avibus et signis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait solum sapere. Ceterum umbrarum vagari modo». Idem in eodem libro: «Amphioraum autem sic honoravit fama Grecie, ut deus haberetur, atque ab eius solo in quo est humatus oracula peterentur».

vv. 46-48

Aronta è quei c'al ventre li s'atterga,
Postquam autor de duobus famosis magis et auguribus Grecorum in superioribus pertractavit, nunc tractat de quodam famoso augure Latinorum, qui in Tuscia habitabat, in montibus scilicet ubi

prope olim civitas Lune fuit. Hic vero augur vocabatur Arons, qui secundum quod scribit Lucanus in primo, fuit tempore plus quam civilis belli, quod fuit inter Cesarem et Pompeium. Cuius Arontis fama, dum ad Romanorum aures pervenisset, placuit ipsis Romanis ipsum vatem acciri. Unde Lucanus:
Acciri vates, quorum qui maximus evo
Arons incoluit deserte menia Lune.

Hic igitur Arons a Romanis vocatus, sacrificio celebrato, vidit in intestinis unius tauri Pompei conflictum et Cesaris victoriam affuturam. Qui Arons, ut habetur in textu, cum tergoribus, idest cum renibus atque membris que a tergo sunt, post ventrem Tyresie, sicut unus sequitur alium, incedebat. Ideo ait:
Aronta è quei c'al ventre li s'atterga,

Quod autem sequitur:

che ne' monti di Luni, dove ronca

lo Carrarese che di sotto alberga,

sic intellige: in montibus enim Lune, ubi Carrarienses incidunt marmora, vel ubi eorum culturas exercent, ipse Arons speluncam elegit, de qua videre poterat mare et stellas ad sua – subaudi auguria – exercenda. Luna fuit olim civitas in finibus Tuscie, inter Pisas et Ianuam sita. Carraria est villa in episcopatu lunensi. *Ronca*, idest <excidit>, inde *roncare*, idest <excidere lapides de montibus>, vel terra aratro scindere, vel sarculo aperire. Quod utrunque Carrarienses faciunt.

vv. 49-51

ebe tra' bianchi marmi la spelonca Marmora de Carraria sunt albiora et pretiosiora marmora que reperiantur in mundo.

vv. 52-57

Et quella che ricuopre le mammelle,
che tu non vedi, con le trecce sciolte,
et à di là ogni pilosa pelle,
Manto fu ...

Adhuc contra Grecos autor dirigit stilum suum, et facit hic mentionem de quadam sacerdotissa deorum que fuit venefica et maxima demonum incantatrix, dicens: Et illa que velat mamillas, quas tu non vides, cum triciis, idest crinibus resolutis, et habet ab alia parte omnem pilosam pellem, – quia retro habebat quod natura posuit ante, que quidem pellis naturaliter est pilosa – Manto fuit. Ista Manto fuit filia Tyresie, de quo habitum est supra; que virginitatem perpetuam sequens, se paternis artibus totam dedit, in tantum quod, ut superius dictum est, omnes artes magice ab ipsa denominate dicuntur. Que post mortem patris, quia sua thebana civitas a libertate in servitutem devenerat, sub dominio scilicet Thesei ducis Athenarum, per mundum cum suis servis longo tempore peregre profecta est; et faciens transitum per provinciam Lombardie, vidit in medio unius pantani quandam planitiem, in qua cum dictis suis servis ad habitandum se posuit, ibique suas artes magicas exercebat. Mortua vero ipsa, homines in circuitu habitantes ad locum illum, quia fortis erat, unanimiter confluxerunt, et ibi civitatem edificaverunt. Et propter istam que primo incoluit locum illum, illam civitatem sine sorte alia Mantuam appellarunt. Ideo infra dicitur in textu:

vv. 91-93

Fer la città sovra quell'ossa morte;
et per colei che 'l luogo prima elesse,
Mantua l'appellar senz'altra sorte.

Quod autem ista Manto thebana fuerit, origo Mantue civitatis ostendit Virgilius X libro Eneydorum, ubi facit mentionem de adventu Enee in Ytaliam, in cuius auxilium venit quidam princeps de Mantua, nomine Ognus, dicens:
Ille etiam patriis agmen ciet Ognus ab oris,

Fatidice Mantos, et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen.

vv. 58-60

Poscia che 'l padre suo di vita uscìo
et venne serva la città di Bacho,
questa gran tempo per lo mondo gio.

Ista civitas, licet edificata fuerit a Cadmo in honorem Phebi, sicut dicetur infra, XXV cantu, in historia istius Cadmi, tamen Bachus, qui est deus vini et ponitur pro sufficientia, natus fuit ex Iove et Semele, que fuit filia Cadmi. Unde ipse Baccus, natus ex ipsa Semele, filius dicitur Thebanorum. Unde Statius, VII libro Theb.: «Bacchum non mentitur alumnum». Et quia tanto filio gubernabantur, ideo civitatem suo nomini dedicarunt.

vv. 61-63

Suso in Ytalia bella. Ytaliam pulcram dicit quia aliarum provinciarum regina censetur, et propter Romam que in ea est, et propter situm loci, que inter Septentrionem et Meridiem sita est. Terra est enim, Ysidoro attestante, omnibus rebus pulcerrima, soli fertilitate et pabuli ubertate gratissima. Ideo Virgilius ipsam miris laudibus attollit, dicens in Georgicis:
Salve, magna parens frugum, saturnia tellus,
Magna virum; tibi res antique laudis et artis.

Nam in Ytalia sunt antique urbes; de ipsa cantantur antiqua preconia, et ab ipsa procedunt artes et ingenia. Et primo Eneydorum:

Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,

Terra antiqua, potens armis atque ubere glebe;

Oenocrii coluere viri, nunc fama minores

Ytaliam dixisse ducis de nomine gentem.

giace un laco,

a piè dell'Alpe che serra Lamagna

sovra Tiralli, c'à nome Benaco.

Hic designat autor lacum maximum Lombardie, quem in textu Benacum appellat, sed hodie dicitur lacus Garde. Est autem iste lacus valde profundus, habens in longitudine fere LX miliaria, et in latitudine XXX, et est admodum maris fluctibus tempestuosus et ventis. De quo Virgilius in Georgicis:
Fluctibus et fremitu surgens Benace marino.
Habet autem confinia iste lacus: Primo, ab Alpibus Alamanie habet quendam comitatum in ducato Carintie qui dicitur Tyralli, ideo ait in textu: *sovra Tyralli*. Secundo, a parte Verone habet quoddam castrum quod dicitur Garda, a quo castro denominatur hodie lacus. Tertio, a parte Brixie habet

quoddam riparium, castris et villis copiosum, quod hodie Valcamonica nominatur. Quarto, a parte superiori habet Alpes Penicas. Quid autem sint Alpes Penice, habes supra, circulo VII, girone tertio, cantu XVI. Et de his tribus habes in textu:

vv. 64-69

Tra Garda et Valcamonica Apennino ...
Luogo è nel mezzo là, dove 'l trentino
pastore,
idest episcopus, etc. Dicit quod in medio istius lacus est locus, idest insula, ubi tres pastores, idest episcopi, tridentinus scilicet, brixiensis, et veronensis, possent signare, idest signo crucis populo benedicere, si illuc irent. Nam illa insula est de iurisdictione illorum trium episcoporum.

vv. 70-72

Siede Peschera, bello et forte arnese

Dicit hic autor quod in ripa istius lacus est quoddam castrum pulcrum et forte, versus Brixiam et Pergamum, quod Peschera appellatur. Et iuxta istud castrum aqua que in Benaci gremio stare non potest egreditur, et fit fluvius qui currens usque in Padum, iuxta quoddam castrum quod dicitur Governum, non plus Benacus, sed Mincius nominatur. De quo Virgilius in Georgicis:
Mincius et tenera pretexit arundine ripas.

Ideo dicitur in textu:

et fassi fiume giù per verdi paschi.

vv. 76-78

Po, idest Padus, est regalis fluvius Lombardie, qui antiquitus Eridanus dicebatur; de quo Virgilius in libro [I] Georgicorum: «Fluviorum rex Eridanus».

vv. 79-81

Non molto à corso, che trova una lama,
ne la qual si distende et la 'mpaluda;
et suol di state talor esser grama.

Dicit hic autor quod ille fluvius qui dicitur Mincius non multum elongatur a lacu, quando invenit quamdam planitiem declivem in quam dilabitur, et facit paludem in cuius medio est sita civitas mantuana. Que quidem palus aliquando estivo tempore habet egritudines generare.

vv. 94-96

Già fur le genti sue dentro più spesse,
prima che la mattia da Casalodi
da Pinamonte inganno ricevesse.

Vult hic dicere autor quod Mantua fuit iam populo copiosa, magis quam illo tempore quo suam composuit Comediam. Et assignat causam quare sit gentibus diminuta, dicens discordiam que fuit in civibus esse causam. Ad cuius evidentiam est sciendum quod in Mantua erant due nobilissime tribus, videlicet comites de Casalodi, et illi qui vocantur de Bonacosis. Cum autem non iste domus, sed quedam alie dominarentur in terra, dominus Pinamonte de Bonacosis, qui fuit avus domini Passerini, comitibus de Casalodi adhesit, promittens eis quod si sibi vellent dare favorem, quod de dominio eiceret dominantes, et cum eis dominium partiretur. Quod cum comites dicto domino Pinamonti per omnia adhesissent, ille de adversariis potitus victoria, et prelatione habita civitatis, comites dolo cepit et eos in exilium destinavit. Et sic iste dolus fuit causa diminutionis Mantue civitatis. Nam multi cives, videntes comites sic expulsos, et tymentes tyrannidem domini Pinamontis, lares proprios relinquentes, se ad partes alias transtulerunt.

vv. 97-99

Però t'assenno che, se tu mai odi
originar la mia terra altrimenti,
etc.

Vocat hic Mantuam Virgilius suam terram, quia inde fuit, ut dicitur, oriundus. Unde Ovidius:
Mantua Virgilio, gaudet Verona Catullo.
Et in epytaphio ipsius Virgilii scriptum est: «Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenentque Parthonope, cecini pascua, rura, duces». Iste secundus versus sic intelligi debet: Ego Virgilius in Neapoli, que civitas Parthonope antiquitus dicebatur, cecini, idest docui, tres libros, scilicet librum Bucholicorum, qui tractat de pascuis, librum Georgicorum, qui tractat de agricultura, et librum Eneydorum, qui tractat de preliis.

vv. 106-114

«Quel che da la gota
porge la barba in su le spalle brune,
fu, quando Grecia fu di maschi vòta
sì c'a pena rimaser per le cune,
augur, et diede 'l punto con Calcanta
in Aulide a talliar la prima fune.
Euripile ebe nome.

Iste Euripilus, qui inter magos et augures nominatur, fuit illo tempore quo tota Grecia contra Troyam properavit ad bellum, ita quod vix aliqui nisi pueri qui nutriebantur in cunis in Grecia remanserunt. Fuit autem socius Calcantis in auguriis exercendis. Congregato vero in Aulide universo Grecorum exercitu, dum de more patrio sacra Iovi libarent miraculum grande, ut XII Meth. libro narrat Ovidius, conspexere; serpentem, scilicet, super unam arborem in nido avium, octo pullos cum matre pariter devorare. Tunc Calcas filius Testoris, providus augur ait ad Grecos: «Post novem annos habebimus civitatem». Ovidius:
Hic patrio de more Iovi dum sacra parassent,
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere ceruleum Danai videre draconem
In platanum, ceptis que stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summa:
Quas simul et matrem circum sua damna volantem
Corripuit serpens avidaque recondidit alvo
Obstupuere omnes; at veri providus augur
Testorides «Vincemus» ait, «Gaudete, Pelasgi!
Troya cadet, sed erit vestri longa mora laboris»,
Atque novem volucres in belli diggererit a[n]nos.

Sed cum moram in sacrificando contraherent, tanta tempestas orta est quod multi Grecorum dixerunt Neptunum ideo mare turbare, quia nolebat quod Greci irent ad destruendum menia que condidit ipse. Ovidius:
et sunt, qui parcere Troie
Neptunum credant, quia menia fecerat urbis.

Tunc Calcas, factis auguriis, dixit Dyanam, quia turbata erat contra Grecos, esse virgineo cruore placandam. Quod audiens Agamenon, ipsi Diane devovit primam virginem immolare que se suis oculis presentaret. Post cuius votum, ecce sua nata Ephigenia, virgo mirabiliter speciosa, ipsi regi apparuit locutura. Quam pater pro publica utilitate ipsi Dyane concitus immolavit, et statim cessavit tempestas. Ovidius:
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse dee. Postquam pietatem publica causa
Resque patremque vicit, castrumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Ephigenia ministris.

Et infra:

Ergo ubi qua decuit lenita est cede Diana.

Et pariter Phebes pariter maris ira quievit.

Immolata igitur Ephygenia, dum augures horam navigandi captarent, navibus signa dederunt, quod quando Euriphilus sue navis funem incideret, omnes inciderent etiam suos funes. Quod sic facientes, prosperis ventis de Aulide recesserunt, non tamen cum eisdem Troyam applicuerunt. Ovidius:
Accipiunt ventos a tergo mille carine
Multaque perpesse Phrigia potiuntur arena.

Et ne alicui hoc videatur absurdum quod, sanguine virgineo immolato, Greci ventos prosperos habuerunt, beatus Ieronimus hoc affirmat libro primo Contra Iovinianum, sic dicens: «Legimus Ephygenie virginis sanguinem aversos placasse ventos». Et Boetius, quarto De Consolatione:

Bella bis quinis operatus annis

Ultor Atrides Phrigie ruinis

Fratris amissos thalamos piavit;

Ille dum Graie dare vela classi

Optat, et ventos redimit cruore,

Exuit patrem miserumque tristis

Federa nate iugulum sacerdos.

Et Seneca, VI Tragediarum:

Tuam natam parens propter Elenam immolasti.

Beatus autem Augustinus dicit quod arte magica Ephygenia ab illo sacrificio est sublata, et loco eius quedam cerva pulcerrima substituta. Quod patet quia alibi postea viva ipsa Ephygenia est inventa. Hoc idem asserit Ovidius ut supra:
Victa dea est, nubemque oculis obiecit, et inter
Officium turbamque sacri vocesque precantum
Supposita fertur mutasse Micenida cerva.

... et così 'l canta
l'alta mia tragedìa in alcun loco:

Secundo enim libro Eneydorum, iste augur Euriphylus appellatur in illa scilicet oratione quam Synon Grecus fecit ad Priamum, dicens:

Suspensi Euriphylum scitantem oracula Phebi

Mittimus, isque aditis hec tristia dicta reportat:

«Sanguine placastis ventos, et virgine cesa,

Cum primum Yliacas, Danay, venistis ad horas:

Sanguine querendi reditus animaque litandum

Argolica.

Istud autem ultimum infra, cantu scilicet XXX, in ystoria Synonis clarius apparebit.

ben lo sai tu, che la sai tutta quanta.

In hoc versu comprehendimus quanto studio in libris virgilianis exarserit iste autor.

vv. 115-117

Quell'altro che ne' fianchi è così poco,
Michele Scotto fu, che veramente
de le magiche frode seppe 'l gioco.

Iste Michael Scotus fuit augur Frederici imperatoris, et fuit in arte magica valde summus; de quo in hiis verbis Virgilius duo dicit: primum est quod erat in yliis valde strictus; secundum vero, quod ars magica in qua iste Michael fuit ita instructus, in se continet magnam fraudem. Primum facit ad insinuandum nobis istius originem Michaelis; nam in Iscotia vadunt homines ita stricte et ornate induti quod quasi in yliis nichil sunt. Ideo ait: *che ne' fianchi è così poco*. Secundum autem ut nobis ab ista arte magica caveamus, quia licet dicat aliquando veritatem, tamen ut plurimum in se continet falsitatem, vel saltem ambiguitatem. Quod enim in se contineat falsitatem patet quia diabolus, qui fuit inventor huius artis, mendax est, ut ait Dominus in Evangelio beati Iohannis, VIII capitulo. Patet etiam hoc in legenda beatorum apostolorum Symonis et Tadei, ubi legitur quod cum Baradach dux regis Babilonie contra Indos ad prelium profecturus, a diis suis peteret de fine belli, phanatici responderunt grande bellum futurum, et multum populum hinc inde in prelio ruiturum. Tunc Apostoli ridere ceperunt. Quibus ait dux: «Me timor invasit, et vos ridetis?» Cui Apostoli: «Noli timere, quia pax in hoc regnum nobiscum intravit. Cras enim hora diei tertia legati Indorum ad te venient, et tue se potestati cum pace subicient». Quod ita evenit ut Apostoli predixerunt. Si vero non falsa ars ista predicat, tamen ut plurimum ambigua prophetizat; sicut patet per responsum Apollinis, quod fecit ad Pirrum. Cum enim Pirrus rex Epyrotarum contra Romanos bella movisset, consuluit de fine belli Apollinem deum suum. Cui Apollo: «Aio te eacidem Romanos vincere posse». In quo quidem versu non est certum, ut dicit beatus Ysidorus, primo libro Eth., quem monstraverit esse victorem: an Romani vincant Pirrum, an Pirrus Romanos. Simile narrant antiqui ystoriographi quod cum Cresus, rex Lidie, cum Ciro rege Persarum, pugnare deberet, facto sacrificio deo suo, de fine belli poposcit. Cui responsum fuit: «Cresus perdet Alim transgressus plurima regna». In quo quidem responso incertum erat an Cresus transiens fluvium Alim perderet, idest vastaret, plurima regna Cyri, an perderet, idest amitteret, plurima regna sua. Quod sic evenit; nam transiens fluvium, a Ciro fuit victus et cruci affixus. Ideo dicitur in textu: *de le magiche frode seppe 'l gioco*.

Quia ista ars est truffatoria sicut ludus, isti etiam Michaeli sua ars in dolo respondit. Nam cum suus dominus, imperator scilicet Fredericus, ab eo posceret ubi mori deberet, facto augurio sic respondit: «In Florentia morieris». Quod imperator audiens, ab ingressu civitatis Florentie semper postea abstinuit, toto tempore vite sue. Sed ut sua fata eum trahebant, uno die in regno Sicilie

subito dolore arreptus, dum in suum thalamum properaret, transiens per ante cameram, super unum lectulum in quo catula sua iacebat, ibique dolores mortis sentiens, ait: «Ubi sum ego?» Cui familia: «In lectulo catule vestre». Quibus ille: «En morior; catula mea Florentia vocitatur». Et sic mortuus est.

vv. 118-120

Vedi Guido Bonatti. Iste Guido fuit de Forlivio, provincie romandiole, et fuit augur magnifici comitis Guidonis de Monte Feltro, de quo habetur infra in VIII bulgia, cantu 27. Postquam vero de famosis personis mentio facta est, ad viles personas que dimittunt artes suas mechanicas dirigit autor stilum. Et hoc quia multi nullius conditionis, et maxime muliercule, student cum herbis et ymaginibus videre futura. Ideo ait: *Vedi Asdente*. Iste fuit quidam cerdo de Parma, provincia Lombardie, qui suam artem cerdonicam linquens, ad investigandum futura se dedit.

vv. 121-126

Et subiungit:
Vedi le triste che lasciaron l'ago,
la spuola e 'l fuso, et fecersi 'ndovine;
fecer malie con herbe et con imago.
Ma vienn'omai, chè già tiene 'l confine
d'amendue li emisperi et tocca l'onda
sotto Sibilia Cayno et le spine.

Visis omnibus que in ista quarta bulgia continentur, ait Virgilius ad Dantem: «Eamus admodo, quia luna iam tenet confinia amborum emisperiorum» – subaudi in partibus occidentis. Ideo sequitur: «Et subter Sibiliam tangit undas». Ubi prudens lector animadvertat quod ab introitu eius in Infernum usque ad hanc quartam malabulgiam, fluxit solummodo una nox, quia quando in Infernum intravit incipiebat nox. Unde dicitur supra, cantu secundo: «Lo giorno se n'andava et l'aer bruno», etc., et tunc luna erat rotunda. Unde sequitur hic: «et già hier nocte fu la luna tonda», etc. Cum autem luna est rotunda, in sui ortu facit noctem et in suo occasu facit diem; quia dum est rotunda semper per distantiam unius emisperii distat a sole. Quod autem dicit quod luna tangit – subaudi lumine suo – aquas que sunt subter Sibiliam, nil aliud vult dicere nisi quod luna quando ad occasum declinat vadit per inferius emisperium, et tunc tangit lumine suo aquas que sunt subter nos. Emisperium vero, secundum Ysidorum, libro tertio Eth., est illa tota pars celi quam videmus ab oriente usque in occidentem; et dicitur emisperium superius. Inferius vero emisperium est illa pars tota celi que subter terram est, ab occidente usque in orientem, quam non videmus, quam diu sub terra est. Quod autem lunam vocat *Caino et le spine*, hoc facit ad condescendendum opinionibus rusticorum, qui dicunt in luna esse Caym cum fasce spinarum, propter fraticidium quod commisit.

In isto XX cantu continentur due comparationes et quatuor notabilia.

[Comparationes]

vv. 7-9

PRIMA COMPARATIO.

et vidi gente per lo vallon tondo
venir, tacendo et lagrimando, al passo
che fanno le letane in questo mondo.
Lictera plana est.

vv. 16-18

SECUNDA COMPARATIO.

Forse per forza già di parlasia
si travolse così alcun del tutto;
ma io nol vidi, nè credo che sia.
Comparatio talis: isti enim qui in ista bulgia puniuntur habent ad modum paraliticorum colla et capita ita dissoluta sive retorta, quod retro facies habent versas. Paralisis enim aliquando ita membra

dissolvit et volvit quod os et nasum et faciem totam vertit; sed non eo modo quo isti malefici puniuntur. Est autem paralisis lesio partis vel membri, cum privatione seu diminutione sensus, vel motus, vel utriusque. Et dicitur paralisis a *para* quod est <dis>, et *lisis* quod est <solutio>; inde *paralisis*, quasi <membrorum dissolutio>.

[Notabilia]

vv. 28-30

PRIMUM NOTABILE.

Qui vive la pietà quand'è ben morta;
chi è più scelerato che colui
c'al giudicio divin passion comporta?

In hoc notabili duo utilia continentur: primum est quod erga sceleratos tunc pietas vivit quando totaliter est defuncta; sicut est curialitas rusticitatem rustico exhibere. Unde infra, cantu 33°, ait autor: «et cortesia fu lui esser villano». Secundum est quod compati divino iudicio est peccatum committere sceleratum, sicut patet supra in expositione lictere.

vv. 100-102

SECUNDUM NOTABILE.

«Maestro mio, li tuoi ragionamenti
mi son sì certi, e prendon sì mia fede,
che li altri mi sarian carboni spenti».

In hoc pulcro notabili admonet nos hic autor quod, exemplo sui, quando a vero magistro aliquid audimus, quod illi dicto fidem credulam adhibere velimus.

vv. 103-105

TERTIUM NOTABILE.

«Ma dimmi, de la gente che procede,
se tu ne vedi alcun degno di nota;
chè solo a ciò la mia mente rifiede».

Hic docet nos autor quod in omni nostro exercitio semper utilia et honorabilia perscrutemur, et ipsa nostre memorie commendemus, sicut ipse, qui non nisi ea que digna sunt nota, idest laude et fama, scrutando querebat.

vv. 112-114

QUARTUM NOTABILE.

Euriphil ebe nome, et così 'l canta
l'alta mia tragedia in alcun loco:
ben lo sai tu che la sai tutta quanta.

Hic manifeste apparet quanto splendore poetico in hoc mundo claruit autor iste, qui Eneydem, que ita est obscura atque profunda, plenissime totam scivit. Quid autem sit tragedia, quo scilicet stilo liber Eneydorum decurrit, supra in prologo est expressum.

Et sic patet XX cantus.

XXI

VIGESIMI PRIMI CANTUS TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXI CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XX[I] et in sequenti cantu autor tractat de quinta malabulgia, in qua ponit barattatores comunium, dominorum, consanguineorum et amicorum; pena quorum est quod in quadam fovea plena pice et pegola calida stant submersi. Incipit autem ista bulgia in isto cantu, ibi:
ristamo per veder l'altra fessura,

etc. et finit in sequenti cantu, ibi,

Et noi lasciamo lor così 'mpacciati.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-57

Tractato de peccato magorum quod in quarta bulgia collocatur, ad peccatum barattarie Dantes dirigit vela sua, et continuat istum XXI cantum cum precedenti per istum modum: superius enim in fine precedentis cantus dicit quod a quarta bulgia recedentes versus quintam confabulando et colloquendo pariter properabant. Unde ait in textu: «Sì mi parlava, et andavamo introque», idest in tantum quod ibamus, mecum Virgilius loquebatur. Et est istud vocabulum florentinum, et tantum valet quantum <intantum> vel <interim>. Nunc vero sic dicit: Taliter de ponte in pontem, aliud loquendo quod mea Comedia cantare non curat, venimus et tenebamus culmen – subaudi pontis – quando firmavimus nostros passus aliam videre fissuram, et alios plantus vanos – subaudi quinte bulgie – et vidi eam mirabiliter obscuratam. Et ponit hic quandam comparationem, ut illam obscuritatem melius intelligere valeamus, dicens: Qualis pix hiemali tempore in arzana Venetorum ebullit ad reparandum navigia sua fracta, talis non arte ignis sed arte divina ebullit inferius una pegola dempsa in tantum quod inviscat undique ripam illam. Interim vero quod Dantes oculorum ibi lumine scrutaretur, ipsum Virgilius ad se traxit, dicendo: «Cave, cave». Ad cuius vocem Dantes illico se convertit, et vidit post se unum diabolum nigrum super pontem velociter venientem, et super humerum suum acutum atque superbum unum peccatorem gestantem; cuius peccatoris manibus tenens, pedem ipsum de ponte proiciens exclamavit: «O Malabranca, ecce unum ex antianis Sancte Zite; mitte eum inferius, en ego revertor adhuc ad illam terram quam ego bene munivi – subaudi barattatoribus –. Ibi enim omnis civis excepto Bonturo est barattator; in tantum – supple: quod de adverbio negandi, interveniente pecunia, fit ibi adverbium affirmandi –». Et his dictis, illum proiciens velocissime, pro aliis, ut dixerat, retrocessit. Illa autem anima sic de ponte proiecta primo propter altum casum quem habuit in illam pegolam se immersit, et postea tota convoluta superius est reversa. Sed demones qui erant sub ponte alta voce clamarunt: «Hic non habet locum Sanctus Vultus. In isto enim fluvio aliter quam in Serclo notatur. Et ideo si tu non vis de nostris fricaturis, superius non ascendas». Postea ipsum cum plus quam centum uncis momorderunt, dicentes yronice: «Cooperte hic ludere te oportet, ita quod occulte si vales accaffi». Quid autem istud *accaffi* resonet vel importet, in expositione lictere apparebit. Et adducit hic autor unam pulcerrimam figuram dicens: Non enim aliter quoqui ab eorum vassalli faciunt submergi in medio caldarie carnes cum uncis, ut superius non vacillent.

vv. 58-93

Virgilius vero ait ad Dantem: «Ad hoc ut non videatur quod tu sis hic, ab isto capite pontis post aliquem scopulum qui sit tibi pro schermo abscondere te festina, et pro nulla offensione que michi sit facta non timeas, quia ego habeo omnia valde nota, et iam alias ad conditiones similes ego fui». Postquam vero Dantes ut sibi mandatum fuerat se abscondit, Virgilius ultra ab alio pontis capite pertransivit. Et statim quod super ripam sextam pervenit, cum illo furore et cum illa etiam tempestate cum et qua canes insiliunt in mendicum, exiverunt demones de sub ponte et versus ipsum omnes uncos unanimiter converterunt. Sed ille subito exclamavit: «Nullus», inquiens, «vestrum sit modo follis. Ante nempe quam me capiat vester uncus, veniat huc qui me audiat unus vestrum; et postea sibi ipsi consulat me uncandi». Tunc omnes demones acclamarunt: «Vadat Malacoda». Ad hanc vocem Malacoda se movit et venit ad Virgilium super ripam, dicens cum se moveret ad socios: «Quid sibi proderit?» – subaudi sua locutio –. Quasi dicat: nichil. Cui Virgilius: «Credis tu», inquit, «Malacoda, me videre venisse hucusque, securum ab omnibus vestris schermis, sine velle divino ac etiam fato dextro ?» Sed hic nota tu, lector, quod in isto cantu bis est positum istud nomen, scilicet *schermo*. Primo ibi: «giù t'aquatta / dop'uno scheggio, c'alcun schermo t'aia». Secundo hic: «sicuro già da tutti vostri schermi». Et ponitur ibi pro una significatione et hic pro alia. Nam ibi ponitur pro defensione sive pro coopertione; hic vero ponitur pro impugnatione sive offensione, sicut in expositione lictere clarius apparebit. Postquam vero Virgilius illi demoni dixit

quod non sine velle divino et fato dextro Inferni semitas peragrabat, adiunxit: «Dimitte nos ire – subaudi in pace – quia beneplacitum est in celo ut ego demonstrem uni – et non dicit cui – istud iter silvestre». Ad hec verba ita perdidit suam superbam audaciam Malacoda, quod de manibus cecidit sibi uncus, et dixit ad socios: «Admodum non sit lesus». Habita itaque a Malacoda securitate, Virgilius clamavit ad Dantem: «O tu», inquit, «qui sedes inter pontis scopulos sic absconsus, secure admodum ad me redi». Ad cuius vocem Dantes concite se erexit, et ad Virgilium properavit. Ad quem videndum, ultro se demones ingesserunt; propter quod Dantes timuit ne pacta tenerent.

vv. 94-139

Et facit hic unam comparationem quam oculis suis vidit, dicens: Tali enim modo vidi ego illos pedites expavere, qui pactis compositis exiverant de Caprona, quando se in medio hostium conspexere. Unde, timore arreptus, quantum poterat Virgilio adherebat, et a signis illorum demonum oculos non volvebat. Illi autem, insimul sussurrantes, dicebat unus ad alterum: «Vis quod ipsum capiam isto unco?» Et alius respondebat: «Ita. Et taliter facies quod in vanum vel vacuum non labores». Sed Malacoda, qui fecerat eum fidum, hec audiens ad illum qui hec dixerat celeriter se convertens ait: «Quiesce, quiesce, Scarmillione». Postea dixit ad Virgilium atque Dantem: «Per istum scopulum ulterius transire non potest, quia sextus arcus iacet totus ruinosus in fundo. Et si omnino est vobis placitum pertransire, prope est enim unus scopulus, idest pons, qui transeuntibus viam prebet». Et assignat hic causam quare sextus pons et quo tempore fuit fractus. «Heri», inquit, «quinque horis plus quam sit ista hora transactis, mille ducenti sexaginta sex anni completi sunt quod hic semita fuit fracta. Ego autem mitto versus illac de istis meis ad revidendum si aliquis de ista bulgia extra pegolam se emergit. Ite igitur cum eis, quia non erunt vobis pravi». Et his dictis, decem malignos spiritus convocavit, quibus dedit duo precepta. Primum, scrutamini in circuitu istam viscosam foveam bullientem. Secundum, isti duo sint salvi usque ad alium pontem, qui totus integer extenditur super tanas. Nomina vero istorum decem demonum ista sunt: primus Barbariccia, et iste fuit aliorum decanus; secundus Alichinus; tertius Calcabrina; quartus Cagnazo; quintus Libicocco; sextus Draghignazo; septimus Ciriattus Sannutus; octavus Graffiacane; nonus Farfarellus; decimus et ultimus Rubicante; cui cognomen imposuit furiosum, dicens: *et Rubicante il pazzo*. Dantes vero audiens istos talibus nominibus nominari, et videns in eis duo mala signa, subsannatione scilicet dentium et per ciliorum nutus facies comminaces, ait ad ducem suum: «Heu me, magister mi, quid est istud quod video? Rogo te ut sine isto conductu vadamus soli, si tu scis ire, quia ego pro me nullatenus ipsum peto». Cui Virgilius: «Noli expavescere, quia hoc faciunt propter putridas passiones». Illi autem decem demones, iter arripientes, per sinistrum aggerem se volverunt; sed prius quilibet ipsorum habebat versus eorum ducem dentibus linguam strictam, et dux qui eos preibat cum anu tanquam cum tubicina bucinabat.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-6

Così di ponte in ponte, altro parlando,
che la mia comedia cantar non cura,

Vult hic dicere autor quod dum sic pontes transcenderent bulgiarum, quod multa alia ipse et Virgilius loquebantur, que sua Comedia, idest iste liber, cantare non curat. Iste autem liber ideo dicitur comedia quia, ut dictum est supra in prologo, est quoddam genus poetice descriptionis. Et dicitur comedia a *comos*, quod est <villa>, et *oda*, quod est <cantus>, inde Comedia, quasi <villanus cantus>; quia incipit a miseria et finit in felicitatem, sicut villani qui in villa vel comitatu habitantes, dum efficiuntur cives, de rustico opere ad civile negotium transeunt. Ita poete comici sua opera incipiunt a vili materia et terminant ipsam in nobilem, idest incipiunt a miseria et adversitate et finiunt in prosperitatem et felicitatem.

venimo; et tenavamo 'l colmo, quando

ristamo per veder l'altra fessura

Hic incipit quinta bulgia: «et li altri pianti vani»; quasi dicat eorum lamentatio sit in vanum. Ubi est advertendum quod duplex est penitentia, scilicet assumpta et illata. Penitentia enim assumpta est illa pena quam homo assumit vel recipit pro peccatis commissis purgandis; et tunc penitentia sonat <penam tenens>, quia peccator tenet voluntarie talem penam. Penitentia vero illata est illa pena quam divina iustitia dat damnatis; et tunc penitentia sonat <pena tenet>, quia tunc ab homine voluntarie non tenetur, sed ipsa potius tenet ipsum. Ideo tales plantus vel tales dolores vani ab autore vocantur, dum dicit:
et li altri pianti vani;
et vidila mirabilmente oscura.

vv. 7-9

Quale ne l'arzanà de' Vinitiani
bolle l'inverno la tenace pece,
per rimpalmar li legni lor non sani,

Hic autor, ut clarius obscuritatem quinte bulgie videamus, adducit in exemplum et comparationem picem que hyemali tempore in arzanà Venetorum ebullit, ad reparandum scilicet navigia sua vetera seu fracta. Et ponit hic omnia quasi exercitia nautica, dicens: Quidam faciunt naves novas; quidam vero procurant veteres resarcire; quidam aptant proras, quidam pupes. Et est prora pars anterior navis; pupis vero posterior. Alii faciunt remos, alii funes, alii vero vela vel faciunt vel reaptant. Ideo dicit in textu:

vv. 13-15

chi terzeruolo et artimon rintoppa Terzaruolo, idest velum parvum; artimon vero est velum maius. Omnia autem ista fiunt Venetiis in arzanà. Est autem arzanà una magna habitatio in qua sunt plurime domus, in quibus naves nove fabricantur et vetere[s] reaptantur. Sed quia ad fabricandum et reaptandum ipsas naves indigent multa pice, ideo hiemali tempore, ut dictum est, ebullit ibi multa pix. Talem itaque picem seu pegolam in ista quinta bulgia autor ebullire conspexit. Que quidem ebullitio non ab igne, sed ab arte divina procedit. Ideo ait:

vv. 16-18

tal, non per foco ma per divin'arte,
bollia là giuso una pegola spessa,
che 'nviscava la ripa d'ogni parte.

In ista itaque bulgia sic calida, sic obscura pariter et viscosa, barattatores poetice puniuntur. Que quidem tria, scilicet caliditas, obscuritas, et viscositas, peccato barattarie optime correspondent. Peccatum barattarie primo calefacit hominem ad rapinam. Est autem barattaria proprie dolosa et fraudulenta in occulto rapina, que contra rem publicam vel statum rei publice sive yconomice committitur fraudulenter. Et hec rapina committitur duobus modis: vel cum quando publica persona, ut puta potestas, capitaneus, iudex, vel alius quivis officialis, per pecuniam pervertit rectum iudicium; vel cum quando persona privata, ut puta civis in consilio, amore pecunie, bonum comune postponit, et reddit dolosa et fraudulenta consilia. Ista autem lucra, et quia sunt magna et quia cum modico labore quesita, calefaciunt hominem ad lucrandum. Ideo in pice que eum calefit multum enim fervida collocantur. Secundo, peccatum barattarie semper secrete committitur et occulte, et hoc quia peccatum valde vituperosum. Ideo in pice punitur, quia in pice, quantumcunque sit calida seu fervens, nichil videtur in ea, sicut in aqua que omnia manifestat.

vv. 19-21

Ideo ait in textu:
Io vedea lei, ma non vedea in essa
mai che le bolle che 'l bollor levava,
etc.

Est etiam aliud in pice: quia inquinat quicquid tangit, et talis inquinatio non de facili aboletur. Simili modo peccatum barattarie habet officiales et cives turpiter inquinare, sive etiam infamare; et talis infamia est valde difficilis, immo impossibilis ad lavandum. Ideo ait Salustius: Qui tangit picem

coinquinabitur ab ea. Tertio, peccatum barattarie est adeo viscosum, quod quicumque huic peccato se dederit, raro vel nunquam ab ipso poterit resilire. Ideo ait in textu:
che 'nviscava la ripa d'ogni parte.
I' vedea lei, ma non vedeva in essa,
mai che le bolle che 'l bollor levava,
et gonfiar tutta, et riseder compressa.
Pix cum calefit magis ferventer et aliter ebullit quam aqua. Quia enim pix est multum pinguis, et omne pingue est fomentum ignis, ideo cum calefit, magis quam aqua calefit. Ebullit etiam alio modo quam aqua. Nam aqua cum calefit, cum sono et inflatione magna calefit. Sed pix, propter suam tenacitatem, in altum elevari non potest; et quia pinguis est, ideo non cum sono sicut aqua, sed in silentio bullit. Inflatur autem virtute ignis; et illa talis inflatio in altum non elevatur, sed statim deprimitur et descendit.

vv. 25-27

et cui paura subita sgalliarda,

Timor subitus cum perculit hominem habet omnem audaciam removere. Ideo ait Lucanus de Cesare: «Perculit horror membra ducis ruguere come». Simili modo, cum Virgilius dixit Danti: «Guarda, guarda», tantus timor eum invasit quantus invadere solet illum qui tardat videre id a quo sibi cavere oportet, ne propter videre sua evasio retardetur, et cuius membra subito pavore tenentur. Est autem *sgalliarda* vocabulum Tuscorum, quod in latino sonat <audaciam perdere>, sicut *gagliarda* <audaciam summere vel habere>.

vv. 37-42

Del nostro ponte disse: «O Malebranche». Illi maligni spiritus qui in ista quinta bulgia ad puniendum barattariam a divina iustitia sunt locati, ideo Malebranche vocantur ad innuendum quod malas manus habent, qui contra rem publicam malum operari conantur.

Ecc'un delli antian di Sancta Zita. Santa Zita fuit quedam bona mulier de civitate lucana quam Lucani venerantur ut sanctam. Corpus enim eius adhuc integrum in dicta civitate, ab ipsis Lucanis, licet per Romanam Ecclesiam canonizata non sit, honorifice non tamen secundum sanctam honoratur. In derisionem igitur Lucanorum, qui sine approbatione Sancte Romane Ecclesie dictam feminam venerantur ut sanctam, ait ille spiritus tenebrarum: «Ecce unum de antianis Sante Zite». Antiani autem in lingua ytalica tantum sonant quantum senes civili dignitate fulgentes. In derisionem ipsorum etiam Lucanorum istum barattatorem vocat ille spiritus yronice <antianum>, quia licet fuerit senex etate, erat tamen vita et moribus adolescens. Ad quorum omnium notitiam est sciendum quod anno domini MCCC, die scilicet XXVI martii, in civitate lucana mortuus est quidam popularis maximus antianus qui vocabatur Martinus Bottarius, quia vegetes faciebat. Cuius animam fingit autor, exemplariter de barattatoribus poetando, in istam bulgiam a quodam demone fuisse proiectam. Et hoc nil aliud sonat nisi quod intentiones illorum qui deputati sunt ad rem publicam gubernandam, dum ad barattariam intendunt, de alto culmine tanti regiminis ad yma labuntur.
Mettetel sotto, ch'i' torno per anche

Quia omnes Lucani qui administrationi rei publice se immiscent baraptatores communiter comprobantur, ideo ille demon qui animam Martini Bottarii in istam bulgiam transportavit, sicut solicitus executor sue improbe voluntatis ait: «Mitte istum inferius, quia ego revertor pro aliis – subaudi barattatoribus – ad suprascriptam scilicet civitatem, que meis operibus optime baraptatoribus est munita». Ideo ait: «io torno per anche / a quella terra ch'i' n'ò ben fornita». Et ad designandum qualiter sit munita, subiungens yronice ait: «Omnis nempe ibi est barattator excepto Bonturo». Et est hic quedam figura que dicitur *anthifrosis*, que dicitur ab *anthi* quod est <contra>, et *frosis* quod est <locutio>, inde anthifresis, <contraria quasi locutio>. Re vera enim iste Bonturus in consiliis et in administratione rei publice sue terre, fuit semper super omnes suos concives precipuus barattator. Et ad specifice declarandum in quo actu ipsa barattaria consistat, ait: «del no, per li denar, vi si fa *ita*». Cuius sententie moralis intentio ista est: Cum enim cives in administratione rei publice ab omni eo quod prohibetur a legibus debeant abstinere et bonum universale proprie utilitati preponere, ideo quotienscunque per pecuniam a prohibitis non abstinent et bonum proprium universali preponunt, totiens de adverbio negandi faciunt adverbium affirmandi; hoc est de prohibito faciunt preceptum, et de negativo affirmativum. Ideo ait in textu:

Del no, per li danar, vi si fa ita. De istorum enim barattatorum falso iudicio ait Lucanus in X: *Ibi fas ubi maxima merces.*

vv. 46-48

Qui non à luogo il Santo Volto.

Adhuc Lucanos derident isti demones. Lucani enim habent in eorum maiori ecclesia quandam effigiem ligneam crucifixi quam nominant «vultum sanctum». Circa quam crucem errare videntur. Nam communitur opinantur in ipsa cruce aliquod numen esse, et ipsam non ut figuram vel effigiem crucifixi, sed quasi ipsum Deum humanatum et in carne natum veneratione latrie venerantur. Ideo derisorie dicitur in textu: «Qui non à luogo il Santo Volto!»

Sed quia in ista glosa de veneratione latrie fit mentio, videamus idcirco quot et qualia sunt genera venerationum. Circa quod sciendum est quod tria sunt genera sive speties venerationum. Prima dicitur *latria*, secunda *yperdulia*, tertia vero *dulia*. Latria enim est illa servitus sive reverentia quam creatura exhibet creatori, dum scilicet Deum tanquam creatorem omnium adorat. Et ista talis reverentia exhiberi non debet nisi solummodo Deo; et ob hoc pagani, quia servitutem et reverentiam quam Deo exhibere debebant ydolis exhibebant, ideo ydolatre dicti sunt. Nam ydolatria nil aliud quam latria ydolo facta, ut ait Ugo de Sancto Victore. Yperdulia vero est illa reverentia sive servitus quam exhibemus corporibus sanctis et animabus ipsorum; quos quidem honoramus, non quia dii sint, sed quia amici sunt Deo. Dicitur etiam yperdulia illa reverentia quam facimus crucibus, ymaginibus, et picturis; non quod credamus quod ibi sit aliquid numinis, sed ob reverentiam Christi crucifixi crucem adoramus, et ob reverentiam sanctorum eorum corpora et ymagines honoramus. Dulia vero est illa servitus sive reverentia quam facimus dominis temporalibus, sicut quando osculamur pedes summi Pontificis, vel principis Romanorum. Ista autem tria vocabula venerationum, scilicet latria, yperdulia, et dulia, greca sunt, que in lingua latina interpretantur servitus, ut ait Ugo de Sancto Victore. Prima dicitur servitus facta Deo; secunda servitus facta sanctis, et dicitur ab *yper*, quod est <supra>; tertia vero dicitur servitus facta homini. Lucani igitur vultum sanctum de Luca, tanquam divinitatem vel numen aliquid, venerantur. Ideo derisorie dicunt illi Martino: «Qui non à luogo il Santo Volto!»

vv. 49-51

qui si nuot'altrimenti che nel Serchio!

Serclus est fluvius Lucanorum in quo Lucani mirabiliter delectantur; nam estivo tempore non solum pueri, sed iuvenes atque senes inverecunde se balneant in eodem. Et quod vanius est, in medio mense iulii milites Lucanorum in quodam eorum festo ad ecclesiam sancti Quirici coreizant, et de equis non nudi sed induti in dictum fluvium, quasi ad honorem dictorum sanctorum, capite proiciunt se deorsum. Maligni itaque spiritus derident etiam in hoc verbo Lucanos, qui tantam vanitatem ita fatue more pagano exhibent festis suis. Et ideo aiunt: «qui si nuota altrimenti che nel Serchio!»

vv. 52-54

Coverto conven che qui balli. Iste Martinus Bottarius, qui propter peccatum barattarie hic ponitur ab autore, fuit homo multum levis in moribus, sicut sunt omnes alii etiam sui cives. Nam, re vera, Lucani communiter stulti et fatui reputantur. Is ergo Martinus adeo levis fuit, quod cum quadam vice ad Romanam Ecclesiam ex parte sui communis ambaxiator ivisset, et una die cum papa Bonifatio in camera se multum iactasset, ait ad dominum Papam: «Padre sancto, crollami»; hoc est, <pater sancte, me excute>. Quod cum Papa causa ioci et recreationis illum agitasset, ait ille: «Mezza Luca ài crollata»; idest, <mediam Lucam excussisti>. Improperando igitur et deridendo demones sibi dicunt: «Coverto convien che qui balli», etc. Quod autem sequitur «sì che, se puoi, nascosamente accaffi», sic est intelligendum: In Tuscia est quidam ludus puerorum qui vocatur *acaffo*; nam puer claudit sibi in manu denarios vel fabas, vel aliquid aliud in numero dispari seu pari, et dicit socio: «Indivina». Ille vero dicit unum istorum, aut par aut impar; et vocatur iste ludus, ut dictum est, acaffo. Isto itaque modo barattatores in consiliis tenent manus clausas, et id quod demonstrant mittere in unam pixidem mittunt in aliam. Improperant igitur demones isti, quod quemadmodum in consiliis occulte barattariam operatus fuerat, ita occulte, idest cooperte, sub pice natare procuret.

vv. 79-84

«Credi tu, Malacoda, qui vedermi
esser venuto», disse 'l mi' maestro,
«sicuro già da tutt'i vostri schermi,
senza voler divino et fato dextro?»

Licteram sic construe: Credis tu, Malacoda, me videre hucusque venisse, securum ab omnibus vestris impugnationibus vel offensis, absque velle divino et fato dextro? Quasi dicat: Quomodo nempe potuissem ego sine divina voluntate absque aliquo impedimento ab introitu Inferni hucusque venisse? Ponit autem bis hic autor unum theotonicum ydioma, scilicet *schermo*, quod quidem ponit

pro duobus diversis significatis, videlicet pro *defensione* et *offensione*. Nam superius dixit: «Giù t'aquatta», idest <inferius te absconde>, «dop'uno schegio», idest <post unum saxum>, «c'alcuno schermo t'aia», idest <ut te cooperiat vel abscondat>. Simile habetur supra capitulo sexto: «dell'un de' lati fanno a l'altro schermo». Hic autem dicit: «sicuro già da tutt'i vostri schermi», idest ab omnibus impugnationibus vel offensis. Et descendit istud nomen *schermo* ab illa arte rei militaris que vulgo dicitur *schermire*. Nam illo actu sunt duo opposita, scilicet defensio et offensio; quia cum una manu vel uno actu homo se operit vel defendit, et cum alia manu vel actu adversarium percutit vel offendit. Quod autem dicit: «senza voler divino et fato destro», ponit hic opinionem theologicam et paganam. Nam secundum theologos nichil fit sine voluntate vel permissione divina. Secundum vero paganos, omnia a fato, idest a constellationibus, eveniunt vel procedunt. Tamen theologicus iste poeta velle divinum et fatum dexterum unum esse ponit. Est autem fatum, secundum Boetium, dispositio inherens rebus mobilibus, per quam dispositionem providentia suis utitur ordinibus. In qua fati descriptione, secundum Thomam de Aquino in Summa Contra Gentiles: Dispositio pro divina ponitur ordinatione. Rebus autem mobilibus inherens ponitur ut distinguatur fatum a providentia. Nam ipsa ordinatio, secundum quod est in mente divina, nondum rebus impressa, providentia est. Secundum vero quod iam est explicita in rebus, fatum nominatur. Mobilibus autem dicit ut ostendat quod ordo providentie non aufert rebus contingentiam et mobilitatem, ut quidam posuerunt. Secundum hanc ergo acceptionem, negare fatum divinam providentiam est negare. Sed quia cum infidelibus nec nomina debemus habere communia, ne ex consortio nominum possit summi erroris occasio, nomen fati non est a fidelibus utendum, ne videamur illis assentire qui male de fato senserunt, omnia necessitati syderum supponentes. Unde Augustinus dicit in quinto De Civitate Dei: Si quis virtutem et potestatem dei fati nomine appellat, linguam corrigat, sententiam teneat. Et Gregorius, secundum eundem intellectum dicit: Absit a fidelium mentibus ut fatum aliquid esse dicant. Potest itaque fatum ab illis sapientibus nominari qui ordinationem divinam et fatum unum esse et credunt et ponunt. Isto itaque modo ponit hic autor voluntatem divinam et fatum.

vv. 94-96

et così vid'io già temer li fanti
c'uscivan pattegiati di Caprona,

Iuxta civitatem Pisanam, ad V miliaria, est quoddam castrum quod vocatur Caprona, a quo castro illi nobilissimi inter omnes cives Pisanos Capronenses denominantur. Propter guerram vero que olim, tempore istius autoris, fuit inter Pisanos et Tuscos, dicta Caprona a Tuscis fuit obsessa. In qua quidem obsidione fuit iste autor et vidit, oculis propriis, id quod in textu ad comparationem inducit. Nam ita acriter a Tuscis fuit obsessa dicta Caprona, quod pedites qui in castro erant inclusi coacti sunt compositionem facere cum illis de exercitu, et salvis personis, arcem reddere quam tenebant. Cum autem per media castra transirent, videntes undique arma et malos vultus hostium, terribiliter timuerunt ne pacta violarentur ab ipsis. Exemplificat itaque autor et dicit: «Ita timui ego cum vidi illos demones, sicut timuerunt pedites de Caprona quando in medio hostium se viderunt».

vv. 103-105

«Posa, posa, Scarmiglione !»

Nota quod demones qui ad executionem et punitionem barattarie in ista malabulgia a divina sunt iustitia deputati Malebranche vocantur, ad designandum quod malas manus habent barattatores, dum bona comunitatum dolose rapiendo corrumpunt. Inter istos autem demones duo hic principes principaliter principantur: unus vocatur Malacoda et alter Scarmillione, ad designandum quod in barattaria est rapacitas, que per Scarmillionem significatur. Nam *scarmillione* lingua Tusca tantum valet quantum in gramatica valet *raptor*. Est etiam in barattaria mali finis intentio, cuius gerit similitudinem Malacoda; nam per caudam, que est finis in animali, finis intentio figuratur.

vv. 106-114

Poi diss'a noi: «Più oltre andar per questo
scollio non si può, però che giace
tutto spezzato al fondo l'arco sesto.
Et se l'andar più oltre pur vi piace,
andatevene su per questa grotta;
presso è un altro scoglio che via face.
Hier, più oltre cinqu'ore che quest'otta,
mille dugento con cinquanta sexantasei
anni compie che qui la via fu rotta».

Postquam Malacoda audivit a Virgilio quod, divina permissione, ipse Virgilius cum Dante poterat infernales semitas peragrare, dicit quod si ipsi volunt ulterius ire, oportet eos ire per illam grottam usque ad alium pontem; quia pons per quem de quinta bulgia solitum iter erat ad sextam, totus fractus et ruinosus iacebat in fundo. Et assignat tempus quando ille sextus pons sic fractus cecidit in profundo, dicens: «Heri transactis quinque horis ultra quam sit ista hora qua tecum modo loquor, completi sunt – subaudi anni – mille ducenti et sexaginta sex quod ista via, idest pons, per quem transitus erat in sextam malabulgiam, fuit fracta». Ad cuius evidentiam est sciendum quod autor poetando confingit illa hora qua Christus expiravit in cruce in Infernum intrasse, hoc est die 25a martii, anno a passione domini MCC sexagesimo sexto, hora scilicet nona; ab incarnatione autem eius anno MCCC. Et ab ista hora usque ad tertiam horam sequentis diei hucusque venisse, in qua hora ait Virgilio Malacoda: «Heri completi sunt anni mille ducenti sexagintasex quod hic corruit ista via». Et concordat ista poesia cum fide catholica, que ut sancta Evangeliorum attestatur ystoria, illa hora qua Christus expiravit, inter alia signa que in universo apparuerunt, petre scisse sunt. Et tunc illa hora in ista bulgia corruit iste pons. Qui numerus sic colligitur: anno enim MCCC, quo tempore Rome fuit generalis remissio omnium peccatorum, sedente in Romana sede Bonifatio papa octavo, ut superius in prologo dictum est, iste autor istam Comediam composuit. Sed quia sub nomine visionis ipsam describit, ideo ponit quod ea die et hora qua Christus mortuus est, quam quidem horam noctem vocat, in Infernum intravit. Unde superius, cantu secundo, dicit: «Lo giorno se n'andava et l'aer bruno», idest nox, etc.

Totam igitur noctem consumpsit ab introitu Inferni usque ad hunc locum, et totum diem sequentem cum medietate noctis Dominice Resurrectionis usque ad centrum. Et illa hora qua Christus a mortuis resurrexit, autor ab inferis exiit et versus montem Purgatorii erigit vela sua. Mane igitur diei Sabbati Sancti dixit Malacoda Danti: «Heri hora sexta completi sunt anni mille ducenti sexagintasex, quod iste pons fuit fractus». Nam Christus vixit annis XXXIII, et mensibus tribus, et in utero Virginis VIIII mensibus habitavit. Sed si ab annis domini mille trecentis extrahantur anni XXXIIII quibus vixit, computata conceptione, remanent MCCLXVI. Sed hic oritur una questio: quare scilicet in passione Christi magis fractus est iste pons quam alii pontes. Respondeo: In ista VIa malabulgia puniuntur ypocrite, et maxime illi pharisei et sacerdotes qui in Evangelio falsi prophete a Domino appellantur, et quorum opere Christus extitit crucifixus. Cum itaque pontifices et pharisei propter mortem Christi erant in istam bulgiam descensuri, ideo iste pons fractus est, ut semper videant vestigia passionis; et sic acrius et durius torqueantur. Et nota quod in duobus locis Inferni tempore passionis petre scisse sunt: Primo, supra, septimo circulo, cantu XII, ubi habitat Minotaurus. Et hic, circulo octavo, malabulgia sexta. Ibi enim scisse sunt propter peccatum violentie et bestialitatis; hic vero propter peccatum ypocrisis. Nam Iudei tanquam bestie se vierunt in Christum; et pontifices et pharisei, invidia ducti, eo quod populus post ipsum ibat et ipsos relinquebat, se iustificare volentes, morti ipsam iustitiam tradiderunt. Sed adhuc nota quod Malacoda quando dixit «presso è un altro scollio che via face», mendacium dixit, quia nullus alius pons est ibi per quem super sextam bulgiam sit accessus. Nam diabolus semper est mendax et pater mendacii.

vv. 136-139

et elli avea del cul fatta trombetta.

Hic ostendit autor quomodo peccatum barattarie et ipsi barattatores sunt ab omnibus deridendi; nam vituperosus ille sonus derisionem significat.

In isto XXI cantu continentur sex comparationes et duo notabilia.

[Comparationes]

vv. 7-9

PRIMA COMPARATIO.

Quale ne l'arzanà de' Vinitiani
bolle l'inverno la tenace pece,
a rimpalmar li legni lor non sani,

vv. 25-27

SECUNDA COMPARATIO.

Allor mi volsi come l'uom cui tardi
di veder quel che li conven fugire,
et cui paura subita sgalliarda,

vv. 43-45

TERTIA COMPARATIO.

La giù 'l buttò, et per lo scollio duro
si volse; et mai non fu mastino sciolto
con tanta fretta a seguitar lo furo.

vv. 55-57

QUARTA COMPARATIO.

Non altrimenti i cuoci ai lor vassalli
fanno attuffare in mezzo la caldaia
la carne con li uncin, perchè non galli.

vv. 67-69

QUINTA COMPARATIO.

Con quel furore et con quella tempesta
ch'escono i cani a dosso al poverello,
che di sùbito chiede ove s'arresta,

vv. 94-96

SEXTA COMPARATIO.

così vid'io già temer li fanti
c'uscivan pattegiati di Caprona,
veggendo sè tra nimici cotanti.
Omnes iste comparationes sunt clare et aperte.

[Notabilia]

vv. 46-48

PRIMUM NOTABILE.

«Qui non à luogo il Santo Volto!»
Quia licet facies Dei sit plena gratiarum, quia peccatores impenitentes eius gratiis se reddunt indignos, ideo in Inferno, ubi nulla est redemptio, divina facies locum non habet. Unde in cantico Moysi ait Deus: Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum.

vv. 49-51

SECUNDUM NOTABILE.

qui si nuot'altrimenti che nel Serchio!
Moraliter, secundum differentias locorum, debent esse differentie mororum. Unde versus:
Cum fueris Rome, Romano vivito more;
cum fueris alibi, vivito sicut ibi.

Et sic patet vigesimus primus cantus.

XXII

VIGESIMI SECUNDI CANTUS TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXII cantu autor tractat etiam de illa eadem materia de qua in antecedenti cantu tractavit, faciens hic exemplariter mentionem de quibusdam summis baraptatoribus.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-60

Continuando materiam, autor continuat cantum similiter subsequentem. Precedentem enim cantum sic finivit:
et elli avea del cul fatta trombetta.

Sequentem vero sic continuando incoat: Ego vidi iam milites sua castra movere, rumorem incipere, acies ostentare, et aliquando pro eorum evasione de bello recedere. Vidi etiam in civitate Aretina milites seditiose ad arma discurrere, insidiose alibi contra hostes procedere, in torneamentis unum alium vulnerare, et in giostris usque ad mortem appetere. Et omnes isti actus militares vidi moveri vel fieri cum signis quandoque tubarum, quandoque etiam campanarum, quandoque vero cum tympanis et quandoque cum signis que faciunt homines in castellis. Sed nunquam cum ita diversa tibia seu etiam instrumento moveri milites, equites, vel pedestres, nec etiam navem signo celesti vel terrestri exire de portu conspexi. Et hic facit autor quandam excusationem de societate, scilicet quam habebat, dicens quod aliam habere non poterat, quia societates inveniuntur secundum conditionem gentium vel locorum. Quod sic patet: In ecclesiis enim, ut ipse ait, inveniuntur sancti, et in tabernis gulosi. Et sic in Inferno aliam societatem quam demonum habere non poterat. Facta vero excusatione de societate pessima quam vitare non poterat, ad narrandum ea que vidit in ista malabulgia se convertit. Et dicit quod in ista bulgia, licet ipsa propter nigredinem piceam sit obscura, vidit aliquos peccatores qui ad ipsorum penam aliqualiter sublevandam, se super pegolam erigebant, dorsum solummodo ostendendo; et statim more deficientis fulguris abscondebant. Et adducit hic quandam comparationem naturalem quorumdam piscium maris, qui delphynes vocantur. Qui quidem pisces, quadam naturali cognitione tempestates fluctuum previdentes, crebris saltibus quos faciunt super aquam admonent navigantes ut a ventura caveant tempestate. Isto itaque modo quo saltant delphines aliquando supra mare, saltabant supra picem isti etiam peccatores. Et quemadmodum ranuculi iuxta ripas fluviorum vel fovearum stant cum capite solummodo extra aquas, totum corpus aliud abscondendo, ita stabant, dicit autor, ex omni parte in illa fovea peccatores. Sed cum appropinquabat cum suis sociis Barbariccia, qui erat ipsorum decurio, statim inferius se trahebant. Hec autem attente considerans, vidit in illa ripa qua ibant duas animas simul iunctas, quarum una more ranarum inferius se trahente, alia in ripa suspensa remansit. Sed unus istorum decem spirituum, nomine Graffiacane, qui magis de prope illi erat, illam miseram animam per capillos cum unco quem gestabat in manu superius ad se traxit. Tunc unus alius ex decem, nomine Rubicante, ad clamorem omnium sociorum clamantium et dicentium: «O Rubicante, facias quod tu in eum taliter tuos ungues inmittas, quod eum excories sua pelle». Quod videns Dante ait ad Virgilium: «Magister, facias si tu potes, quod tu scias quis est iste infortunatus, qui ad manus suorum adversariorum devenit». Tunc Virgilius, appropinqua[n]s ad ipsum, quisnam fuisset eum interrogavit. Et ille: «Ego fui de regno Navarre natus. Mater enim mea, que me de uno ribaldo genuerat, cum uno domino – subaudi de regno Navarre – me posuit. Postea fui familiaris boni regis Thebaldi, in cuius curia ad faciendum barattariam me dedi, quo peccato in isto calore rationem – subaudi villicationis mee – nunc reddo». Cyriattus autem, hoc audiens, de cuius ore ex omni parte una sanna ad similitudinem apri prodibat, illum infortunatum dente aprico laceravit; et sic iste miser in medio istorum demonum ita stabat sicut stat mus aliquando inter captos. Unde ait autor in textu:
Tra male gatte era venuto il sorco;

Quod animadvertens ipsorum decurio Barbariccia, illum miserum brachiis suis vinxit, dicens ad suos: «State a longe et ego ipsum interim infurcabo».

vv. 61-151

Et ad Virgilium faciem volvens ait: «Interroga eum, si ab ipso aliquid discere concupiscis». Et Virgilius ad eum: «Cognoscis tu sub ista pice aliquem latinorum?» Cui ille: «Ego recessi modicum est ab uno, cum quo utinam adhuc essem sub pice coopertus, quia non timerem ibi ungulas neque uncos». Ad hec Libicoccus: «Nimium sustinuimus», ait. Et percutiens illum in brachio suo unco, dilacerando abstulit unum lacertum. Draghignazus etiam illum voluit in cruribus lacerare, sed illorum decurio contra illos se volvit in circuitu malo vultu. Postquam autem illi maligni spiritus aliquantulum sunt pacati, ait ad illum miserum sine mora Virgilius: «Quis fuit ille a quo, tuo danno, ut dixisti, superius

recessisti?» Et ille: «Fuit», inquit, «fra Gomita de Galluri, vas omnis deceptionis et fraudis, qui habuit in manibus sui domini inimicos, et per barattariam – subaudi quam fecit – omnes ipsum commendant. Denarios enim ab ipsis recepit et sine scitu – subaudi domini sui – omnes in pace dimisit. In aliis etiam officiis quibus in curia sui domini fungebatur, barattator fuit non minimus sed suppremus. Conversatur autem cum ipso Dominus Michael Zanche de Lugodorio, qui ambo ad loquendum de Sardinia suas linguas nunquam sentiunt esse fessas». Et hec dicens, sicut erat totus fraude et dolo plenus, ut falleret circumstantes ea que incepit dimisit et ait: «Heu me, videte alium qui subsannat. Ego dicerem adhuc, sed timeo manus eius». Contra quem decurio se volvens, ipsum qui vocabatur Farfarellus minaci vultu et verbis terribilibus increpavit. Tunc Navarrensis, ut illos teneret in verbis et sic falleret, consequenter adiunxit: «Si vos vultis vel videre vel audire Lombardos scilicet seu Tuscos, ego faciam ipsos venire. Sed stent aliquantulum a longe Malebranche, ita quod ipsi non timeant – subaudi superius apparere – et ego stando solummodo in hoc loco, pro me qui sum unus, quando sibilabo secundum morem nostrum, septem superius apparebunt». Cagnazus autem ad hec verba musum erexit, et caput movendo: «Audi», inquit, «malitiam quam cogitavit iste ut inferius se immergat». Unde ipse, qui habebat laqueos – subaudi dolosos – in habundantia valde magna, respondit: «Malitiosus sum ego nimis, quando maioribus meis procuro inferre tristitiam». Ad hec Alichinus se continere non potuit, et versus alios ait illi: «Si tu hinc descendere attentabis, non consequar te ad passus, sed apertis alis te insequar supra picem. Idcirco nobis collis arginis relinquatur, et ripa sit scutum inter nos – subintellige et vocandos – ad videndum si tu solus plus omnibus nobis vales». Finito vero Alichini colloquio, Dantes apostrophat ad legentem: O tu, inquit, qui legis – subaudi istam rixam – audies novum ludum. Quilibet enim illorum decem oculos ad alteram costam volvit. Et primo ille qui ad hoc concedendum crudelior inter alios videbatur. Dum autem sic omnes ab eo oculos removissent, barattator Navarrensis bene suum tempus elegit; firmavit enim pedes in terra et subito saltans, ab illorum preposito se absolvit. Unde quilibet illorum subito fuit dolore compuntus; sed ille magis qui fuit causa defecto – subintellige Alichinus –. Et ideo se movit et «Tu es captus», subito exclamavit. Sed modicum sibi valuit, quia Navarrensis in pegolam se immersit, et Alichinus volando erexit superius suum pectus. Non enim aliter anas, quando falco sibi seu herodius appropinquat, in aquam subito se immergit, et falco revertitur superius iratus et fractus. Calcabrina vero, quia Navarrensis evaserat, conturbatus volando insecutus est Alichinum. Et videns illum barattatorem immersum, suum socium, scilicet Alichinum, manibus et pedibus ungulatis invasit. Sed Alichinus fuit bene accipiter tunc grifagnus ad invadendum ipsum; et sic ambo in ferventis stagni medium insimul ceciderunt. Tunc, propter calorem maximum quem senserunt, se ad invicem dimiserunt. Ideo dicitur in textu: «Lo caldo schermitor subito fue». Sed propter hoc de illa fovea, quia alas inviscatas habebant, surgere nequiverunt. Qua propter Barbariccia cum aliis suis condolens de duobus, quatuor demones ad aliam costam fecit celeriter convolare; ita quod ipse cum tribus ex una ripa, et alii quatuor ex alia, suos uncos versus illos duos, ut inde ipsos extraherent, converterunt. His autem sic visis et actis, Virgilius atque Dantes illos in ibi dimittentes inde celeriter discesserunt. Unde ait in textu:
Et noi lasciamo lor così 'mpacciati.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-12

Vidi già cavalier muover campo, usque ibi: *ne già con sì diversa cennamella*, etc. Ad insinuandum nobis autor quomodo sit vituperosum scelus barattarie, dicit superius quod Barbariccia, qui fuit electus decurio inter decem, ducebat exercitum suum cum sono ani. Unde ait in textu: «et elli avea del cul facta trombetta», idest tubettam, que est diminutivum tube. Solitum est enim acies equestres sive pedestres, terrestres sive navales, duci sono aliquo sive signo, ut puta tuba. Ideo ait: «con trombe». Est autem tuba longa fistula, ex argento vel ere facta, omnibus certe nota, que quidem primum a Tyrrenis, idest Tuscis, inventa est, ut ait Ysidorus, tertio libro Eth. Unde Virgilius:
Tyrrenusque tube mugire per ethera clangor.

Dicitur enim Tuscia Tirrenia a Tirreno, Lidie fratre, qui ex sorte cum populi parte de Meonia ad Ytaliam venit, et in Tuscia regnum possidet, ut ait Ysidorus. Inde mare Ytalicum Tyrrenum denominatur. Est et alia fistula minor tuba, que vulgo trombetta vocatur, cuius sono milites excitantur ad arma, convocantur in unum, et ducuntur ad bellum. Aliquando autem ducuntur vel moventur sono campane; unde ait: *quando con campane*. Campana autem *nola* antiquitus dicebatur, unde *nolare*, idest campanile. Et dicta est nola a quadam civitate Campanie que dicitur Nola, cuius terre episcopus fuit ille mirabilis vir beatus scilicet Paulinus, qui ut viduam consolaretur, se ipsum vendidit pro redemptione captivi, ut scrivit beatus Gregorius tertio libro Dyalogorum. In ista itaque civitate primo facte sunt nole, idest campanelle que suspenduntur ad colla boum; et inde maiores campane initium habuerunt; aliquando cum tympanis sive sistris. Ideo ait: *Con tamburi*. Istud autem instrumentum, scilicet sistrum vel timpanum, quod vulgo dicitur *tamburo*, Ysis regina Egyptiorum invenit, ut ait Ysidorus, III libro Eth. De qua Iuvenal:
Ysis, et irato feriat mea limina sistro.

Aliquando autem cum signis turrium vel castrorum. Ideo ait: *et con cenni di castella*. Moventur enim aliquando milites ad signa ignium vel fumorum. Naves etiam sulcant mare vel ducatu stellarum, quia ad signum tramontane dirigunt vela; vel cum vident aliquam partem terre sciunt arripere viam suam. Ideo ait:

nè nave a segno di terra o di stella.

Narratis itaque autor diversis generibus instrumentorum atque signorum quibus exercitus terra marique movetur, concludit quod nunquam vidit milites vel pedites tali sono moveri vel duci, quali ducebantur illi demones per Infernum. Ideo ait: *nè già con sì diversa cennamella*, idest tibia.

Est autem tybia instrumentum ligneum vel ereum, dulcissimum emittens sonum, quod quidem vulgo <cennamella> vocatur; quod tantum sonat quantum <mellea canna>. Dicitur autem in latino tybia, quia primum de cervinis tibiis et cruribus innulorum facta sit, ut ait beatus Ysidorus, libro ut supra. Inde *tybicen*, quasi <tybiarum cantus>. Hoc autem instrumentum primo Phriges invenerunt.

vv. 13-15

Noi andavam con li diece dimoni.
Hai fiera compagnia! ma ne la chiesa
co' santi, et in taverna co' ghiottoni.

Hic excusat se autor, dicens aliam societatem in Inferno habere non potuisse, quia non sunt ibi nisi demones vel dannati. Sed in illa bulgia homines pro ducatu vie habere non poterat, quia omnes erant in pice submersi. Non enim potest homo societatem habere nisi secundum conditionem loci, quia secundum Aristotilem locus et locatum sunt unigenia. Ideo declarando subiungit autor quod in ecclesiis stant sancte persone, et in tabernis gulose.

vv. 19-21

Come i dalfini, quando fanno segno
a' marinari,
etc.

Delphini sunt pisces marini, qui ut aiunt philosophi naturales, futuram presentiunt tempestatem, quam ostendunt navigantibus in hunc modum: Relinquunt enim, cum venturam appropinquare sentiunt tempestatem, profundum maris et se superius super aquas attollunt; super quam saltando et ludendo, naturali quadam industria pariter et amore, navigantibus signa dant ut velocius terram petant. Dicitur etiam quod isti pisces hominem, naturali quodam instinctu, diligunt; et ideo quando futuram sentiunt tempestatem, homines signo docent ut a morte caveant et vitam in loco tuto reponant. Dicitur etiam de delphinis quod, si hominem in mari periclitantem inveniunt, quod ipsum ne submergatur eripiunt, et si mortuum invenerint, eius carnem non tangunt; et ne ab aliis piscibus devoretur, ad terram deducunt. Item dicit Plinius quod delphini per odorem sentiunt et cognoscunt si homo mortuus in mari unquam comederit de delphino; quia si comederit, comedunt ipsum; si vero non, ipsum ad terram deducunt.

vv. 25-27

Et com'a l'orlo de l'aqua d'un fosso
stanno i ranocchi

Consuetudo est ranunculis, ut videmus, quod quando stant in fluviis vel fossatis, quod in ripa tenent capita extra aquam, et cetera membra celant. Simili modo dicit autor quod isti barattatores tenebant capita extra picem, et totum corpus reliquum occultabant. Sed cum decurio ipsorum appropinquabat, omnes inferius se trahebant.

vv. 31-33

I' vidi, et anche 'l cor mi n'accapriccia Istud vocabulum, scilicet *accapriccia*, est nomen Tuscum, et tantum sonat in vulgari quantum in gramatica *rigeo, es*. Vult itaque dicere autor quod, quando vidit illam animam miseram Navarrensem, que propter suam pigritiam fuit capta, quod totus riguit in se ipso. Qualiter autem in ripa remanserit Navarrensis, comparative demonstrat cum ait:
un aspettar così, com'elli 'ncontra
c'una rana rimane et altra spiccia;

Accidit enim, ut experientia manifestat, quod dum rane sive ranunculi sunt in fossis, quod dum una ad aliam ripam vadit, vel inferius se immergit, alia remanet ubi erat. Exemplificat itaque autor et dicit quod, appropinquantibus eis, omnes barattatores qui extra picem tenebant capita sublevata, videntes demones, se sub pice continuo absconderunt; excepto illo misero de Navarra, de quo infra longa fit mentio ab autore, quem Graffiacane unco suo ferreo foras traxit. Sed quia de ranis sive ranunculis hic iam bis mentio facta est, ideo de ipsis duo breviter videamus. Et primo, quot sunt speties sive genera ranarum; secundo vero, quomodo generentur sive nascantur. Quantum ad primum est sciendum, quod sicut ait magister ystoriarum, ranarum genera tria sunt: Unum fluviale et vocale. Istud animal diebus ieiuniorum comedi non decet, nec ullo tempore debet, quia est animal ex magna corruptione proveniens. Aliud minimum, quod dicitur calamitum, quod si proiciatur in os canis, obmutescit. Istud genus vulgo ranunculi virgines appellantur. Tertium vero magnum et venenosum, quod *rubeta* dicitur vulgo, aut *botta*. Quantum autem ad secundum, quomodo scilicet generentur sive nascantur, est sciendum quod primi, hoc est ranunculi, ex putrida fovearum aquaticarum corruptione nascuntur. Nam, ut aiunt naturales, et ego ipse expertus sum, ex limosa terra putrida et corrupta vermes subtiles oriuntur, qui cum cauda in terra fixa, hac et illac se movent, et per spatium temporis eorum capita crescunt, et de terra motu proprio evelluntur. De hinc a natura datur ipsis IIII pedes, et cauda privantur. Unde Ovidius, XV libro. Meth.:
Semina lymus habet virides germinantia ranas,
et generat truncas pedibus, mox apta natando,
crura dat, utque eadem sint longis saltibus apta,
posterior superat partis mensura priores.

Secundi vero, qui vulgo ranunculi virgines nominantur, dicitur quod de rore corrupto nascantur. Rubeta autem, que alio nomine dicitur buffo, de tertio genere est, que ex coitu vel ex venenosa et corrupta corruptione gignitur vel procedit. Et ista rana habet venenum quasi insanabile. Est enim animal terrestre et aquosum, paludosum, lymosum, clamosum, ventosum, tumorosum, sub ventre maculosum, summe venenosum, et idcirco merito odiosum.

vv. 34-36

et trassel sù, che mi parve una lontra. Lontra est quoddam animal longum, gracile et subtile, fetidum atque nigrum, conversans in foveis aquaticis et fossatis. Huic itaque animali autor comparat Navarrensem.

vv. 49-51

Mia madre a servo d'un signor mi pose,
che m'avea generato d'un ribaldo,
distrugitor di sè et di sue cose.

Hic tacite demonstrat que differentia sit inter barattatorem et ribaldum. Barattator enim proprie est qui dolo vel fraude contra rem publicam vel yconomicam per pecuniam aliquid operatur. Ribaldus vero est ille qui ludendo, dispergendo, vel commessando, res et bona sua consumit. Et de istis fit mentio supra, circulo VII, girone secundo, cantu XIII. Demonstratur itaque quis et qualis iste fuerit Navarrensis, quia vita barattator, natione vero ribaldus.

vv. 55-57

E Ciriatto, a cui di bocca uscia
d'ogni parte una sanna com'a porco,
li fè sentir come l'una sdruscia.
Istud vocabulum, scilicet *sdruscia*, est vocabulum florentinum, et tantum valet quantum in grammatica *dissuo, –is*. Vult itaque dicere hic autor quod, sicut aliquando per violentiam tractus dissuitur pannus, ita dissuta, idest lacerata sunt membra illius miseri Navarrensis cum una sanna, idest dente, ex ore Ciriatti prodeunte.

vv. 58-60

Tra male gatte era venuto 'l sorco. In hoc versu duo animalia continentur, scilicet musipula sive captus, quod quidem animal dicitur vulgo *gatto*, et mus, qui lingua sarda dicitur *sorico*. Vult autem dicere hic autor quod quemadmodum mus aliquando est in medio musipularum, ita erat iste Navarrensis in medio demoniorum.

vv. 73-75

Onde 'l decurio loro. Decurio est nomen ordinis, non persone. Est enim decurio princeps vel capitaneus inter X, sicut centurio inter centum. Ista autem nomina simul et officia Moyses, vir Deo plenus, ut dicit magister ystoriarum, in Exodo adinvenit. Dicit enim quod Moyses ad consilium Ietro, socrus sui, divisit populum per numerum millenarium, et cuilibet millenario preposuit unum ducem, qui hebraice dicitur <tribunus>, grece vero <ciliarcus>. Sub tribuno vero posuit X centuriones, ita quod quilibet centurio dominabatur C viris. Sub quolibet autem centurione posuit duos quinquagenarios, ita quod quilibet quinquagenarius preesset L hominibus. Sub quinquagenario vero posuit V decanos sive decuriones, ut quilibet istorum V preesset X. Orta vero lite inter X, stabant ad iudicium decani, cui facile erat lites paucorum dirimere. Sed si non poterant litem diffinire decani, ibant ad quinquagenarium, quinquagenarius autem ad centurionem, centurio ad tribunum. Si tribunus vero litem determinare non poterat, ibat ad Moysem, qui erat quasi monarcha populi.

vv. 79-81

Fu frate Gomita. Iste frate Gomita fuit de regno Sardinie, qui cum esset in iudicatu Galluri vicarius et quasi dominus generalis, inimicos domini sui, denariis receptis, absolvit et ipsos in pace abire permisit. In aliis autem officiis quibus longo tempore in curia dicti regis fungebatur, barattator fuit non minimus, sed suppremus. Ideo in textu vas dicitur omnis fraudis, ibi: *vasel d'ogni froda*.

vv. 82-84

Ch'ebbe i nimici di su' donno in mano. Istud nomen *domnus* sic sonat in gramatica <dominus>, ita vulgo sonat etiam lingua sarda. Nam Sardi et etiam Aragones omnes ipsorum dominos vocant <domnos>.

vv. 88-90

Usa con esso donno Michel Zanche, etc. Dominus Michel Zanche fuit quidam nobilis homo de regno Sardinie, natus in quadam terra dicti regni que dicitur Lugodorium. Hic Michel Zanche fuit maximus barattator. Ad cuius pleniorem notitiam est sciendum quod Fredericus imperator habuit quendam filium naturalem nomine Enthium, quem in regem duorum regnorum Sardinee coronavit. Nam Sardinia in quatuor regna dividitur, que quidem regna <iudicatus> hodie appellantur. Et primum regnum dicitur regnum Callaritanense, secundum regnum Arboree, tertium regnum Galluritanum, quartum vero regnum Turrium. Et eorum rectores et domini <iudices> nominantur, et hoc secundum antiquam consuetudinem Iudeorum, qui antequam reges haberent, suos dominos <iudices> appellabant. Unde et quidam liber Biblie in quo scripta sunt gesta eorum <Liber Iudicum> vocitatur. Super duo itaque regna Sardinie, scilicet super regnum Turrium et Galluri, Fredericus suum filium Enthium coronavit; qui quidem rex mortuus est Bononie in carceribus. Matrem autem huius regis, ipso rege mortuo, iste Michel Zanche, cuius procurator fuerat, in uxorem accepit, ut suo iudicatu et dominio potiretur. Sed postquam multas barattarias in curia dicti regis et sue matris, quam barattatorio modo accepit in uxorem, operatus est, ipsa mortua, sororem cuiusdam Ianuensis cui[us] nomen fuit Branca de Auria in uxorem accepit. Sed iste Branca de Auria proditorio modo suum cognatum interfecit ut suum dominium possideret, sicut dicetur infra, VIIII circulo, capitulo penultimo. Dicitur autem hic *domnus* yronice, quia non legitimo modo, sed doloso, dominium usurpavit.

E a dir di Sardigna. Sardinia est quedam insula inter Europam et Affricam sita, que quidem a quodam filio Herculis, cui nomen Sardus erat, Sardinea est appellata. De qua Ysidorus, XIIII libro Eth., ait: «Sardus Hercule procreatus cum magna multitudine a Libia profectus Sardiniam occupavit, et ex suo vocabulo insule nomen dedit... In ea neque serpens gignitur neque lupus, sed solifuga tantum, animal exiguum hominibus perniciosum. Venenum ibi quoque non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos et poetas memorata apiastro similis, que hominibus risum contrahit et quasi ridentes interimit. Fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam prebentes, furibus cecitatem si sacramento dato oculos aquis eius tetigerint.

Le lingue lor non si sentono stanche. Hanc proprietatem habent comuniter omnes Sardi, quod ubicunque sint, semper loquuntur de Sardinia.

vv. 91-93

O me! vedete l'altro che digrigna. Dum iste sic barattator cum Virgilio loqueretur, vidit unum demonem nomine Farfarellus sibi terribiliter comminantem. Et ideo nova que incepit dimisit et ait: «O me! vedete l'altro che digrigna».

vv. 97-99

Se voi volete veder o udire. Cogitavit iste barattator in Inferno barattariam etiam operari et decipere illos X demones, dicens Virgilio atque Danti: «Si vos vultis videre Lombardos aliquos sive Tuscos, faciatis quod isti stent a longe; quia supra picem istis hic manentibus non venirent, sed cum ego sibilabo eis, sicut nostri moris est, statim eos videbitis».

vv. 115-117

Lascisi 'l colle et sia la ripa scudo; quasi dicat: Dimittatis nobis collem aggeris et stemus aliquantulum retro, ita quod ripa sit scutum inter nos et illos qui supra picem venire nunc debent, et videbimus si iste solus sciet plus omnibus nobis.

vv. 118-120

O tu che leggi, udirai nuovo ludo. Modo apostrophat autor ad legentem. Et est apostrophare, ut dictum est, sermonem convertere et dirigere ad absentem tanquam ad presentem.

vv. 130-132

Non altrimenti l'anitra di botto, etc. Comparatio talis est: Quando anas, que est avis aquatica, videt falconem contra se per aerem venientem, quodam naturali instinctu qui docet ipsam fugere inimicum, in aquam protinus se abscondit. Et tum falco, sua preda privatus, iratus et fractus in mente, revertitur ad suprema. Simili modo Navarrensis in picem se immersit, et Alichinus superius se erexit. Sed quia iam bis de falcone in ista Comedia mentio facta est, primo cantu X, ibi: *Come 'l falcon ch'è stato assai su l'ali*, secundo hic, ideo de ipsius natura aliqua hic ponamus. Falco enim est avis regia, que in Scriptura <herodius> nuncupatur. Est autem avis prede avida et manu gestantis assueta. Alias aves velocitate transcendit. Habet enim parvum corpus et pennas plurimas, et ideo celeriter volat, quia parum est id quod aggravat, sed multum quod sublevat, ut dicit Gregorius. Est autem calidissime complexionis et fortis; pectus quidem habet acutissimum, et ad predam percutiendam in impetu volatus fortissimum. Unde cum descendit ad predam, pedes cum pectore iungit, et sic vehementi utriusque acumine predam invadere consuevit. Et quando predam in primo impetu non capit, de facili ad manus revocantis non redit. Victum enim et degenerem se estimat quando predam non invenit, vel de volvere quam insequitur non triumphat. Ideo dicit autor superius in textu, canto XVII:

come 'l falcon ch'è stato assai su l'ali,
che sanza veder logoro o uccello
fa dir al falconier: «Omè, tu cali»,

etc. Et hic in presenti cantu:

non altrimenti l'anitra di botto,

quando 'l falcon s'appressa, giù s'attuffa,

et ei ritorna su crucciato et rotto.

Habet autem ista avis erga suos filios mirabilem, ut dicitur pre ceteris avibus, pietatem. Et sicut dicitur in Exameron, eodem etiam fedalitatis officio quo proprios fetus pascit, pullum ab aquila eiectum suscipit atque nutrit. Et hec sufficiant de falcone.

vv. 133-135

Irato Calcabrina de la buffa, etc. Videns Calcabrina quod propter verba Alichini ipsos deceperat Navarrensis, ideo ira plenus alis expansis insecutus est Alichinum; sed ut vidit evasisse protinus Navarrensem, contra socium unguibus arma movit. Alichinus autem intrepidus invasit invasione simili Calcabrinam; unde autor ipsum Alichinum assimilat accipitri non domestico sed grifagno. Est autem accipiter grifagnus ille qui de novo domesticus est effectus. Nam primo anno est maioris et audacioris volatus quam sit secundo, et secundo magis quam tertio. De cuius natura in libro De Proprietatibus Rerum sic legitur: Accipiter est avis regia, animo plus armata quam ungulis; virtutem maximam in corpore parvo gestat; hinc ab accipiendo vel rapiendo nomen sumpsit. Est enim avis in capiendis aliis avibus avida; ideoque vocatur *accipiter*, idest <raptor>, ut dicit Ysidorus. Dicit autem Ambrosius in Exameron, quod accipitres erga suos pullos sunt impii et crudeles. Nam videntes eos posse volare, nullas eis prebent escas, sed verberant eos et a nido precipitant. Ad predam quoque ipsos exercitant, ne facti adulti pigrescant et marcescant, cibum magis expectare quam querere, ne nature sue deponant vigorem. Aristotiles autem in libro VI duas accipitrum speties esse ponit. Quidam enim accipitres aves tantum invadunt quando super terram quiescunt; sed quando volant, eis nullatenus appropinquant. Quidam vero aves per aerem volantes invadunt; cum autem in terra sedent vel quiescunt, ad eas non accedunt. Unde legitur de naturis columbarum quod columbe cognoscunt unumquodque istorum generum. Nam si columba quiescit in terra et viderit in aere accipitrem qui aucupatur in terra, statim se sullevat ad supprema. Si vero fuerit in aere et viderit accipitrem qui in aere aucupatur, infima statim petit. Fertur autem quod accipiter hoc habet proprium, quod quando senescit et pennarum gravedinem sentit, flante austro, contra radios solis alas suas expandit, ut sic ex aura repente et calore resolvente aperiantur pori, quibus apertis excutit alas et veteres penne exiliunt, noveque subcrescunt. Et sic novitate pennarum efficitur levior ad volandum et aptior ad predandum.

vv. 142-144

Lo caldo schermitor subito fue. Gremire est illa invasio quam una avis in aliam facit, ipsam pedibus capiendo, ut cum aquila capit columbam et accipiter starnam. Et sic contrarium istius vocabuli est <sgremire>. Vult itaque dicere autor quod caliditas illius picis fecit illos duos unum dimittere alterum.

In isto XXII cantu continentur V comparationes et unum notabile.

[Comparationes]

vv. 19-21

PRIMA COMPARATIO.

Come ' dalfini, quando fanno segno
a' marinar con l'arco de la schena,
che s'argomentin di campar lor legno,

vv. 25-27

SECUNDA COMPARATIO.

E com'a l'orlo de l'aqua d'un fosso
stanno i ranocchi pur col muso fuori,
sì che celano i piedi e l'altro grosso,

vv. 31-33

TERTIA COMPARATIO.

c'una rana rimane et l'altra spiccia;

vv. 34-36

QUARTA COMPARATIO.

e trassel sù, che mi parve una lontra.

vv. 130-132

QUINTA COMPARATIO.

non altrimenti l'anitra di botto,
quando 'l falcon s'appressa, giù s'attuffa,
ed e' ritorna sù crucciato et rotto.

[Notabilia]

vv. 52-54

NOTABILE.

Poi famillia del buon Re Thebaldo;
quivi mi misi a far baratteria,
di ch'i' rendo ragione in questo caldo.

Licet mandet divina iustitia et humana quod de quibuslibet male actis homo debeat penam et verecundiam reportare, specialiter tamen de peccato barattarie, ideo notanter dicitur in textu:
di ch'i' rendo ragione in questo caldo.

Et sic patet XXII cantus prime cantice.

XXIII

VIGESIMI TERTII CANTUS TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXIII cantu autor tractat de sexta malabulgia, in qua ponit ypocritas et falsos prophetas; pena quorum sic poetando confingit: quod habent capas plumbeas, desuper sive deforis inauratas, tanti ponderis quod se movere vix possunt. Inter quos principaliter ponit summos principes iudaice synagoge, Annam scilicet et Cayphan, qui morti Christum dominum tradiderunt. Incipit autem ista sexta bulgia in isto cantu, ibi:
et giù dal collo de la ripa dura,
supin si diede a la pendente roccia,
che l'un de' lati a l'altra bolgia tura.

Et finit in isto eodem cantu, ibi:

Appresso 'l duca a gran passi sen gì,

turbat'un poco d'ira nel sembiante;

ond'io da li 'ncarcati mi parti',

dietr'a le poste de le care piante.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-148

Visa et tractata materia quinte bulgie, ad sextam autor continuando sic procedit, dicens: Taciti atque soli, sine societate, ibamus nos duo – subaudi Virgilius et ego – unus scilicet ante et alter retro, sicut fratres minores per itinera gradiuntur. Et sic eundo, propter presentem rixam que fuit – subaudi inter Alichinum et Navarrensem superius prelibatam – subito michi venit in mentem illa Esopi fabula in qua de rana loquitur atque mure. Que quidem due rixe ita sunt concordes pariter seu pares, quod non equiparantur magis ista dua vocabula, videlicet *mo* et *issa*. Et quemadmodum una cogitatio de altera exit, ita de illa – subaudi cogitatione fabule antedicte – nata est alia que primum timorem quem conceperam duplicavit. Ego nempe taliter cogitabam: Isti – subaudi X demones – qui nobis dati fuerant pro ducatu, sunt taliter nostra occasione delusi quod multum eis, ut cogito, est nocivum. Et ideo si ira supra malum velle ponatur, ipsi post nos venient plus crudeles quam canes post leporem quem momordit. Et iam ex ista tali cogitatione que michi timorem incussit per totum corpus riguere tunc pili, et stabam retro totus intentus, quando ad Virgilium in hunc modum verba direxi: «Magister, si te et me sine mora non celas, de Malebranchis protinus expavesco. Nos habemus eos iam prope post nos: Ego ymaginor certe eos. Ideo ipsos sentio pre timore». Cui Virgilius: «Si ego essem», inquit, «de vitro plumbato, tuam exteriorem ymaginem non traherem citius ad me quam illud quod tu interius cogitasti. Modo enim inter mea tua cogitamina veniebant, cum simili nempe actu et cum demonstratione similis faciei, unde ex ambabus cogitationibus unum consilium solum feci. Si enim est quod ita iaceat dextera costa, quod nos possimus in aliam bulgiam declinare sive descendere, ymaginatam fugationem procul dubio evademus». Et ecce nondum Virgilius verba compleverat, quod illos X demones superius nominatos vidit autor post se, alis expansis, ad ipsos capiendos celeriter festinare. Tunc Virgilius subito cepit Dantem, sicut mater, expergefacta a somno, videns flammas invalescere circa se, rapit natum et fugit, habens maiorem curam de filio quam de se, dummodo induere valeat unam camisiam solum solam. Et postquam ipsum brachiis suis cepit, a colle dure ripe sexte, scilicet bulgie, supinum se dedit. Et facit hic autor unam comparationem, dicens quod nunquam cocurrit aqua sic velociter per canale ad volvendum rotam molendini terrestris, quando magis versus palas celerius appropinquat, sicut ipse Virgilius supra suum pectus portando autorem devenit ad yma. Et vix pedes ipsius Virgilii fundum tetigerunt, quod supra se illos demones conspexerunt. Sed nullum dubium ibi erat, quia providentia alta Dei que ipsos ministros posuit quinte fosse, inde posse recedere omnibus interdixit. Dum autem in profundo istius bulgie devenissent, dicit autor quod invenerunt ibi unam gentem depictam, que ibat lacrimando per illam foveam lento passu, et in exteriori apparentia videbatur fessa pariter atque victa. Qualiter autem illa gens sit picta et fessa, declarando subiungit: Ipsi enim, inquit, habebant capas cum caputiis valde bassis, illa forma et modo quo pro monacis in Colonia cape fiunt. Et erant iste cape exterius auree, ita quod oculos excecant, interius autem plumbee, tanti ponderis quod vix movere se poterant. Et facit autor talem comparationem ad istud pondus, dicens quod cape plumbee quas Fredericus imperator pro puniendis magnis excessibus sceleratos homines induebat, respectu istarum, de palea quasi erant. Videns autor laboriosas penas ypocritarum, facit quandam exclamationem contra ipsos more poetico, dicens: «O in eternum laboriosa clamis». Et se ad Virgilium vertens ait: «Fac quod tu invenias hic aliquem qui ad nomen vel opera cognoscatur». Et tunc unus – subaudi de illo misero grege – intelligens linguam Tuscam, post illos clamavit dicens: «O vos qui sic percurritis auram nigram, sistite pedes vestros. Forsitan quod habebis a me id quod tu queris». Unde Virgilius se volvens ad Dantem: «Expecta», inquit, «et secundum suum passum postea tu procede». Ad cuius preceptum perstitit ipse autor et vidit duos qui per signa extrinseca faciei esse cum ipso magna animi festinantia demonstrabant, sed ipsos ad hoc pondus caparum et angusta semita retardabat. Quando vero tandem devenerunt ad eum, satis cum oculo quasi strabo, ipsum autorem cum silentio respexerunt. Postea in se ipsos oculos convertentes dixerunt: «Iste ad actum gule videtur protinus esse vivus; et si sunt mortui – quasi dicat, et si sunt de collegio nostro – ista stola adeo ponderosa quomodo induti non sunt?» Post hec vero ad autorem conversi dixerunt: «O Tusce, qui ad tristium ypocritarum collegium advenisti, ne despicias dicere quisnam sis». Et Dantes ad illos: «Ego», inquit, «sum natus, pariter et adultus supra fluvium pulcrum Arni, in civitate – subintellige florentina – et sum cum corpore meo – supple non fantastico, immo vero –. Sed vos qui estis, a quorum genis tantus dolor quantum video sic distillat? Et que pena est in vobis que adeo scintillat?» Ad quem unus illorum inquit: «Cape crocee – subintellige quas portamus – sunt de plumbo adeo et sic crosse quod pondera ipsarum lances faciunt sic stridere. Fratres autem – supple religione – Gaudentes extitimus, natione vero Bononienses; ego Catalanus et iste Loderingus appellati. Et a tua terra, scilicet florentina, fuimus simul lecti; illo scilicet modo – subaudi quo aliquando eligitur aliquis sanctus vir de heremo sive claustro – ad pacificandum civiles discordias sive guerras. Et in illa tali electione fuimus tales quod bene perpenditur in Gardingo». Autor autem ipsorum nequitias considerans sive penas, ira vel misericordia motus, dicere tunc incepit: «O fratres, mala vestra»... sed in verbis ulterius non processit; quia suis oculis tunc occurrit unus cum tribus palis in terra viliter crucifixus. Qui quando vidit autorem totaliter se distorsit, in barbam suspiriis insufflando. Et frater Catalanus, qui advertit de hoc, ait autori: «Ille confixus, quem tu respicis, dedit consilium Phariseeis, dicens expedire unum hominem mori pro populo. Controversus et nudus ideo stat in via, sicut tu vides. Et est necesse ut sentiat seu probet quanti sit ponderis quilibet qui hinc transit. Et socius suus in hac eadem fovea modo simili se extendit, ac etiam alii de ipsorum concilio qui supradicto – subaudi consilio – consenserunt; quod quidem consilium pro Iudeis fuit protinus malum semen». Tunc dicit autor quod vidit Virgilium admirari super illum qui sic viliter in illo eterno exilio erat extentus in cruce. Et ad

fratrem Catalanum dirigens vocem dixit: «Ne, queso, vobis displiceat, si licitum vobis est, dicere nobis si hinc a nostris dexteris exitus quisquam iacet, per quem nos ambo exire de ista fovea valeamus, sine requisitione cohabita angelorum nigrorum qui de isto fundo extrahere nos cogantur». Ad quem ille ait: «Plus», inquit, «quam speres uni saxo, idest ponti, lapideo propinquamus. Qui quidem pons ab illo magno muro qui bulgias – subintellige omnes – vallat, procedit et transcendit omnes pariter feras vallee preter istam in qua – subintellige modo sumus –; in qua totus fractus et ruinosus iacet in fundo. Ascendere autem poteritis per ruinam illius pontis que ita est eminens in profundo et iacet ad modum ripe, quod vobis ad aliam bulgiam dabit iter». Ad hec autem verba stetit Virgilius aliquantulum capite inclinato et ait: «Malum nobis consilium dabat ille qui peccatores in illa alia bulgia unco uncat». Ad quem frater Catalanus: «Ego», inquit «iam audivi Bononie de vitiis diaboli certe satis, inter que audivi quod ipse mendax est et pater eius». Post hec Virgilius ad grandes passus inde recessit, turbatus aliquantulum ira, ut extrinsecus videbatur. Cuius cara vestigia statim insecutus est sine mora aliqua ipse autor. Unde ait in textu:
ond'io da li 'ncarcati mi parti',
dietr'a le poste de le care piante.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Taciti, soli, et sanza compagnia
n'andavam l'un dinanzi et l'altro dopo,
come frati minor vanno per via.
Postquam autor in duobus precedentibus cantibus de barattatoribus et eorum pena prosecutus est, nunc in isto cantu intendit de ypocritis pertractare. Sed antequam ad eorum penam deveniat facit quoddam magnum preambulum, dicens quod taciti atque soli et sine societate aliqua per collem qui est in medio inter quintam et sextam malabulgiam ipse, scilicet solus, cum Virgilio iter arripuerunt. Qualiter autem ibant exemplificando demonstrat dicens quod, quemadmodum fratres minores, dum peregre vadunt, unus sequitur alium, ita modo simili ipsi ibant, Virgilius ante et postea Dantes. Ideo ait in textu: *l'un dinanzi et l'altro dopo*. *Dopo* est vocabulum florentinum, et tantum valet quantum <retro> vel <post>.

vv. 4-6

Volto era in su la favola d'Isopo
lo mi' penser per la presente rissa,
dove parlò de la rana et del topo.
Ecce probitas probi viri, qui licet foris silentium observaret, intus tamen a fructuoso opere non vacabat. Nam venit sibi in mentem illa fabula Esopi in qua tractatur quedam rixa que fuit inter murem pariter atque ranam. Cuius rixe fabula talis est: Quod cum quidam mus per quandam viam transiret, invenit lacum; cui venit ob viam loquax rana, promittens sibi opem daturam et ipsum ad ripam aliam portaturam. Hoc autem verbis dixit, sed cor totum contrarium sentiebat. Esopus: Omne genus pestis superat mens dissona verbis / cum sordes animi florida lingua polit. Nam fraudulenter et dolose ait ad murem: «Liga tibi filo pedem et ego cum eodem filo pariter me ligabo, et sic per aquam lacus ad ripam alteram te portabo». Quod cum mus sibi filo pedem ligasset et super ranam ascendisset, illa dum esset in medio lacus murem submergere conabatur. Sed dum ille viriliter ut poterat se iuvaret, ecce milvus per aera volans ambos invasit. Esopus.
Ecce natant; trahitur ille sed illa trahit;
Mergitur ut secum murem demergat amico,
Naufragium faciens naufragat ipsa fides.
Rana studet mergi, sed mus emergit et obstat.
Naufragio vires suggerit ipse timor.
Milvus adest, miserumque truci capit ungue duellum
Hic iacet, ambo iacent, viscera rupta fluunt.

Narrata fabula, exclamat Esopus contra fraudulentos et dolosos dicens: Sic pereant qui se prodesse fatentur et obsunt. Discat in autorem pena redire suum.

Exemplificat itaque autor et dicit quod cum vidit rissam que fuerat inter Navarrensem et Alichinum, et quomodo istam rixam insecutus est postea Calcabrina, venit sibi in mentem illa rixa que fuit inter ranam et murem, quam milvus sua invasione diremit. Esopus autem fuit quidam antiquus poeta de Adelphis, cuius fabule sunt elegantes atque famose. Nam ad correctionem et informationem morum bestias avesque loquentes induxit. Eius autem fabulas Romulus quidam de greco transtulit in latinum.

vv. 7-9

chè più non si paregia <mo> et <issa>
che l'un con l'altro fa,
etc.

Adhuc super illa[m] rixa[m] autor aliam comparationem inducit, dicens quod ista duo vocabula, scilicet *mo* et *issa*, non plus conveniunt in significatione, neque plus paria iudicantur, quam conveniant illa duo, scilicet rixa demonum et muris et rane duellum, si a principio usque ad finem bene et complete utraque fabula mentis oculo videatur. Ista autem duo vocabula, scilicet *mo* et *issa*, tantum valent quantum valet in gramatica istud adverbium *modo*, vel *nunc*. Ut cum dicimus in gramatica <*modo* vel *nunc* volo ire ad ecclesiam>, vulgo dicitur <*mo* vel *issa* vollio andare a la chiesa>. Et est istud vocabulum *mo* vulgare Romandiolorum; *issa* vero Lombardorum ac etiam Pisanorum.

vv. 10-12

E come l'un penser de l'altro scoppia,
così naque di quello un altro poi,
che la prima paura mi fè doppia.

Vult hic autor dicere quod, sicut de una cogitatione aliquando oritur alia, ita de illa sua cogitatione quam habuit de fabula Esopi orta est alia cogitatio, que sibi dupplicatum timorem incussit. Que autem fuerit ista secunda cogitatio, innuit cum subiunxit:

vv. 13-15

I' pensava così: «Questi per noi
sono scherniti et con beffa
sì fatta, c'assai credo che lor nòi».
Et ideo:

vv. 16-18

Se l'ira sovra 'l voler s'agueffa,
ei ne verran di retro più crudeli
che 'l cane a quella lievre ch'elli acceffa.

Gueffa in lingua tusca est illa involutio lini vel serici sive lane que fit a manu ad cubitum, vel super illud instrumentum ligneum quod vulgo dicitur <aspo>. Vult itaque dicere autor, comparationem inducens: Si ira supra malam voluntatem ponatur, [ut] in gueffa filum ponitur super filum, illi demones qui propter nos in foveam piceam ceciderunt, cum maiori aviditate et crudelitate post nos venire curabunt quam canes ad leporem insequendam. Sed quia corpus movetur ad conceptionem anime, ideo postquam autor in anima timorem concepit, statim rigor corporis est secutus. Ideo statim subiunxit: «Già mi sentia tutti arricciar li peli / per la paura».

vv. 25-27

Et quei: «S'i' fosse d'impiombato vetro,
l'ymagine di fuor tua non trarrei
più tosto a me che quella dentro impetro».
Vitrum plumbatum est speculum; nam ex vitro et plumbo speculum fabricatur, in quo representatur quicquid sibi opponitur vel monstratur. Exemplificando itaque autori Virgilius ait: «Si ego essem unum speculum, non citius tuam exteriorem ymaginem ad me traherem quam attraxi cogitamina tua intus». Ideo ait:

vv. 28-30

Pur mo venian li tuoi penser tra' miei
con simil acto et con simile faccia,
sì che d'intrambi un sol consillio fei.

Quapropter, si per aliquam viam in aliam bulgiam poterimus declinare, ymaginata – subaudi per me et te – pericula fugiemus. Unde sequitur:

vv. 31-33

«S'elli è che sì la dextra costa giaccia,
che noi possiam ne l'altra bolgia scendere,
noi fugirem l'imaginata caccia».
Et ecce nondum Virgilius verba finiverat, quod ipsorum oculis se obtulit periculum cogitatum. Nam viderunt illos demones venire post se cum alis expansis, ad vindictam ira succensos. Unde sequitur:

vv. 34-36

Già non compiè di tal consillio rendere,
ch'i' li vidi venir con l'ale tese,
non molto lungi, per volerne prendere.

Tunc Virgilius subito cepit Dantem, sicut mater a somno excitata, videns domum comburi, subito rapit filium et fugit. Unde ait:

vv. 37-45

Lo duca mio di sùbito mi prese,
come la madre c'a romore è desta,
et vede presso a sè le fiamme accese,
che prende 'l fillio et fugge et non s'arresta,
avendo più di lui che di sè cura,
tanto che sol una camiscia vesta;
e già dal collo de la ripa dura,
supin si diede a la pendente roccia,
che l'un de' lati a l'altra bolgia tura.

Hic incipit sexta malabulgia, in qua invenit ypocritas, qui a Christo falsi prophete in Evangelio appellantur, quorum penam taliter poetando confingit. Habent enim isti ypocrite ad eorum damnationem et penam capas plumbeas, exterius sive deforis inauratas, tante gravedinis quod se movere vix possunt. Unde ait in textu:

vv. 58-63

La giù trovammo una gente dipinta Bene dicit pictam, quia sicut ypocrite in hac vita exteriori et falsa se honestate depingunt, ita in Inferno similia patiuntur. Nam habent capas gravissimas, ypocrisie nequitiis respondentes, interius scilicet plumbeas, sed exterius inauratas. Est enim ypocrisis nequitia sive dolus qui celat in homine id quod est, et ostendit quod non est. Sic ille cape videntur auree et non sunt; sunt de plumbo et non apparent. Et sic pena doloso operi correspondet. Circa quam penam quatuor consideranda occurrunt: primo, quare ypocrite habent capas; secundo, quare iste cape sint interius plumbee et sic exterius sunt depicte; tertio, quare sic turpissimas formas habent; quarto, quare ipsi ypocrite ante oculos caputia ipsa portant. Circa primum est sciendum quod quia capa est vestis honesta ac etiam religiosa, sub tali veste hominem ypocrita falsus fallit, quod nichil fallacius reperitur. Unde Titus Livius, De Bello Macedonico libro VIII: «Nichil fallacius quam prava religio». Sub prava enim et simulata religione multe fallacie occultantur. Unde versus:
Sub grossa quidem lana linum subtile tenetur;
Simplicitas vultus corda dolosa tegit.

Circa secundum, vero quare sic cape ypocritarum interius plumbee sed exterius auree depinguntur, est sciendum quod peccatum ypocrisis duo peccata principaliter in se habet: avaritiam scilicet et inanem gloriam: que duo peccata per illa duo metalla optime figurantur. Nam per plumbum, quod est grave et lividi coloris, avaritia designatur, que reddit hominem onerosum ne possit scandere ad suprema, et inmisericordem ne circa miseros et egenos misericordie visceribus moveatur. Per modicum vero aurum quo istorum cape exterius adornantur, inanis gloria figuratur. Nam sicut aurum est rerum temporalium pretium, ita modica inanis gloria est ypocritarum merces et premium. Unde Dominus in Evangelio Beati Mathei, VI capitulo: Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Et nota quod non dicit <recipiunt> sed <receperunt>; quia gloria illa quam captant ypocrite tam brevis est quod vix habet aliquid de presenti, dum cito transit. Tam diu enim sentitur gloria de laude hominum, quam diu auditur; et tam diu auditur quam diu profertur. Unde bene dicitur in Iob: Gaudium ypocrite ad instar puncti. Bene igitur beatus Severianus de ypocritis loquens ait: Ypocrita facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus invenisti laudem, et adeo fructum tue penitentie perdidisti. Idem ypocrita abstinentie intrasti, fluctus continentie transcendisti undas, et

natasti ieiunii pelagus, et in ipso portu ieiunii naufragasti. Circa tertium autem, quare cape ypocritarum tam turpissimas formas habent, est notandum quod autor hoc fingit ad significandum, seu etiam demonstrandum, quod ipsi ypocrite foris penitentiam simulant, cum intus non habeant, foris se exterminant, cum interius lasciviis se impinguant. Et ideo ypocrisis dicitur ab *ypo* quod est <sub>, et *crisis* quod est <aurum>, quia quod clarum et pulcrum est de foris preostendunt; quod autem turbidum et deforme, sub honesta et virtuosa apparentia intus celant. Ideo bene ypocrite per ydolum Babilloniorum optime figuratur, de quo dixit Daniel Nabuchodonosor regi, ut habetur Danielis XIIII capitulo: Iste, scilicet Bel, intrinsicus luteus est et forinsecus ereus. Sic ypocrita intus est luteus, plenus spurcitiis terrenorum, et exterius ereus sive aureus, pretendens pretium virtutum, quod est premium eternorum. Et sic facti sunt, secundum Apostulum, velut «es sonans aut cymbalum tiniens». Circa quartum vero et ultimum, quare scilicet ante oculos caputia portant, est sciendum quod hoc fingit autor tribus de causis, quemadmodum tribus de causis quis ante oculos caputium portat. Prima causa est propter honestatem. Nam religiosi, ut honestius vadant, portant capita inclinata et ante oculos aliquantulum caputia reclinata. Secunda causa est propter confusionem, quando se ipsum, ne cognoscatur, abscondit; sicut quando homo publice condemnatur, si valet, pre nimia confusione, se celat. Tertia causa est propter infirmitatem maxime oculorum. Et hoc quia egris oculis odiosa est lux, secundum Augustinum.

Ista triplici de causa ponit iste poeta caputiis obumbratam. Et primo ad insinuandum eorum falsam et callidam honestatem; qui licet exterius appareant boni, interius omnino sunt mali. Unde nos Dominus admonet, Mathei VII: Attendite, inquit, a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et poeta: Non est pastor, ait, sed lupus iste senex. Et beatus Severianus: Ypocrisis subtile malum; secretum iuris venenum latens, fucus virtutum, tinea sanctitatis. Secundo hoc fingit ad demonstrandum ipsorum confusionem qua, in hoc mundo, in sapientum oculis confunduntur, et in Inferno eterna confusione damnantur. Et hoc quia vera opera falsis operibus confuderunt. Severianus ypocrisis crudeli arte mucrone virtutum virtutes truncat, ieiunio ieiunium perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit. Tertio vero hoc poetando confingit ad ipsorum penam clarius declarandam. Nam sicut oculis egris odiosa est lux, ut dictum est, unde egrotantes in oculis ante oculos aliqua velamina portant, ita ypocrite oculos habent invidia depravatos, unde aliorum felicitatem videre non possunt. Unde Pharisei invidi contra Christum dixerunt per Prophetam: Gravis est nobis etiam ad videndum. Unde invidia excecati ipsam vitam morti crudeliter tradiderunt. Sed quia tot peccata, ut iam vidimus, in se continet istud crimen, ideo querendum est quod peccatum sit ex VII capitalibus radix eius. Et dicendum, secundum theologos, quod principalis eius radix est superbia, ut habetur supra. Nam inter alias species superbie, que sunt XIIII, ypocrisis numeratur. Et ista de peccato ypocrisis dixisse sufficiant.

Elli aven cappe con cappucci bassi,
dinanzi a li occhi, fatti de la tallia
che 'n Cologna per li monaci fassi.

In Colonia, que est quedam civitas supra Renum, est quoddam maximum monasterium monacorum, cuius monasterii monaci portant capas colore nigras et forma turpissima. Nam habent caputium tante amplitudinis, quod non caputii sed sacci formam representare videntur. Et causa huius, ut vulgo dicitur, ista est: Antiquitus enim abbas illius monasterii, de voluntate et consensu monacorum suorum, in tantam prorupit audaciam et superbiam, quod petivit a Romana Ecclesia quod monaci dicti ordinis possent portare capas de scarleto et stapedes argenteas inauratas. Papa vero, ipsorum attendens vesaniam, mandavit quod capas portarent colore nigras et forma turpissimas, ut videmus. Loco autem stapedarum argentearum quas petierant, portarent stapedes ligneas. Exemplificat itaque autor et dicit quod talem formam habebant cape illorum ypocritarum qui in ista sexta malabulgia puniuntur, qualem habent cape monacorum superius expressorum.

vv. 64-66

Di fuor dorate son, sì ch'elli abaglia:

Per istum aurum quod suo fulgore habet ypocritas excecare, inanem gloriam accipimus, que ita excecat ipsos, quod cum illa moneta cum qua emunt Infernum, possent si vellent emere Paradisum. Vel per istum aurum possumus accipere avaritiam, que regnat in eis. Quia iuxta sententiam Salvatoris, Mathei XXIIII: Amant primas cathedras in synagogis, idest magnas dignitates, ut magna beneficia consequantur. Nam proprium est ypocritarum diligere aurum. Sequitur:
ma dentro tutte piombo, et gravi tanto,
che Federigo le mettea di paglia.
Fredericus imperator homines sceleratos per istum modum aliquando puniebat: Ponebatur enim homo nudus in caldaria crea, et super eum una capa plumbea ponebatur, dictum hominem undique circundantem. Et de subter caldariam fiebat ignis, qui plumbum liquefaciens, hominem comburebat. Volens itaque autor demonstrare gravitatem caparum quibus in Inferno ypocrite sunt induti, exemplificat et dicit quod cape plumbee cum quibus imperator Fredericus sceleratos homines puniebat erant leves sicut palea, respectu illarum quibus isti in ista malabulgia sunt induti.

vv. 67-69

O in eterno faticoso manto! Hic exclamat autor contra ypocritas, ipsorum capas, idest vestes dogmatizando eternas. Sed non videtur conveniens, nec quod divine iustitie competat, quod Deus facturam suam pro culpa transitoria et finita, pena infinita puniat in eternum; nam peccatum ypocrisis et omne aliud similiter peccatum est transitorium et est finitum. Non igitur videtur conveniens rationi quod id quod est finitum, puniatur in infinitum. Respondeo: Divine enim iustitie hoc competit quadruplici ratione: Primo, propter infinitatem offensi. Est enim communis animi conceptio quod iniuriosus tanto maiori dignus est pena, quanto maior est ille cui infertur iniuria. Unde Philosophus dicit, V Eth., quod pena taxatur secundum dignitatem eius in quem fit. Cum igitur maiestas Dei sit infinita, ille qui Eum offendit dignus est pena infinita. Secundo, propter eternitatem pabuli. In peccato enim sunt V scilicet actus: delectatio, macula, voluntas prava, et reatus, sive obligatio ad penam eternam. Duo autem prima, scilicet actus et delectatio, aliquando transeunt etiam in momento. Alia vero tria, scilicet macula, voluntas prava, et reatus sive obligatio remanent post mortem. Quorum duo, scilicet macula et voluntas prava, sunt pabulum ignis infernalis; non enim possunt deleri ista duo nisi per gratiam. Post mortem vero, homo non est susceptibilis gratie. Sicut igitur ignis materialis esset eternus si pabulum, idest ligna, essent eterna, sic ignis infernalis est eternus quia eius pabulum, idest macula et voluntas prava, que sunt in dannatis, sunt eterna. Et ideo semper remanet tertium, scilicet ipse reatus, seu obligatio ad penam eternam. Tertio propter eternitatem mali propositi; voluntas enim peccandi non habuit in ipsis finem, et ideo ipsorum pena non debet habere finem. Gregorius in Moralibus: Aiunt quidam: sine fine non debet puniri culpa cum fine. Hoc est, culpa que habuit finem non debet puniri sine fine. Quibus citius respondemus quod recte dicerent si iudex eternus non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Ad districti igitur iudicis sententiam pertinet ut nunquam careant supplicio quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu vixit habere noluit terminum criminis. Hucusque beatus Gregorius. Quarto propter mutationem fori. Videmus enim quod unum et idem peccatum in diversis foris diversimode punitur a iudice. Nam alicubi pro eodem furto, fur marcatur; alicubi mutilatur; alicubi vero suspenditur. Deus autem habet duplex forum: unum in presenti, quod est forum clementie et misericordie, ubi culpe puniuntur pena transitoria; aliud autem in futuro, quod est forum pure iustitie, ubi puniuntur culpe pena eterna. Ideo dicit Crisostomus quod quantum Deus distat ab homine, tantum distat iudicium Dei extremum a iudicio hominis.

vv. 82-84

Ristetti, et vidi a due mostrar gran fretta
de l'animo, col viso, d'esser meco;

Ut dicunt philosophi, ad conceptionem anime movetur corpus; ut patet, quia cum anima tristatur apparet vultus hominis turbulentus; et cum letatur, apparet floridus et iocundus. Similiter cum anima concipit amorem, homo in pallorem exterius commutatur. Unde Ovidius, De Arte Amandi: «Palleat omnis amans! Hic est color aptus amanti». Cum autem odium concipit sive iram ruborem pallorem et colorem plumbeum et alia tristia signa monstrat. Unde idem Ovidius in libro Meth.:

Pallor in ore sedet, maciesque in corpore toto.

Nusquam recta acies sordent rubigine dentes,

Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno;

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Vix quia tenet lacrimas, quia nil lacrimabile evenit. Per istum itaque modum multotiens accidit quod in facie hominis manifeste videtur si bonum vel malum concipit intus homo. Et de hoc etiam ait ipse Ovidius, libro ut supra:
Heu! Quam difficile est crimen non prodere vultu.

Et alius poeta:

Vultu qualis eris, talia mente geris.

Isti itaque ypocrite isto modo demonstrabant in facie voluntatem quam habebant in animo esse cum Dante, et raciocinari cum eo quem ipsis sua loquela manifestum effecit.

vv. 85-87

Quando fur giunti, assai con l'occhio bieco
mi rimiraron

Dicit hic autor quod quando isti ypocrite ad attractionem et emissionem flatus quem faciebat Dantes ut vivus, que quidem attractio et emissio manifestatur in gula, ispum esse vivum suspicati sunt. Sed quia ibi nunquam vivum aliquem conspexerunt, et etiam quia non clare videbant, ideo in illa opinione firmiter non steterunt. Unde ad opinionem contrariam dilabentes dixerunt: «Et si isti sunt mortui, quo privilegio vadunt sine gravi stola – idest sine capis plumbeis – quas portamus». Stola enim dicitur a *stolon*, quod est <longum>; inde stola dicitur quelibet longa vestis.

vv. 91-93

Poi disser me: « Tosco, c'al collegio
de l'ypocriti tristi se' venuto,
di[r] chi tu se' non aver in dispregio».

Quia Dantes cum Virgilio lingua paterna loquebatur, ideo unde esset cognitus est ab istis. Ideo dicunt ei: «O Tusce – simile dictum fuit beato Petro: «Et tu Gallileus es, nam loquela tua manifestum te facit»; – qui ad collegium ypocritarum tristium advenisti – collegium est quelibet adunatio virorum – Ne despicias dicere quisnam sis».

vv. 94-96

Quibus ait autor:
«I' son nato et cresciuto
sovra 'l bel fiume d'Arno, a la gran villa»

Arnus est fluvius regnis Tuscie qui transit per medium duarum civitatum, Florentie scilicet et Pisarum. Primam autem civitatem more gallico vocat villam; nam Galli omnes civitates villas appellant. Et vocat ipsam magnam villam, quia magna civitas est, domorum, virorum, artium mercimoniarum, ac etiam divitiarum. De hac itaque villa oriundus fuit iste poeta egregius, qui hanc Comediam, quam pre manibus nunc habemus, multo labore et sudore, ad utilitatem omnium viventium, sublimi stilo composuit.

vv. 100-102

Le cappe rance, idest *crocee*. Istud enim vocabulum, scilicet *rance*, est vocabulum florentinum et tantum valet quantum color croceus.
son di piombo sì grosse, che li pesi
fan così cigolare, idest stridere, le lor bilance.

Lanx, *lancis*, que vulgo <bilancia> seu <bilancie> nuncupantur, sunt quedam pondera que inventa sunt ad res ponderabiles iudicandas, in quibus bilanciis, dum pondus magnum ponitur, ex ipsis bilanciis oritur quidam stridor. Exemplificant itaque isti ypocrite autori et dicunt quod, sicut

bilancie propter pondera magna strident, ita ipsi, propter capas plumbeas, dolorosis ponderibus onerantur. Et propter istud onus oritus talis stridor.

vv. 103-108

Frati Godenti fumo, et bolognesti;

Fratres Gaudentes sunt quidam homines penitentie, qui gestant habitum correspondentem habitui fratrum predicatorum, sicut bizoci habitum fratrum minorum. Et vocantur in eorum regula milites Virginis Marie. In isto itaque ordine sive collegio fuerunt olim duo Bononienses, quorum unus vocabatur Catalanus de Catalanis et alter Loderingus de Carbonensibus; qui duo milites viri esse sanctissimi per totam Ytaliam putabantur. Unde Florentini dum essent in summa discordia et de legalitate et sanctitate istorum duorum fratrum Gaudentium plurimum confidentes, pro ipsis miserunt ut civiles seditiones sedarent et civitatem in statum pacificum reformarent. Qui fratres Florentiam venientes et autoritatem pacificandi discordias a civibus assummentes, lupinum animum qui sub ovina ipsorum pelle latebat manifestissime demonstrarunt. Nam sub specie sanctitatis opus diabolicum perpetrarunt. Ubertos enim et Lambertos et multos alios nobiles, bonos et antiquos cives, de ipsa civitate Florentie partialiter expulerunt, et ipsorum domus et habitationes funditus destruxerunt. Que quidem destructio iuxta Guardingum specialiter nunc apparet. Est autem Guardingus quedam magna antiquitas in Florentia, iuxta ecclesiam scilicet sancti Petri Scaradii; in qua parte erant habitationes Ubertorum, qui illo tempore una cum aliis expulsi fuerunt. Ideo dicitur in textu:
«et fumo tali,
c'ancor si pare intorno dal Gardingo».

come suol'esser tolto un uom solingo,
per conservar sua pace.

Licteram sic construe: Nos duo fuimus a tua civitate electi pro conservanda pace sua – subintellige florentina – sicut est solitum eligi unum hominem heremitam. Multotiens enim accidit quod unus sanctus solitarius de heremo vocabatur, vel ad ecclesiam gubernandam, vel ad quandam discordiam sopiendam; sicut beatus Martinus, qui a civibus Turonice civitatis fuit de monasterio extractus et in ipsorum episcopum consecratus; et sicut frater Petrus de Morona, qui a cardinalibus Sancte Romane Ecclesie de cellula in qua in heremo habitabat fuit vocatus, et in Romanum Pontificem sublimatus. Exemplificant itaque isti duo ypocrite atque dicunt quod, sicut sancti solitarii pro bono et pacifico statu rei publice aliquando a civitatibus eliguntur, ita nos duo, propter sanctitatem quam exterius monstrabamus, a Florentinis fuimus convocati, pro ipsorum pace civiliter conservanda. Sed tales in opere nostro fuimus, quod adhuc apparet in circuitu Gardaghi, quia ibi domus bonorum civium sunt destructe.

vv. 109-111

I' cominciai: «O frati, i vostri mali»...

Audiens autor quod peccatum yposcrisis fuit causa quod sua civitas sit destructa, aut ipsis fratribus compatiendo, aut eis aliquid improperare volendo, ait: «O fratres, vestra mala»... sed ulterius non processit, quia suis oculis terribilis visio tunc occurrit. Nam vidit ante se in ista sexta bulgia unum peccatorem barbatum, in terra supine iacentem, qui erat palibus in manibus et pedibus crucifixus. Quem cum autor attente respiceret, frater Catalanus ipsum cognitum sibi fecit, dicens illum fuisse Cayfan, summum pontificem Iudeorum, qui dedit consilium pontificibus et Phariseis quod Christus dominus noster morti modis omnibus traderetur, dicens, ut habetur Iohannis XI: Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat. Iuste itaque iste pontifex isto modo poetice in inferno punitur; quia sicut Christus propter istius consilium tribus fuit clavis in cruce confossus, ita ipse in inferno tribus est palis in terra confixus.

vv. 121-123

Et a tal modo il suocero si stenta
in questa fossa,

Iste socer Cayphe fuit Anna, de quo habetur in Evangelio quod Christus illa nocte qua captus fuit, suis fuit tribunalibus presentatus, coram quo tribunali cum Christus astaret et ad quesita humiliter responderet, unus ministrorum dedit ei alapam dicens: «Sic respondes pontifici?». Cui Christus: «Si male», inquit, «locutus sum, testimonium perhibe de malo; sin autem bene, quid me cedis?» Et misit Anna Ihesum ligatum ad suum generum Cayphan pontificem, qui dedit eum in

manus gentium ut crucifigeretur. Iuste igitur isti ypocrite, quia Christum a gentibus crucifigi fecerunt, sunt in inferno a demonibus crucifixi. Ideo poetice fingit autor, dicens:
Et a tal modo il suocero si stenta
in questa fossa,

Et quia isti duo non fuerunt soli ad tantam nequitiam ordinandam, quia fuerunt cum ipsis omnes etiam pontifices et Pharisei, qui audita suscitatione Lazari statim mortem Christi ordinarunt; iuxta illud Iohannis: Collegerunt pontifices et Pharisei concilium, in quo concilio Christum morti adiudicaverunt, ideo etiam ipsi pontifices et Pharisei pena simili sunt mulctati. Ideo sequitur in textu: *et li altri dal concilio* – subaudi eadem pena simili sunt mulctati –. Sed quia, iuxta sententiam Socratis, velox consilium sequitur penitentia, ideo istud consilium sequita est dannatio Iudeorum. Nam per istud consilium funditus sunt deleti. Ideo sequitur: *che fu per li Giudei mala sementa*.

vv. 124-126

Allor vid'io maravilliar Virgilio,
sovra colui ch'era disteso in croce
tanto vilmente ne l'eterno exilio.

Penam inferni vocat hic autor <eternum exilium> quia dannati semper exulabunt a patria paradisi, ad quam nunquam poterunt rebanniri. Habet enim dannatus triplicem miseriam: prima, quia est lumine gratie excecatus; Sapientie secundo: Excecavit eos malitia eorum. Secunda, quia est a regno glorie exbannitus; beatus Bernardus: Vere est homo vapor ad modicum parens qui eterne felicitatis aditum intercludit. Tertia, quia est in inferno eternis vinculis alligatus; Proverbiorum V: Iniquitates sue capiunt impium et funibus peccatorum suorum quisque constringitur. Hec triplex miseria in ista bulgia adnotatur. Prima scilicet excecatio notatur ibi: *Di fuor dorate son sì che li abbaglia*. Secunda scilicet exbannitio notatur hic: *ne l'eterno exilio*. Tertia vero scilicet allegatio notatur ibi:
ma per lo peso quella gente stanca
venia sì pian, che noi eravam nuovi
di compagnia ad ogni muover d'anca.

Et ibi:

all'occhio mi corse

un, crucifixo in terra con tre pali.

vv. 127-132

Poscia drizzò, scilicet Virgilius, *al frate*, scilicet Catalano, *cotal voce: / «Non vi dispiaccia se vi lece*, idest, si licitum vobis est. Et est istud *lece* ydioma proprium Lucanorum, *di dirci*, idest dicere nobis, *s'a la man dextra giace alcuna foce / onde noi amendue possiamo uscirci*, idest, unde nos ambo exire possimus; *sanza constringer delli angeli neri*, idest, ut non cogamur aliquem vel aliquos angelorum nigrorum requirere ut nos iuvent. Et nota quod hic potest una pulcra et utilis moralitas adnotari. Omnis enim homo quantum potest debet vitare ne suum inimicum requirat aliquibus rogaminibus vel preceptis. Et hec est causa: Omnis enim qui rogat, in quantum rogat, est minor illo quem rogat; et omnis qui precipit, in quantum precipit, est maior illo cui precipit; et propter hoc gravis et odiosus est illi. Nullus itaque sane mentis debet velle suum inimicum rogare, ne minor eo per sua rogamina videatur. Nullus etiam debet velle esse gravis vel odiosus illi a quo odio habetur, ne odium sui causa recipiat incrementum. Preterea Seneca dicit: «Beneficium accipere libertatem est vendere». Sed nullus sane mentis debet inimico, si aliud potest, suam vendere libertatem. Cum itaque illi decem demones a Virgilio et Dante se reputarent offensos, noluit eos Virgilius nec rogare nec ex parte supernarum virtutum requirere ut sibi darent aliquod adiutorium vel iuvamen. Ideo ait in textu:
che vegnan d'esto fondo a dipartirci
.

vv. 133-138

Rispose: frater, scilicet Catalanus, *adunque: «Più che tu non speri / s'appress'un sasso*, idest pons, *che da la gran cerchia*, idest a muro qui est in circuitu fovearum, *si muove et varca*, idest transcendit, *tutti i vallon feri*, idest omnes malas bulgias, *salvo che questo* – subaudi vallone in quo sunt isti ypocrite – *è rotto et nol coverchia*, quia fractus fuit ille pons tempore quo Christus expiravit in cruce. Et ideo quia fractus est, per illam ruinam quam fecit, que iacet admodum coste sive ripe que supereminet hic in fundo, poteritis hinc exire. Ideo ait:
«montar potrete su per la ruina
che giace in costa – idest admodum ripe – el nel fondo
soperchia».

vv. 139-141

Lo duca stett'un poco a testa china;
poi disse: «Mal contava la bisogna
colui – idest Malacoda – *che ' peccator di là uncina»*

in quinta scilicet malabulgia. Audiens itaque Virgilius a frate Catalano quod nullus pons est super sextam bulgiam, quia ille qui ibi erat totus iacet fractus in fundo, recordatus fuit illius verbi quod sibi dixerat Malacoda, videlicet:

Et se l'andar più oltre pur vi piace,

andatevene su per questa grotta;

presso è un altro scoglio che via face.

vv. 139-144

Et tunc stetit cum capite aliquantulum inclinato et ait:
«Mal contava la bisogna
colui che ' peccator di qua uncina».
E 'l frate: «I' udi' già dir a Bologna,
del diavol vitii assai, tra' quali udi'
ch'elli è bugiardo et padre di menzogna»
– idest pater mendacii.

vv. 145-148

Appresso, idest post hec, *lo duca a gran passi se n' gì*, / idest recessit, *turbato un poco d'ira nel sembiante: / ond'io*, loquitur autor, *da li 'ncarcati*, idest ab oneratis, *mi parti'*, / idest similiter recessi, *dietr'a le poste, de le care piante* – subaudi Virgilii. Et hic finit VIa bulgia.

In isto XXIII cantu continentur novem comparationes et unum notabile.

[Comparationes]

vv. 1-3

PRIMA COMPARATIO.

Taciti, soli, et senza compagnia,
n'andavam l'un dinanzi et l'altro dopo,
come frati minor vanno per via.

vv. 7-9

SECUNDA COMPARATIO.

chè più non si pareggia <mo> et <issa>
che l'un con l'altro fa, se ben s'accoppia
principio et fine co' la mente fissa.

vv. 10-12

TERTIA COMPARATIO.

Et come l'un pensier de l'altro scoppia,
così naque di quello un altro poi,
che la prima paura mi fè doppia.

vv. 16-18

QUARTA COMPARATIO.

«Se l'ira sovra 'l mal voler s'agueffa,
ei ne verranno dietro più crudeli,
che 'l cane a quella lievre ch'elli acceffa».

vv. 25-27

QUINTA COMPARATIO.

«S'io fossi di piombato vetro,
l'ymagine di fuor tua non trarrei
più tost'a me, che quella dentro impetro».

vv. 37-39

SEXTA COMPARATIO.

Lo duca mio di sùbito mi prese,
come la madre c'al romore è desta,
et vede press'a sè le fiamme accese.

vv. 46-48

SEPTIMA COMPARATIO.

Non corse mai sì tosto aqua per doccia,
a volger ruota di molin terragno,
quand'ella più verso le pale approccia,

vv. 61-63

OCTAVA COMPARATIO.

Elli avèn cappe con cappucci bassi
dinanz'a li occhi, fatte de la tallia
che 'n Cologna per li monaci fassi.

vv. 100-102

NONA COMPARATIO.

Le cappe rance / son di piombo, sì grosse, che li pesi /
fan così cigolar le lor bilance.
Omnes iste comparationes sunt clare et aperte, et superius nichilominus lucidate.

[Notabile]

vv. 67-69

NOTABILE.

O in eterno faticoso manto! In hoc notabili circa penas inferni Dantes duo pavenda concludit: Et primum est gravitas pene qua vestiti sunt in inferno damnati. Que quidem gravitas greco vocabulo per diploidem figuratur. Est autem diplois duplex amictus, sicut sunt vestimenta pauperum et egenorum, que propter multa frusta que sunt ibi consuta sunt valde gravia, ut videmus. Ideo pauperes propter tales vestes <pannosi> vocantur. De qua in Psalmo: Induantur sicut diploide confusione sua – idest in corpore et anima crucientur. – De hac duplici veste ait Oratius: Circa quem duplici panno patientia velat. Secundum est eternitas pene, que nunquam in perpetuum finietur. Quantum enim stabit Deus in celo cum sanctis, tantum stabit in inferno diabolus cum damnatis. Quantum vero stabit ipse Deus in celo, Psalmista canente didicimus: Tronus, inquit tuus Deus in seculum seculi. Et iterum: Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.

Et sic patet XXIII cantus.

XXIV

VIGESIMI QUARTI CANTUS TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXIIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE DANTIS

In isto XXIIII cantu et in sequenti autor tractat de VIIa malabulgia, in qua ponit latrones quorum pena est quod ipsi fures in serpentes, et ipsi serpentes in fures continue transformantur. Incipit autem ista VIIa malabulgia in isto cantu, ibi: «Su per lo scoglio prendemo la via», etc. Finit in fine sequentis cantus, ibi: «l'altr'era quel che tu, Gaville, piagni».

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-42

Sexta malabulgia pertractata cum omnibus que continentur in ipsa, ad septimam autor suum dirigit intellectum, in qua peccatum latrocinii sub corruptione mirabili poetizat. Nam ponit ipsos latrones adeo ab humana natura continue alterari, quod in corruptiones vipereas convertuntur. Nam sicut naturaliter ex putrefactione carnium humanarum nascuntur sepius animalia venenosa, sicut serpentes et rane, quia dum caro humana corrumpitur gignitur – iuxta illud Ovidii – inde serpens; sunt qui cum clauso putrefacta est spina medulla, mutari credant humanas in angue medullas; sic moraliter homo peccato latrocinii corrumpitur, et ex tali corruptione oritur venenum societatis humane. Nullum enim est fere peccatum quod ita humanum dissolvat consortium vel corrumpat sicut est aliena furari. Et ideo ponit latrones et fures, figuraliter poetando, in venenosa animalia, ut sunt serpentes, non immerito transformari. Sed antequam ad ipsorum latronum transformationem deveniat, facit quoddam proemium satis magnum, cum in precedenti cantu continuando sic istum. In illa, inquit, parte iuvenculi anni in quo sol in signo aquarii temperat suos crines, et iam noctes ad diei medium appropinquant, quando pruina super terram sue albe sororis, scilicet nivis, ymaginem representat, sed modicum durat suo calamo temperamen, rusticus pauper cui necessaria deficiunt ad vivendum, surgit de domo, scilicet sine lecto, aperit hostium et planitiem contemplatur. Et videns albescere totam terram percutit sibi coxam, et sic dolore repletus revertitur intra domum, et hac et illac ambulans, sicut egenus qui nescit quid faciat, lamentatur. Post modicum vero ad contemplandam terram iterato revertitur, et videns ipsius terre faciem in tam modico tempore permutatam, spe rehabita sive sumpta, accipit suum vinclum et ad pascua suas oviculas foras mittit. Ita fecit me expavescere magister quando vidi turbari taliter suam frontem, sed tam cito mee egritudini adhibuit medicinam. Quia statim quod nos devenimus ad pontem fractum, ipse dux meus ad me cum illa dulci facie se convertit cum qua ad pedem montis primitus ipsum vidi. Et post aliquod consilium secum interius perscrutatum, brachia aperuit et ruinam primitus sagaciter previdendo, me

cepit. Et quemadmodum ille qui aliquid operatur vel extimat semper sibi providet de futuris, ita me versus unius scopuli clivium elevando unum alium scopulum attendebat dicens: «Illum postea scopulum apprehende, sed primo proba si est talis quod te regat». Qualis autem et quam arduus esset ille ascensus specificat cum adiungit: Non erat illa via pro homine capa induto, quia nos vix ambo, ipse levis et ego submotus ab ipso, de scopulo in scopulum scandere valebamus. Et si non esset quod ripa sive costa illius precincti plus quam alterius brevis est, nescio de ipso, sed ego firmiter essem victus. Sed quia malebulgie, more vallium, versus portam bassissimi putei tote pendent, quia una costa surgit et altera declinat, vallis cuiuslibet situm portat. Sed nos nichilominus finaliter devenimus in chacumen – subaudi ripe – super quod cachumen superius ascendi non potest.

vv. 43-81

Qualiter autem autor per illum ascensum fuerit fatigatus declarat. «Quando ego», inquit, «superius fui, de pulmone erat michi hanelitus ita munctus quod plus non poteram, immo in terram statim quod illic applicui me proieci». Cui magister ait: «Admodo convenit quod tu ita solicite ad laboriosa et ardua exerceas te metipsum, quia sedendo in plumis vel iacendo sub cultris non devenitur in famam – subaudi bonam – sine qua qui suam vitam consumit, tale vestigium de se in terra relinquit, quale fumus in aere et spuma in aqua dimittit. Et ideo surge et anxietatem que – supple surgit a corpore – animo vince; qui quidem animus vincit omnia bella, si cum suo gravi corpore non deicit se metipsum. Longiorem enim scalam oportet ut salias. Non enim ab istis sufficit recessisse. Si tu me intelligis, facias quod tibi prosit». Tunc protinus de terra surrexi, ostendendo me hanelitus fortioris quam forem esse munitum, et dixi: «Vade, quia ego sum fortis et audax». Tunc super scopulum, idest pontem, septime bulgie cepimus iter nostrum, qui quidem pons erat scopulosus, artus et erectus, plus satis quam illa ripa per quam de sexta bulgia fueramus egressi. Ego autem, licet fortis multum non essem, tamen loquendo ibam, ut debilis non viderer. Unde quia ego loquebar, propter quod fui auditus, exivit de illa fovea septima, scilicet malabulgia, una vox inconveniens ad verba formanda. Nescio quis fuerit ille qui dixit: «Supra dorsum arcus utinam iam tu esses»; sed qui loquebatur moveri ad iracundiam videbatur. Ego eram ut viderem conditionem istius bulgie totus inferius inclinatus, sed oculi usque ad fundum non poterant vivaciter penetrare. Qua propter dixi ad Virgilium: «Magister, facies quod de isto ponte protinus descendamus in illam scilicet ripam que aliam bulgiam, octavam scilicet, circuncingit; quia sicut hinc audio et non intelligo, ita inferius video et nichil breviter apprehendo». Tunc Virgilius inquit: «Nullam responsionem aliam tibi reddo, nisi solummodo ipsum fieri; quia petitionem honestam debet cum silentio opus sequi». Et statim descendimus, ait autor, ab illo capite pontis ubi cum octava ripa coniungitur ipse pons. Et postea fuit michi bulgia manifesta.

vv. 82-151

Et hic incipit autor conditionem latronum et furium pertractare dicens: «Ego vidi istam septimam bulgiam in suo fundo serpentum tam terribiliter constipatam et talis conditionis, quod adhuc memoria sanguinem michi scipat sive dissipat. Plus autem non se iactet Libia cum sua harena, quia si illa producit ydras, yaculos, pharias, centros et amphysibenas, non tamen tot pestes nec tam pravas unquam cum tota Ethyopia demonstravit, nec cum omni eo quod supra mare Rubrum est. Inter istam vero crudam et tristissimam copiam – subaudi serpentum – currebant gentes attonite atque nude, sine spe aliqua inveniendi elytropiam vel foramen. Que quidem gentes manus habebant serpentibus retro vinctas. Et ut illud horribile vinculum indissolubile demonstretur, dicit autor quod serpentes figebant per renes illorum latronum caput et caudam, et ante pectus ipsorum erant serpentum caude cum capitibus innodate. Et ecce unus serpens insiliit in unum et ipsum illa parte pupugit in qua collum cum spatulis se coniungit. Numquam autem O vel I tam cito per aliquem scriptum fuit sicut ille – subaudi punctus – subito fuit accensus et ustus, et totus in cinerem transformatus; et postquam fuit in cinerem sic redactus, pulvis per se metipsam se adunavit in unum, et illud idem quod prius fuerat subito est reversus. Et adducit hic autor metaphoram de fenice, sic dicens: Istud idem per magnos sapientes de fenice similiter confitetur, quod ipsa fenica vel fenix moritur et renascitur, quando scilicet etatis sue anno quingentesimo appropinquat. Herbam vero in vita sua seu segetes nunquam gustat, sed solum thuris guttas sive lacrimas, et amomi et nardus et mirra sunt sue due ultime fascie vel honores. Et qualis est ille qui cadit et nescit quomodo, per potentiam demonis qui eum ad terram trahit, vel per aliam oppilationem que ligat hominem, qui quando surgit in circui respicet et totus attonitus sive stupidus, propter anxietatem quam habuit, suspirando se vertit, talis erat ille peccator postquam de terra surrexit. Et hic propter divinam potentiam sic severam apostrophat ad nos autor: «O potentia», inquit, «Dei, quantum est severa, que tales ictus fulminat pro vindicta». Virgilius autem, postquam vidit illum duabus vicibus taliter transformari, interrogavit eum quisnam esset. Ad quem ille: «Ego, admodum pluvie, modicum tempus est cecidi de Tuscia in hanc gulam feram. Vita bestialis michi placuit, non humana, sicut mulo qui ego fui. Sum Vannes Fuccii bestia, et Pistorium fuit michi digna tana». Tunc autor suo duci: «Dic» inquit «illi quod non fugiat, et interroga illum quenam culpa huc inferius eum traxit, quia ego cognovi ipsum virum sanguinum et dolosum». Et ille peccator hec intelligens se non finxit, sed erexit

ad autorem animum atque vultum et tristi verecundia se depinxit. Postea dixit ei: «Plus doleo quod tu me in ista quam vides miseria invenisti, quam quando fui de alia vita sublatus. Ego certe non possum negare id quod petis. Inferius tantum missus sum quia sacristie thesauri pulcherrimi latro fui; et impositum aliis falso fuit. Sed ut de ista tali visione non gaudeas, si unquam extra ista loca fueris tenebrosa, aperi aures tuas mee annuntiationi et audi: Pistorium enim de Nigris primitus spoliatur, postea Florentia gentes renovat atque modos. Qua propter Mars extrahit vaporem de Valle Macre, qui est involutus nubibus turbulentis, et cum tempestate impetuosa et acri super campum Epycenum erit castram taliter dimicatum. Unde repente nebula discindetur ita et taliter quod omnis Albus erit inde letaliter vulneratus. Et hec ideo ut inde doleas tibi dixi». Ideo ait in textu: «Et dicto l'ò perchè doler ti debbia».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

In quella parte del giovanett'anno

Sol, secundum astrologos, uno anno peragit cursum suum. Et incipit iste cursus XI vel XII die mensis decembris, quo tempore dies incipiunt crescere et noctes decrescere. Illo itaque tempore, figuraliter loquendo, annus nascitur et sic crescens <iuvenis> appellatur. Unde autor dicit: «In quella parte del giovanett'anno», hoc est quasi circa medium ianuarii, quo scilicet tempore iam habet annus unum mensem, et tunc sol intrat signum Aquarii, sub quo Aquario temperat, idest regit, crines; hoc est, dirigit cursum suum; et quo etiam tempore iam incipiunt noctes adequari diebus, quia tempus tendit ad martium, in quo fit equinoctium vernale, idest dies et noctes equali horarum numero adequantur. In isto itaque tempore iuvenculi anni bruma, sive pruina, sue sororis, scilicet nivis, super terram ymaginem representat. Accidit autem isto tempore quod rusticus egenus et pauper, cui necessaria deficiunt ad vivendum, tempestive consurgit ut ad pascendum eiciat oves suas. Sed videns albescere totam terram, melancolicus intrat domum. Modico vero tempore elapso iterum ad contemplandam terram egreditur, et videns virtute solis pruinam liquefactam, reddita sibi spe, oves deducit ad pascua. Exemplificat igitur autor et dicit quod, sicut tempore iuvenilis anni, idest a medio ianuarii usque ad medium februarii vel circa, bruma que terram albedine sua vestit contristat pauperem rusticum et mendicum; sed postquam fuerit liquefacta ipsum subito consolatur; sic suus magister et dux quando ostendit sibi faciem conturbatam, ut habetur in precedenti cantu, ibi:
Appresso 'l duca a gran passi sen gì,
turbat'un poco d'ira nel sembiante;
ipsum subito contristavit. Sed cum ad ruinam sexti pontis ex illa parte qua ad bulgiam septimam pervenitur in silentio pervenissent et ipsum autorem respexisset, statim de tristitia in letitiam est mutatus.

Quia vero de anno hic mentio facta est, ideo de eius institutione aliqua utiliter videamus. Annus enim quinqu[i]plex est: scilicet lunaris, embolismalis, solaris, magnus, et mundanus. Annus lunaris constabat apud Romanos antiquitus ex X lunaribus; unde annus ipsorum decem menses solummodo continebat. Romulus enim fundator urbis annum in X menses divisit. Et hunc numerum pluribus de causis elegit: Prima causa fuit quia consideravit quod infans usque ad decem menses ad prodeundum de matris utero aptus est. Secunda causa fuit quod mulier vidua, antequam secundo matrimonio coniungatur, totidem menses in viduitate recluditur infra domum. Tertia causa fuit quia per X digitos numerare solemus, sive quia usque ad X numerando venitur, et ultra X numerus non ascendit. Et propter hunc numerum ipse Romulus decies decem senatores elegit. Primum autem mensem Marti deo belli cuius dicebatur filius, consecravit. Secundum Veneri, que mater ipsius Romuli fingitur a poetis. Tertium senatoribus et senibus, qui rem publicam consiliis gubernabant; unde <madius> dictus est. Quartum iuvenibus, qui armis rem publicam defensabant. Quintum vocavit <quintilem>, idest quintum. Sextum <sestilem>, idest sextum. Septimum <septembrem>, idest septimus a martio, idest ab imbre, quia multi imbres in martio esse solent. Octavum <octobrem>, idest octavum a martio. Nonum <novembrem>, idest nonum a martio. Decimum vero <decembrem>, idest decimum a martio. Numma autem, qui Romulo successit in regno, cognitor celestium, videns celum XII signis moveri, voluit annum duodecim mensibus designari. Unde addidit duos, ianuarium scilicet, quem consecravit Iano, et februarium, quem consecravit Februo. Unde Ovidius in libro Faustorum, scribens ad Augustum Cesarem ait:
Tempora diggeret cum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Scilicet arma magis quam sydera, Romule, Noras,
Curaque finitimos vincere maior erat.
Est tamen et ratio, Cesar, que moverit illum:
Erroremque suum quo tueatur, habet.
Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere coniugis uxor
Sustinet invidia tristia signa domo.

Et infra:

Ergo animi indociles et adhuc ratione carentes

Mensibus egerunt lustra minora decem.

Annus erat, decimum cum luna receperat orbem:

Hic numerus magno tunc in honore fuit;

Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,

Seu quia bis quino femina mense parit,

Seu quod adusque decem numero crescente venitur,

Principium spatiis summitur, inde novis.

Inde parens centum denos secrevit in orbes

Romulus, hastatos instituitque decem.

Redeo ad primum:

Hec igitur vidit trabeata cura Quirini.

Cum rudibus populis annus una iura daret.

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus,

Tertius a senibus, iuvenum de nomine quartus,

Que sequitur, numero turba notata fuit.

At Numma nec Ianum nec avitas preterit umbras,

Mensibus antiquis preposuitque duos.

Et sic patet quomodo et qualiter annus a Romulo ordinatus ex decem lunaribus consistebat. Iudei vero componunt annum lunarem ex duodecim lunationibus et quandoque ex XIII, qui quidem annus tunc dicitur embolismalis. Unde Ysidorus, VI libro Eth.: Embolismus est annus qui XIII menses lunares, idest CCCLXXXIIII dies habere monstratur. Et sic patet de secundo anno qui dicitur embolismalis. Annus solaris, secundum institutionem Numme, XII menses habet, ut dictum est, in quo spatio sol peragit cursum suum. Et incipit atque finit iste cursus, ut superius dictum est, XI vel XII die mensis decembris. Et ista est potissima causa quare a frigoribus incipit novus annus. Nam ut temporis ratio demonstrabat, incipiendus erat novus annus a vere, in quo omnia renovantur, et in quo mundus, secundum Romanam Ecclesiam, factus est. Unde in eodem libro Faustorum hanc movet Iano Ovidius questionem, et inducit ipsum Ianum ad quesita dare responsum. Ovidius inquit Iano:

«Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius puer incipiendus erat?
Omnia tunc florent, tunc est nova temporis etas:
Et nova de gravido palmite gemma tumet,
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit et in summum seminis herba solum:
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent.
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit yrundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus;
Tunc patitur cultus ager et renovatur aratro.
Hec anno novitas iure vocanda fuit».
Quesieram multis: non multis ille moratus
Contulit in versus sic sua verba duos:

Responsio Iani:

Bruma novi prima est, veterisque novissima solis

Principium capiunt Phebus et annus idem.

Hoc est dicere quod bruma est finis veteris anni et principium novi. Ad cuius sententie evidentiam clariorem est sciendum quod quando sol est in infimo suo descensu, ita quod descendere plus non valet, tunc generantur brume sive pruine magne et durature, quia propter elongationem solis dissolvi vel liquefieri vix possunt. Et tunc terra propter frigora sic intensa omnino intractabilis est. Unde Virgilius in Georgicis:

Usque sub extremum brume intractabilis axem.

Cum vero sol incipit ascendere et terram calefacere, generantur quidem brume propter frigus nocturnum. Sed appropinquante calore solis dissolvuntur et liquefiunt. Unde Lucanus in quarto:
Non durature conspecto sole pruine.

Est itaque pruina finis veteris solis et anni, et est principium novi solis et anni. Et ista est causa quare non in vere sed in hieme, secundum Romanos, incipit novus annus. Igitur annus solaris, secundum institutionem Numme Pompilii, XII menses habet. Et istum annum, scilicet solarem respectu anni lunaris, vocat Virgilius magnum annum. Nam primo libro Eneydorum, ubi inducit Iovem quedam ventura de Ascanio Veneri revelare, ait:

At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ylia regno),
Triginta magnos volvendis mensibus orbes.
Imperio explebit, regnumque a sede Lavini
Transfert, et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos

Gente sub Ectorea; donec regina sacerdos,
Marte gravis geminam partu dabit Ylia prolem.
Inde lupe fulve nutricis tegmine letus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Menia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ergo nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Istud totum dictum Virgilianum gratia illius sententie posui, scilicet triginta magnis volvendis mensibus orbes, idest annos quos vocat magnos respectu anni lunaris. Et sic patet de anno solari. Magnus vero annus, secundum astrologos, completur reversis omnibus planetis ad loca sue creationis, quod fit annis non paucioribus quingentis triginta, ut ait magister in historiis scolasticis. Mundanus autem annus completur omnibus stellis ad prima loca reversis, quod fiet demum post triginta sex milia annorum, ut ait idem magister. Viso itaque de quinqu[i]plici anno, ad annum solarem, qui est modo nostra materia, redeamus. Annus enim solaris habet XII menses, cuius principium a frigoribus incoatur, illo scilicet tempore quo sol incipit supra nostrum orizonta elevari in principio Capricornii, quod quidem fit XVIII die decembris; cum autem sub Aquario ipse sol temperet crines suos, quod quidem signum intrat decimo septimo die ianuarii, quo etiam tempore bruma dissolubilis generatur, et quo tempore noctes ad dierum adequationem accedunt; quod fit XVIII martii. Tunc annus iuvenilis sive iuvenculus appellatur; vel quia modicum tempus habet, vel quia illo tempore terra virtute solis incipit renovari; quia viole tunc apparent, et alia terre nascentia incipiunt etiam pullulare. Ideo ait: «In quella parte del giovanett'anno». Et dicitur annus ab *an* quod est <circum>, quia quasi circulus vel anulus in se redit et renovatur. Unde apud Egyptios ante licteras inventas per pictum serpentem caudam suam mordentem et in se recurvantem indicabatur.
che 'l sole i crin sotto l'Aquario tempra

Sol, secundum poetas, habet currum et equos, ut habetur supra in ystoria Phetontis, cantu XVII, quem quidem currum et equos motu suo per XII signa temperat atque regit. Quia in uno quolibet signo, idest sub quolibet signo, nam *in* ponitur pro *sub*, ut habetur in spera, stat per spatium unius mensis. Nam circa medium decembris intrat unum signum celeste, quod dicitur Capricornus; et tunc est solstitium hiemale. Sunt autem duo solstitia, scilicet hyemale et extivale. Et dicitur solstitium quasi *solis statio*, quia tunc sole stante crescunt dies vel noctes, ut ait beatus Ysidorus V libro Eth.. Et currit sol sub isto signo Capricornii usque ad decimum septimum ianuarii, et tunc intrat signum Aquarii. Completo vero uno mense, intrat signum Piscium; deinde Arietem, et tunc fit equinoctium vernale; deinde Taurum: deinde Geminos; deinde Cancrum, et tunc fit solstitium extivale; deinde Leonem; deinde Virginem; deinde Libram, et tunc fit equinoctium autunnale; deinde Scorpionem; deinde Sagittarium. Et de istis XII signis sub quibus uno anno sol peragrat cursum suum dantur versus:
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Architenens, Amphora, Pisces.

De signis autem solstitiorum et equinoctiorum dantur etiam alii duo versus:
Hec duo solstitia faciunt Cancer Capricornus,
Sed noctes equant Aries et Libra diebus.

Et già le notti al mezzo dì sen vanno, idest, circa medium martii, quo scilicet tempore noctes et dies pariter adequantur, quia tunc temporis est equinoctium vernale. Duo enim sunt in anno equinoctia, scilicet, vernale et autunnale. Equinoctium vernale est in principio Arietis, circa medium martii; equinoctium vero autunnale est in principio Libre, circa medium septembris. Istis enim duobus temporibus dies cum noctibus pares sunt. Et appellatur illud tempus equinoctium eo quod tunc dies et nox horarum spatio equali consistunt, ut ait beatus Ysidorus, V libro Eth. In libro etiam spere appellatur equator diei et noctis, quia adequat diem artificialem nocti. Vult itaque dicere autor quod ab illo tempore quo sol intrat signum Aquarii usque ad martium sol <iuvenculus> appellatur, et illo tempore bruma sive pruina brevis et dissolubilis generatur.

vv. 4-6

quando la brina in su la terra assempra
l'ymagine di sua sorella bianca,
ma poco dura a la sua penna tempra.

Est autem bruma sive pruina vapor humidus congelatus, ut dicit Aristotiles, sive impressio generata ex vapore frigido et humido congregato in corpus nubis in medio interstitio aeris congelato, quidem per frigiditatem loci et temporis, in quibus non est aliqua pars caliditatis, ut dicit idem Aristotiles. Unde pruine accidit durities ex frigore loci et temporis; in quo scilicet loco et tempore generatur, quia frigus partes vaporis aggregat et contrahit, et sic pruine substantiam duram reddit . Ex nimia vero frigiditate albescit, et herbas et flores super quas cadit marcidos efficit et exurit. Admodicum autem solis radium evanescit et in rorem redit, quia pruina nil aliud est quam ros congelatus, ut ait Beda. Nam ros descendens ad terram frigiditate noctis spetiem albam, duram et frigidam recipit, et sic in pruine substantiam superficialiter se convertit, ut asserit idem Beda.

vv. 7-18

lo villanello a cui la roba manca,
si leva, et guarda, et vede la campagna
bianchegiar tutta; ond'ei si batte l'anca,
ritorna a casa, et qua et là si lagna,
come 'l tapin che non sa che si faccia;
poi riede, et la speranza ringavagna,
vegendo 'l mondo aver cangiata faccia
in poco d'ora, et prende suo vincastro,
et fuor le pecorelle a pascer caccia.
Così mi fece sbigottir lo mastro,
quando li vidi sì turbar la fronte.

Hic adducit autor unam pulcherrimam similitudinem vel figuram, que talis est: Illo nanque tempore quo magne pruine fiunt, inter signum Aquarii scilicet et Arietem, hoc est inter medium ianuarii et medium martii, pauper rusticus seu pastor, videns terram albescere propter brumam, et suas oviculas ducere ad pascua iam non valens, dolore plenus hac et illac per domum discurrens percutit sibi ancam. Sed post modicum, rediens et videns virtute solis brumam liquefactam sive destructam, spe sibi reddita confortatur. Simili modo timuit ipse autor quando vidit sui magistri frontem, ut habetur superius, conturbari, ymaginans atque credens ipsum in mente propter signa frontis esse turbatum. Nam facies hominis seu frons habet representare animi passiones. Quod autem turbationem in fronte monstraverit, habetur in precedenti cantu, ibi:
Appresso 'l duca a gran passi sen gì,
turbat'un poco d'ira nel sembiante;

vv. 19-30

Sed postquam ad ruinam sexti pontis devenerunt, Virgilius cum facie iocunda se convertit ad ipsum. Unde sequitur:
et così tosto al mal giunse lo 'mpiastro;
chè, come noi venimo al guasto ponte,
lo duca a me si volse con quel pillio
dolce ch'i' vidi prima a piè del monte.

Sicut patet superius, primo cantu, ibi:

Mentre ch'i' ruinava in basso loco,

dinanzi a li occhi mi fu oferto

che per lungo silentio parea fioco.

Le braccia aperse, dopo alcun consillio electo seco

Cum ad ruinam sexti pontis Virgilius devenisset, brachia sua ut Dantem acciperet mox expandit, prius tamen ruinam attendens intra se consilio habito vel electo, quia nichil sine consilio est agendum, quid ipsum agere oporteret; et sic deliberato consilio cepit eum. Unde sequitur: *et diedemi di piglio*. Et ponit hic autor unam comparationem in qua mentis oculo videre possimus, qualiter et quo modo ipsum Virgilius elevavit ad summa, dicens:
Et come quei c'adopra et istima,
che sempre par che 'nnanzi si provegia,
così, levando me verso la cima
d'un ronchion, avisava un'altra schegia,
dicendo: «Sovra quella poi t'agrappa;
ma tenta pria s'è tal ch'ella ti reggia».

Comparatio talis est: Homo dum aliquid manibus operatur semper cum mente extimat non solum id quod agit, sed etiam quid agendum, ut partes sibi correspondeant alternatim; sicut exemplum possumus accipere in pulsatione alicuius musici instrumenti. Cum enim quis pulsat aliquam citharam sive liram, manibus exterius operatur et mente interius non solum id quod agit, sed etiam id quod agendum et quod sequitur solicite meditatur. Nam ut manifeste videmus, cum manu dextera arcu vel penna cordas resonare facit, et cum sinistra sonum identidem moderatur. Mente vero attente previdet sive estimat non solum quid agit, sed etiam quid agendum. Simili modo Virgilius, dum vidit illam ruinam arduam et difficilem ad ascensum, considerans quod esset onerosa autori, ipsum brachiis elevavit et in mente considerabat quomodo et qualiter per ruinam illam ipsum posset levius et agilius sullevare. Quod autem illa via per quam Virgilius impellebat autorem fuerit valde difficilis ad ascensum, apparet ex eo quod sequitur: «Non era via da vestito di cappa». Quicumque enim per malam maxime viam vadit, si pannos habent longos et clausos sicut sunt cape que totum hominem capiunt sive ligant – ideo dicitur *capa*, a *capiendo* – ire vel ascendere non valebit. Ideo sequitur: *che noi*, idest Virgilius et ego, *a pena*, idest fere, *ei lieve et io sospinto*, idest ipse levis, quia sine corpore, et ego impulsus ab eo – *potavam su montar di chiappa in chiappa*, idest poteramus ascendere de scopulo in scopulum. Est enim *chiappa* ianuensium ydioma, qui erectos lapides et acutos, qui sunt in eorum marinis montibus sive ripariis, vocant chiappas.

vv. 34-36

Et se non fosse che da quel procinto
più che da l'altro era la costa corta,
non so di lui, ma io sarei ben vinto.

Declarat hic autor cum suo laborioso ascensu situm etiam bulgiarum. Dixit enim supra, cantu XVIII, quod quelibet bulgia habet in circuitu unam ripam, et sicut quelibet ripa circundat bulgiam suam, ita quelibet bulgia circundat ripam aliam subsequentem, ibi:
Quale, dove per guardia de le mura
più et più fossi cingon li castelli,
etc.

His autem dicit quod cum quelibet bulgia sit in medio duarum riparum, semper secunda ripa ymior sive bassior est quam prima; et hoc quia omnes bulgie tendunt ad yma. Ideo sequitur:

vv. 37-42

Ma perchè Malebolge inver la porta
del bassissimo pozzo tutta pende,
lo sito di ciascuna valle porta
che l'una costa surge et l'altra scende;
noi pur venimo infine in su la punta
onde l'ultima pietra si scoscende.

Narrato et designato suo laborioso ascensu quem per ruinam sexti pontis de sexta bulgia exiverunt, dicit autor quod ad summum illorum scopulorum non sine magna anxietate finaliter devenerunt. Ideo sequitur:

vv. 43-45

La lena m'era del polmon sì munta
quando fui sù, ch'i' non potea più oltre,
anzi m'assisi ne la prima giunta.

vv. 46-48

«Omai convien che tu così ti spoltre»,

Hic ponit Virgilius talem comparationem sive similitudinem talem: Equus enim, cum primo est indomitus et lascivus, vocatur <pullus> sive <pultro>. Cum autem est domitus et laboribus assuetus, <pullus> seu <pultro> ulterius non vocatur. Et istud vulgo dicitur *spoltrato*, quod in latino sonat de pullo sive pultrone exire et equus effici. Simili modo homo primum est puer sive adolescens; postea iuvenis seu vir. Hoc est quod primo operatur opera scilicet puerilia, postea vero virilia. Moraliter autem hucusque Dantes in sua poesia quodammodo fuit pullus, quia levia et agilia respectu illorum que sequuntur superius pertractavit, admodo vero ardua et difficilia prosequitur in processu. Nam in ista septima bulgia pertractare intendit de transformationibus, quomodo scilicet latrones in

serpentes et serpentes in latrones poesia subtilissima et admirabili transformantur. Vult itaque sibi Virgilius dicere: Admodo te oportet levia relinquere et versus ardua, sicut sunt ea de quibus tractaturus es, dirigere gressus tuos. Ut sic in eo illud verbum beati Pauli videatur impletum: Cum essem parvulus loquebar ut parvulus sapiebam ut parvulus. Cum autem factus sum vir, evacuavi que erant parvuli. Ideo sequitur: *chè seggendo in piuma*, idest in otio, *in fama non si viene*. Re vera enim, quia multi sunt qui ad Epycureorum sectam sectantur, et non nisi delectabilia et carni suavia adipisci conantur, idcirco virtutes que hominem mortuum vivere faciunt derelinquunt in otio marcescentes; quibus mortuis, talia post mortem vestigia de se linquunt, qualia spuma in aqua et fumus in aere derelinquunt.

vv. 52-54

Et però leva su: vinci l'ambascia, idest anxietatem, *con l'animo che vince ogni battaglia, / se col suo grave corpo non s'accascia*, idest non deicit semetipsum. Quia enim omnis nostra vis, sive omne nostrum posse, in animo et corpore situm est, ut per Salustium superius est ostensum. Animi animoso imperio, quo Deo similes sumus, vires corporeas quas cum bestiis participamus gubernare debemus; et talis gubernatio sive ordinatus processus regiminis facit hominem in omnibus triumphaliter triumphare. Si vero corporis imperio et animi servitio utimur, ita quod caro dominetur et anima ancilletur, tunc in infimum et vilissimum statum labitur ipsa hominis nobilissima creatura, et tunc non fit iudicium de ea sicut de homine, sed sicut de brutissimo animali. Unde Psalmista: Homo, cum in honore esset, non intellexit. Idest homo cum secundum animam similis esset Deo et corpori dominari deberet, quia omnia subiecit pedibus eius quando corporis non servitio sed imperio usus est – non intellexit, idest perdidit intellectum, quo preeminet omnibus creaturis. Ideo sequitur: Comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis. Et per hunc modum Plato et Ovidius posuerant transformationes animarum, non quod una anima in aliud corpus realiter transformetur, sed per diversa peccata que committit diversis animalibus similatur. Unde Boetius, quarto libro De Consolatione: «Evenit... ut quem transformatum vitiis videas, hominem extimare non possis».

vv. 55-57

Più lunga scala conven che si saglia; Vere longam scalam dixit autorem Virgilius ascensurum, quia tractaturus erat de monte Purgatorii, ubi sunt altissime scale usque ad lune globum pertingentes. Quibus omnibus superatis, ascensurus erat per omnes speras et celos usque ad illum qui ex nichilo omnia produxit in esse.
non basta da costoro esser partito.
Moraliter sic intelligi debet: non enim sufficit ad salutem mala non facere, nisi homo quantum potest operetur et bonum. Et ideo Psalmista, postquam dixit «declina a malo» subiunxit «et fac bonum». Et beatus Ieronimus, in epistula ad rusticum monacum: Nisi, inquit, oderimus malum, bonum amare non possumus. Ideo notanter adiungit in textu: «Se tu m'intendi, or fa' sì che ti vallia». Ille enim tunc bene intelligit id quod audit, quando illud operibus satagit adimplere. In cuius figura mox ait autor:

vv. 58-60

Leva'mi allor, mostrandomi fornito
mellio di lena,
idest anelitu, qui quando est fortis, est animal vigorosum; quando vero debilis, invigorosum. Lictera plana est usque ibi: *Non so che disse, ancor che sovra 'l dosso*, idest cacumen pontis, *che varca quivi*. Quasi dicat: Utinam tu – loquebatur autem quedam anima versus Dantem, quem loqui audio, et ad loquelam cognosco – istum pontem iam preterisses et esses super alium pontem, ne me agnoscere posses.

Io era volto in giù. Lictera plana est, usque ibi:
si dee seguir con l'opera tacendo.

vv. 79-90

Noi discendemo 'l ponte da la testa
ove s'agiunge con l'octava ripa,
et poi mi fu la bolgia manifesta.

Hic incipit autor de septima bulgia pertractare, et dicit quod vidit in ea tantam multitudinem serpentum quod tres partes mundi que serpentibus plene esse dicuntur, scilicet Libia, Ethyopia, et desertum quod supra mare Rubrum est, tantam multitudinem noxiorum animalium non producunt. Sed antequam ad ipsa animalia veniamus, de istis tribus partibus mundi, scilicet Libia, Ethyopia, et

deserto maris Rubri, quia a remotis sunt, aliqua videamus. Libia est una ex tribus partibus orbis que alio nomine Affrica nuncupatur. Nam mundus in tres partes dividitur ab antiquis, scilicet in Asiam, Libiam, et Europam. Que quidem nomina a tribus mulieribus processerunt: Asia enim, ut XIIII libro Eth. scribit Ysidorus, ex nomine cuiusdam mulieris est appellata, que apud antiquos imperium tenuit orientis. Europa vero ab una alia muliere, que fuit filia Agenoris et soror Cadmi, vocabulum est sortita, de qua Ysidorus, libro ut supra: Europa fuit filia Agenoris regis, quam Iupiter ab Affrica raptam Cretam advexit, et partem tertiam orbis ex eius nomine appellavit. Iste autem Agenor fuit filius Libie, ex qua et Libia, idest Affrica, fertur cognominata. Unde apparet quod prius Libia accepit nomen, postea vero Europa; Libia etiam a quadam muliere, ut iam dictum est, nomen accepit. Nam Epavus, filius Iovis, qui Memphym in Egypto condidit, ex Cassiota uxore sua quandam filiam nomine Libiam procreavit. Que Libia in Affrica regnum possedit, ex cuius nomine illa terra fuit postea Libia appellata, ut ait Ysidorus libro ut supra. Affricam autem, secundum eundem Ysidorum, ideo ipsam Libiam dicunt, quasi apricam, eo quod sit aperta celo et soli, et sine orrore frigoris. Alii vero dicunt istam terram Affricam appellari ab uno ex posteris Abrahe de Cethura, qui vocatus est Affer. Ista itaque Libia in quadam sui parte serpentibus dicitur esse plena, ut patet per Lucanum et alios scriptores qui de mundi conditionibus conscripserunt. Est etiam in ista Libia quedam provincia sive regnum sub torrida zona situm, ubi propter nimium solis incendium nascuntur homines nigri, que quidem terra Ethyopia nuncupatur. De qua Iohannes Os Aureum: Ethyopum terras iam fervida torruit estas.

In hac provincia regnavit illa sapientissima femina que, ut habetur in tertio libro Regum, venit in Ierusalem audire sapientiam Salomonis. In ista itaque Ethyopia sunt animalia mirabiliter venenosa ac etiam monstruosa.

Supra mare vero Rubrum est desertum Sur, per quod transierunt filii Israel sub ducatu Moysi. In isto autem deserto abundant animalia serpentina. Exemplificat igitur autor et dicit quod nec Libia, nec Ethyopia, nec desertum maris Rubri tantam multitudinem venenatorum animalium non producunt, quantam in ista bulgia modo vidit. Facta qualicunque mentione de illis tribus partibus orbis que serpentibus et noxiis animalibus plene sunt, ad illa saltim animalia que hic gratia exemplorum autor adducit nostrum calamum convertamus. Ponit enim hic autor quinque speties sive genera serpentina, scilicet chelydros, iaculos, pharias, centros, et amphysibenas. Chelidris est quidam serpens aquaticus et terrestris, unde dicitur a *ceros*, quod est <terra>, et *ydor*, quod est <aqua>; inde *chelydris*, serpens aquaticus et terrestris, cuius natura est quod ambulat a medietate corporis totus sursum erectus, aliam autem partem trahit per terram similiter totam rectam. Si autem aliquo modo se torserit, statim crepat. Cuius veneni talis est operatio: tactu enim sui corporis terram per quam incedit taliter calefacit quod ipsam fumare facit. Unde Lucanus in VIIII: «Tactus via fumante chelidris». Et ille fumus est adeo venenosus quod quicunque homo seu animal per illam viam incederet, statim spiritum exalaret. Fugatur autem odore citrino. Idcirco Virgilius in Buccholicis admonet pastores ut in stabulis faciant ignem de citro et galbano, dicens:
Disce et odoratam stabulis accendere citrum,
galbaneoque nidore graves agitare chelidros.

Iaculi sunt serpentes parvi et breves, qui admodum iaculorum de arboribus se emittunt, et quicquid vivum, sive hominem sive animal, tangunt mox interimunt, ut dicit Ysidorus, XII libro Eth. Ideoque iaculi appellantur. Unde Lucanus in nono: «Iaculique volucres». Pharias est quidam serpens qui, secundum Ysidorum, totus incedit erectus; nam sicut homo ambulat pede, ita pharias incedit et cauda. Inde dicitur pharias a*phares*, quod est transitus sive divisio, quia eius natura incedit divisa ab aliorum serpentum naturis. Unde Lucanus in nono: «Et contentus iter cauda sulcare pharias». Et forte hoc genus serpentis, secundum quosdam, diabolus tunc elegit, quando primos parentes decepit. Quod cum Sacra Pagina minime concordare videtur, que dicit serpentem qui decepit eos in maledictione fuisse prostratum. Potest autem dici quod omnis serpens ante peccatum incedebat erectus, ut facit modo pharias, sed in maledictione quam a Deo recepit fuit vel in totum vel in partem aliquam prostratus, excepto pharia, quem erectum ideo Deus forte dimisit, ut citius credere valeamus omnem serpentem ante peccatum fuisse erectum. Centris est quedam serpens inflexuosa, que ambulat semper recta, non tamen erecta, sed per terram toto corpore serpit recta, contra naturam aliorum serpentum; nam si usquam se torserit, statim crepat. Unde centris dicitur quasi in centro, idest in medio crepans. De hac serpente ait Lucanus in nono: «Et semper recto lapsurus limite centris». Amphysibena, secundum Ysidorum, XII libro Eth., habet duo capita sine aliqua cauda currens, utroque capite tractu corporis circulato, cuius oculi veluti due lucerne lucent. De quo Lucanus in nono: *Et gravis in geminum vergens caput amphysibena.*

Ideo ait autor in textu quod tot pestilentias nec sic pravas ostendit unquam Libia cum tota Ethiopia, nec desertum quod supra mare Rubrum est. Vel istum desertum vocat autor illam solitudinem inviam et inaquosam per quam Moyses duxit exercitum Pharaonis contra Ethyopes qui vastaverant regnum Egypti, cuius hystoriam narrat magister in hystoriis in hunc modum: Cum adultus esset Moyses, Ethyopes vastaverunt Egyptum usque ad Memphym et mare. Quo circa conversi ad divinationes Egyptii responsum ceperunt ut auxiliatore uterentur hebreo. Et vix obtinuerunt a Thermuth filia Pharaonis, que ipsum educaverat et in filium adoptaverat, ut exercitui quem preparaverant Moysen preficerent ducem, prius tamen prestitis sacramentis ne ei nocerent. Erat enim Moyses vir bellicosus et peritissimus, qui fluminis iter tanquam longius pretermittens, per

terram duxit exercitum itinere breviori, ut improvisos Etyopes preveniret. Sed per loca plena serpentibus iter faciens, tulit in archis papiriis super plaustra ibices ciconias, scilicet egyptias naturaliter infestas serpentibus que rostro per posteriore immisso alvum purgant. Castraque metatus proferebat eas ut serpentes fugarent et devorarent, et ita tutus per noctem transibat exercitus. Tandem preventos Ethiopes expugnans inclusit eos fugientes in civitatem regiam Saba, quam post Cambises a nomine sororis sue Meroen denominavit. Quam cum quia inexpugnabilis erat diutius obsedisset, oculos suos iniecit in eum Tharmis filia regis Ethiopum et ex condicto tradidit ei civitatem si eam duceret in uxorem. Et factum est ita. Inde est quod Maria et Aaron iurgati sunt postea adversus Moysen pro uxore eius Ethyopissa. Dum autem Moyses redire vellet in Egyptum, non acquievit uxor. Proinde Moyses tanquam vir peritus astrorum, ymaginem sculpsit in duabus gemmis huius efficacie ut altera memoriam altera oblivionem conferret; cumque paribus anulis eas inseruisset, alterum scilicet oblivionis anulum uxori prebuit, alterum ipse tulit ut sicut pari amore, sic paribus anulis insignirentur. Cepit ergo mulier amoris viri oblivisci, et tandem libere in Egyptum regressus est. Tante autem pulcritudinis fuit Moyses, ut ait Iosephus, ut nullus adeo severus esset qui eius aspectui non hereret. Multique dum cernerent eum per plateas et vias ambulantem opera in quibus erant occupati, ut ipsum respicerent, dimittebant.

vv. 91-93

Tra questa cruda et tristissima copia
correvan genti nude et spaventate,
senza sperar pertugio o elitropia:

Dicit hic autor quod vidit gentes nudas et attonitas per istam septimam bulgiam decurrentes, sine spe inveniendi aliquod foramen in quo possent abscondi. Ideo ait: *sanza sperar pertugio*, vel aliquo umbraculo vel velamine operiri. Ideo ait *elytropia*, nam elytropia est quedam gemma que operit hominem vel obumbrat, ne oculis intuentium videatur. Cuius gemme proprietates sunt iste: Elytropia gemma est viridis cum guttis pumiceis. Et est sic dicta ab effectu, quia si ponatur in aqua radiis solis opposita, ebullire facit aquam in vase positam et resolvit in nebulam; et post paululum talis nebula in guttas resolvitur pluviales. Et ex hoc dicitur hominem invisibilem reddere, dum posita in pelvi in aqua clara radios solis mutat et ex aeris repercussione obumbrare videtur radiorum solarium claritatem et quendam inducere in aere colorem sanguineum, ac si sol ex lunaris corporis interpositione ad solem, sol eclipticas pati tenebras videatur. Et ideo, quia ita solis potest claritatem mutare, ideo *elytropia*, idest <solis aversio> nuncupatur. Et hec expresse dicit Ysidorus et Dyas. In lapidario etiam sic habetur:
Ex re nomen habens est elytropia gemma,
Que solis radiis in aqua subiecta vacillo
Sanguineum reddit mutato lumine solem
Eclipsinque novam terris effundere,
etc. Vult itaque dicere hic quod isti miseri peccatores currunt nudi et attoniti, sine spe se posse abscondere in aliquo foramine vel aliquo umbraculo operiri, sicut magi cum elytropia operiunt sive obnubilant suas artes.

vv. 94-99

con serpi le man dietro avea legate;

Quia hic incipit autor de latronum conditionibus pertractare, ideo in principio sue poetice descriptionis sive narrationis ponit quod, sicut latrones in mundo dum vadunt ad furcas vadunt cum manibus retro vinctis, ita in inferno ponit ipsos habere manus a tergo serpentibus alligatas. Et quia pena inferni eterna censetur, ideo ad ostendendum quod pena latronum similiter sit eterna, dicit quod illi serpentes cum quibus ipsorum latronum brachia sunt ligata, renes ipsorum latronum, capitibus et caudis perforabant, et ipse caude sunt ante illorum pectora cum capitibus annodate. Ideo ait in textu:
quelle ficcavan per le ren la coda
e 'l capo, et eran dinanzi agroppate.
Et ecco ad un ch'era da nostra proda,
s'aventò un serpente che 'l trafisse
là dove 'l collo a le spalle s'annoda.

Modo in hoc passu incipit autor de transformationibus subtilem et mirabilem texere poesiam, ponens ipsos latrones in serpentina et venenosa animalia transformari. Ubi est advertendum quod quadruplex transformatio reperitur, videlicet naturalis, moralis, magicalis, et supernaturalis. Naturalis transformatio est quando una res in aliam formam sive spetiem transformatur, sicut quando terra transformatur in herbam, herba in florem, flos in fructum, quia fructus comestus in carnem et sanguinem transformatur; et sicut corallus, qui sub aqua est herba, sed cum extrahitur extra aquam illico durescit, rubescit, et lapidescit. Unde Ovidius, XV libro Meth.:
Sic et coralium quo primum contigit auras

Tempore durescit: mollis fuit herba sub undis.

Et sicut de corruptis visceribus taurorum apes que mellificant oriuntur. Ovidius libro ut supra:

Hi quoque dilectos mactatos obruere tauros

(Cognita res usu): de putri viscere passim

Florilege nascuntur apes, que more parentum

Rura colunt, operique favent in spemque laborant.

Et sicut de cancro marino nascitur scorpius in hunc modum: Si enim accipias cancrum et auferas sibi omnia brachia, et ipsum sic sepelias brachiis detruncatum, de ipso cancro scorpius orietur. Unde Ovidius, libro ut supra:

Concava litoreo si demas brachia cancro,

Cetera supponas terre de parte sepulta,

Scorpius exhibit caudaque minabitur unca.

Moralis transformatio est quando homo ad ymaginem Dei factus per diversa vitia in diversas bestias transformatur. Probitate enim et virtute deserta, qua homo efficitur suo similis Creatori, desinit esse homo et per diversa peccata diversis animalibus similatur, sicut quarto libro De Consolatione ostendit Boetius in hunc modum, dicens: «Fervet aliquis avaritia violentus ereptor alienarum operum effectus, dixeris scilicet illum similem lupo. Ferox atque inquietus exercet linguam litigiis? Cani illum comparabis. Insidiator occultus gaudet fraudibus subripuisse, scilicet aliena vulpeculis exequatur. Ire intemperans fremit? Leonis animum gessare credatur. Pavidus atque fugax non metuenda formidat? Cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit, idest asinine vel admodum asini vivit. Levis ac inconstans studia permutat? Nichil ab avibus differt. Fedis immundisque libidinibus quis immergitur? Sordide suis voluptatibus detinetur». Et sic de ceteris vitiis possumus adaptare. Et concludit Boetius: «Ita fit ut qui, deserta probitate, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belvam». Et per istum modum ponunt poete Hecubam reginam troyanam in canem fuisse conversam, de qua habebimus infra, cantu XXX. Et ista secunda transformatio est peior illa que sequitur, sicut probat Boetius, libro ut supra.

Magicalis autem transformatio est illa qua, arte diabolica, una res in aliam transformatur, sicut in Exodo legimus quod magi Pharaonis virgas ligneas in dracones arte diabolica transformarunt. Nam magi oculos spectantium deludunt, vel, secundum Augustinum, demones adiurati discurrunt per mundum, et subito quedam naturalia quibus demones hec et his similia operantur asportant. Narrat etiam Ovidius, XIIII libro Meth., et Boetius, quarto De Consolatione, quod Circe filia solis, socios Ulixis mutavit in bestias, cuius mutationis ystoriam habebimus infra, XXVI cantu. Varro etiam, ut ait beatus Augustinus, asserit socios Dyomedis in aves fuisse mutatos. Idem narrat quod Archades forte ducti transnatabant quoddam stagnum atque ibi convertebantur in lupos, et cum similibus feris per deserta illius regionis vivebant. Qui si non vescebantur carne humana, per novem annos, eodem stagno transnatato, reformabantur in homines. Idem Varro narrat, quod quidam iuvenis cum gustasset de sacrificio quod Archades deo suo liceo immolabant, in lupum fuit subito transformatus,

et decimo anno forme pristine restitutus. Apuleius etiam platonicus de se narrat quod dum quoddam poculum degustasset, fuit in asinum transformatus, humano tamen animo remanente. Narrat etiam Augustinus in libro De Civitate Dei quod cum esset in Ytalia, audivit quod in quadam parte regionis ytalice quedam mulieres, magicis artibus imbute, dabant viatoribus quedam veneficia in caseo ad gustandum unde in iumenta illico vertebantur et, necessaria hinc inde portantes, finito servitio ad statum pristinum vertebantur.

Multa et alia de ista materia possent dici, que propter vitandum fastidium derelinquo. Unum vero nolo sub silentio preterire, quod omnes iste transformationes et similes non realiter sed apparenter, ut dicunt sancti, magica arte fiunt. Quantam vero vim habeat ista ars, cantu XX quere supra. Quod vero aliqua res aliter videatur quam sit, hoc contingere potest duabus de causis: primo, ex illusione fantasie ipsius videntis, que ex variis causis contingit, sicut operante divina virtute servi Sisinii ad preceptum domini sui volentes ligare beatum Clementem papam, ligabant quandam columnam, ut in vita beati Clementis apparet. Vel operante arte vel scientia magicali, una res apparet quod non est, et non apparet quod est; sicut in regno Sicilie una mulier que habebat nasum amputatum videbatur a masio suo pulcerrima mulierum; et dum semel fuisse interrogatus a quodam que esset maior pulcritudo in facie illius mulieris, respondidit esse nasum. Secundo, res videtur aliter quam sit ex aspersione alicuius pulveris, vel liquoris, vel alterius rei super rem visam. Cuius signum est quod si res sic aspersa fuerit lota aqua, redditur ei speties sua prima. Unde legitur quod quidam iuvenis ioculator, receptus hospitio a duabus aniculis in strata publica commanentibus, fuit per artem magicam in asinum transformatus; qui quocunque modo anus precepissent illico movebatur. Quamvis enim amiserit loquelam, non tamen amiserat intellectum. Cum vero quidam mercator asini, obedientiam admiratus, illum emisset, ab illis aniculis fuit premonitus ut si perpetuo vellet habere asinum ad omnia sua beneplacita preparatum, quod arceret eum ab aqua. Cum autem custos eius labente tempore negligentior in custodia asini esse cepisset, asinus rupto loro in lacum proximum se immergens, in formam pristinam est reversus.

Transformatio autem miraculosa sive supernaturalis est quando miraculose Deus per se vel per angelos seu sanctos aliquid supernaturaliter operatur; sicut quando uxorem Loth in salis statuam transformavit; vel sicut quando virga Moysi divina virtute in serpentem fuit illico transformata et iterum in formam pristinam restituta; vel sicut quando virga Aaron sine aliquo germine vel humore frondes, flores, et poma produxit; vel sicut quando Nabuchodonosor regem in bestiam transformavit, ita quod medius bos et medius leo sibi ipsi et etiam aliis apparebat; vel sicut quando per verba sacramentalia aqua elementalis convertitur in baptismum. Unde beatus Augustinus: Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. Vel sicut quando per sanctissima verba que Christus instituit panis et vinum in suum corpus et sanguinem transmutantur. Primum habetur in libro Genesis, XVIIII capitulo. Secundum habetur in libro Exodi, capitulo. Tertium habetur in libro Numerorum, capitulo. Quartum habetur in libro Danielis, quarto capitulo. Quintum habetur in quarto libro Sententiarum. Sextum vero et ultimum in prima epistula beati Pauli ad Corinthios, et in Evangelio beati Marchi, XIIII capitulo.

Visis igitur diversis transformationibus, ad nostram materiam redeamus. In isto itaque cantu autor tractat de latronibus qui in serpentes in ista bulgia transformantur. Que quidem transformatio est protinus censenda moralis. Nam sicut serpens est animal malitiosum et callidum, ita fures et latrones multa in furando calliditate utuntur; et sicut serpens in silentio mordet, ita latrones in occulto furantur; et sicut serpens omne foramen ingreditur, ita latro per parva et occulta foramina domum ingreditur ad furandum; et sicut tota vita serpentis, ut ait Plinius, stat in capite et duobus digitis corporis, quia si serpens amputato capite cum duobus digitis corporis evadere poterit, vivet, ut aiunt philosophi, ita tota potentia sive vis in portando furata stat in capite atque collo. Et ideo in illa parte qua onus portatur fuit iste latro a quodam serpente percussus, quia per que peccat homo, per hec et torquetur. Ideo ait in textu:

Et ecco ad uno ch'era da nostra proda,
s'aventò un serpente che 'l trafisse
là dove 'l collo a le spalle s'annoda.

Iste autem sic a serpente percussus subito est accensus, arsus, et in pulverem transformatus; de cuius subita accensione, combustione, et in pulverem transformatione adducit hic autor unam comparationem. Comparatio talis est:

vv. 100-102

Nè O sì tosto mai nè I si scrisse,
com'ei s'accese et arse, et cener tutto
convenne che cascando divenisse;

Inter omnes enim licteras nostri alphabeti latini, nulla lictera est ita facilis ad scribendum sicut *o* vel *i*. Et nota quod licteras latinas adinvenit quedam regina Archadie, mater scilicet Evandri regis, nomine Nichostrata; sed quia futura carminibus predicebat, ideo carmentis nimpha dicta est, ut dicit Ysidorus, primo libro Eth. Hebreas autem licteras Moyses adinvenit. Sirorum vero et

Caldeorum invenit Abraham dum moraretur peregre apud eos. Egyptiorum autem licteras Ysis regina filia Ynacis, de Grecia veniens in Egyptum reperit. Grecarum vero usum primum Fenices invenerunt. Unde Lucanus:
Fenices primi, fame si credere, ausi
Mensuram rudibus vocem signare figuris.

Hinc est quod feniceo colore librorum capita inscribuntur, quia ab ipsis Fenicibus lictere initium habuerunt, ut dicit Ysidorus, libro ut supra. In omnibus autem gentibus ideo A prima lictera est, quia ipsa prior nascentibus vocem aperiat; nam Hebrei *aleph*, greci *alpha*, latini vero A in principio licterarum ponunt. Sed quamvis superius dictum sit quod Nichostrata licteras latinas invenerit, non est tamen tenendum quod omnes licteras quas in nostro alphabeto habemus ipsa invenerit. Quia istam licteram y Pictagoras Samius adinvenit. Ideo ipsam licteram i grecum appellamus; x lictera usque ad Augusti tempus nondum apud Latinos erat, sed pro ea c et s primitus ponebantur. Unde ex eiusdem licteris compositum nomen habet, ut vult Ysidorus, libro ut supra. Ç etiam apud Romanos usque ad Augusti tempora non habebatur, sed pro ipsa ç duo s ponebant; quam vero licteram, ut dicit Ysidorus, nec Greci resonant nec Hebrei; exceptis enim Latinis hanc nulla alia lingua habet.

vv. 103-108

Posita comparatione quomodo leviter arserit latro iste, ponit autor quomodo iste latro sic incineratus subito in statum pristinum est reversus, ponens quoddam exemplum de fenice, dicens:
et poi che fu a terra sì distructo,
la polver si raccolse, et per sè stessa,
e 'n quel medesimo ritornò di butto. – idest statim. –
Così per li gran savi si confessa
che la fenice more et poi rinasce,
quand'al cinquecentesim'anno appressa;

Adducit hic autor exemplum de fenice, dicens quod quemadmodum fenix moritur et renascitur, ita ille latro a serpente percussus, postquam fuit incineratus in statum pristinum est reversus. De natura autem et conditionibus fenicis sic habetur in libro De Proprietatibus Rerum: Fenix unica dicitur avis et in toto orbe terrarum singularis; apud Arabes autem, ubi fenix nascitur, singularis nominatur, ut dicit Ysidorus. De hac autem ave dicit quidam philosophus quod fenix est avis sine pari, vivens quadringentis vel quingentis annis. Quibus completis, cum suum sentit defectum, nidum facit ex lignis aromaticis valde siccis, que in estate et fervore solis, flante favonio, accenduntur; quibus accensis fenix sponte nidum ingreditur et ibidem inter ligna ardentia incineratur; ex quo cinere infra triduum quidam vermiculus nascitur, qui paulatim plumescens in volucrem reformatur. Istud idem dicit beatus Ambrosius in hec verba: De fenicis humore sive cinere vermis surgit, paulatimque adolescit, et processu temporis induit alarum remigia, atque in avis spetiem reparatur. Est autem fenix avis pulcherrima, pavoni in plumis simillima, solitudinem diligens, granis et fructibus mundis vescens. De hac ave narrat Alanus quod cum Onias summus pontifex Elyopoleos in Egypto templum ad similitudinem templi Salomonis edificasset, primo die azimorum cum ligna multa aromatica super altare congessisset, et ad ignem ad offerendum sacrificium subiecisset; subito omnibus videntibus descendit in medium rogi talis avis, que in igne sacrificii statim in cinerem est redacta. Remanente autem cinere et de precepto sacerdotis cum diligentia reservato, infra triduum quidam vermiculus de predicto cinere est creatus, qui tandem recipiens formam avis ad solitudinem evolavit.

vv. 109-111

herba nè biado in sua vita non pasce,
ma sol d'incenso lacrim'e d'amomo,
et nardo et mirra son l'ultime fasce.

Dicit hic autor quod fenix herba non vescitur, neque blado, sed solum lacrimis thuris et suco vivit amomi. Unde Ovidius, XV libro Meth.:
Una est que reparet seque ipsam seminet ales,
Assirii fenica vocant; non fruge neque herbis,
Sed turis lacrimis, et suco vivit amomi.
Hec ubi quinque sue complevit secula vite,
Ilicis in ramis tremuleque cachumine palme,
Unguibus et puro nidum sibi construit ore,
Quo simul ac casias et nardi lenis aristas
Quassaque cum fulva substravit cinnama mirra
Se super imponit finitque in odoribus evum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum fenica renasci.

Sed quia hic autor facit de quatuor aromaticis rebus mentionem, videlicet de thure, amomo, nardo et mirra, ideo de ipsis aliquid videamus.

Thus est nomen arboris et gummi inde emanantis. Est autem Arabie immensa atque ramosa, levissimi quidem corticis; mons autem in quo nascitur thus libanus nuncupatur. Et ut dicit glosa super illo verbo, Ecclesiastici XXIIII: Ego quasi libanus non incisus. Libanus est arbor in Arabia, cortice et folio lauro similis, fructum emittens bis in anno, in vere scilicet et autunno. Dicunt autem Arabes quod thus non debet colligi nec eius arbor incidi nisi a sacris et religiosis viris, et tempore collectionis vel incisionis contactu mulierum non pullutis. Dicunt etiam quod, collecto thure, vendi non debet nisi prius Deo decima persolvatur. Ideo secundum Ysidorum, thus dicitur a *theos*, quod est *deus*, quia in deorum sacrificiis adoletur.

Amomum, sive amonium, est quedam gutta sive succus unius arboris, que sicut cinnamomum odorem habet; nascitur autem in Siria et Armenia. De quo Virgilius in Bucholicis: «Assirium vulgo nascetur amomum».

Nardus est herba modica et spinosa, calida et odorifera; unde et a Grecis nardi spica nardostaces appellatur. Et est eius speties triplex, scilicet indica, syrica, et celtica; quia nascitur in tribus locis, videlicet in India, Siria, et Celte Gallie. Non tamen crescit in Siria, sed in quadam terra montuosa que in uno latere tangit Syriam et in alio Indiam. De hac herba fuit illud pretiosum unguentum quo Magdalena, fracto alabastro, unxit pedes Domini. Mirra arbor est in Arabia, altitudinis quinque cubitorum, cuius gutta viridis est, et multum aromatica pariter et amara, unde et nomen accepit; nam mirra amaritudinem sonat; cuius gutta per se manans pretiosior est ea que cortice inciso manat. Est autem tante amaritudinis quod vermes arcet; que a magis Christo fuit oblata, et cuius unguento corpus suum mortuum fuit unctum.

vv. 112-120

Et qual'è que' che cade, et non sa como,
per forza di demon c'a terra 'l tira,
o d'altra oppilation che lega l'omo,
quando si leva, che 'ntorno si mira,
tutto smarrito de la grand'angoscia
ch'elli à soferto, et guardando sospira:
tal era 'l peccatore,
etc.

Comparatio talis est: Due sunt passiones que ligant mirabiliter quemlibet patientem adeo quod dum passio incipit torquere, non advertit patiens quomodo cadit. Similiter quando de terra, finita passione, se levat, surgit totus attonitus propter magnam quam sustinuit passionem sive anxietatem, tali modo iste latro de sua anxietate surrexit.

O potentia di Dio quanto è severa,
che cotai colpi per vendetta croscia!

idest magno ictu percutit. Et est *croscia* vocabulum florentinum et tantum valet quantum <percutere magno ictu>. Hic apostrophat autor ad divinam potentiam, que in inferno adeo est severa, idest iusta, sine aliqua misericordia, quia flecti non potest. Ubi est notandum quod divina potentia est ubique, quia ubicunque est Deus est sua potentia. Sed Deus est ubique, iuxta illud Psalmiste: Si ascendero in celum tu illic es; si descendero in infernum, ades, etc. Ergo ubique est divina potentia. Et ideo nulla creatura sue potest resistere voluntati. Quantum autem in inferno sua potentia sit severa, apostrophando ad ipsam nobis autor innuit dicens:

O potentia di Dio, quant'è severa,

che cotai colpi per vendetta croscia!

vv. 121-123

Lo duca il dimandò poi chi elli era;

Videns Virgilius mirabilem passionem quam passus est iste latro, quia ad tactum serpentis fuit accensus, arsus, et in pulverem mox redactus, necnon et postea more fenicis ad statum pristinum de suo pulvere revocatus, interrogavit illum quisnam esset. Cui latro: Ego, inquit, in hanc bulgiam modicum tempus est de Tuscia more pluentis aque descendi. Vita bestialis michi placuit, non humana. Quasi dicat, propter peccatum bestialitatis quod ad sacrilegium me induxit, hic taliter ut conspicis sum punitus. Et nota quod sacrilegium a bestialitate procedit. Nam sicut bestie non verentur loca sacra, quia in sacris locis omnem immunditiam faciunt, et hoc quia ratione carent, ita latrones et fures, dum sacra loca prophanant, ratione carere videntur. Unde tanquam bestie sacras res rapere non formidant. Et ideo quia latro, dum aliena et maxime que Deo dicata sunt rapit, rationem perdit et bestialitatem induit, ideo subiungit Virgilius iste latro: *sì com'a mul ch'i' fui*, vita bestialis michi placuit tamquam mulo. Nam iste dupliciter mulus fuit, origine scilicet et opere. Fuit enim spurius unius nobilis viri de Pistorio et opera spuriorum operatus est, in cuius ore nec frenum nec camus positus unquam fuit. De quibus admonet nos Psalmista: Nolite ergo fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Et ad demonstrandum quod totus in hac vita fuerit bestialis annectit: *son Vanni Fucci bestia*. Et quia unaqueque res, secundum Philosophum, in suo loco optime conservatur, ideo subiunxit: *et Pistoia mi fu degna tana*, quia in tanis et cavernis bestie habitant atque cubant.

vv. 127-129

Et io al duca: «Dilli che non mucci,
et domandal qual colpa qua giù 'l pinse,
ch'io 'l vidi hom di sangue et di corucci».

Audiens Dantes responsionem quam fecit ad Virgilium iste latro, statim ipsum cognovit. Sed in mente sua quoddam dubium subito ortum est. Quod quidem dubium tale fuit: Dantes enim cognovit istum Vannem Fuccii in hac vita, et cognovit ipsum hominem iracundum et ad effusionem sanguinis valde pronum. Unde miratus fuit in mente sua quando ipsum inter latrones invenit. Debuerat enim iste Vannes, propter peccatum iracundie, puniri superius in VII circulo, girone primo, cantu XII, et autor ipsum in ista bulgia inter fures et latrones invenit. Propter quod ait ad ducem suum: «Dic illi ut non fugiat». Hoc enim dixit quia omnes ille anime, propter innumerabiles serpentum species et figuras, velut attonite fugiebant. Et subiunxit: «Et interroga ipsum que culpa huc inferius eum pinsit, quia ego vidi eum hominem sanguinum ac etiam iracundum», quasi dicat: Non hic, sed superius puniri deberet. Et ille peccator, intelligens verba Dantis, non se finxit, sed erexit versus eum animum atque vultum.

vv. 133-138

Sed ut eum cognovit, statim tristi verecundia se depinxit, et ait ad eum:
«Più mi duol che tu m'ài colto
ne la miseria dove tu mi vedi,
che quando fui de l'altra vita tolto.
I' non posso negar quel che tu chiedi;
in giù son messo tanto perch'i' fui
ladro a la sagrestia de' belli arredi,

Quasi dicat: Quanto maiora peccata anima secum portat, tanto inferius collocatur. Cetera vero que sunt in lictera sunt plana, sed quod sequitur indiget clara luce. Reddita enim iusta et debita ratione quare non superius cum iracundis, sed hic inferius est iste cum latronibus sic dannatus, declarat qua furti specie sive quo genere in hac vita fuerit maculatus, dicens *Fui ladro a la sagrestia de' belli arredi*, idest fui latro quia furatus fui de sacristia – supple maioris Pistoriensis ecclesie – aliqua de pulcro thesauro qui continetur in ea. Ad cuius evidentiam clariorem est sciendum, quod in civitate Pistoriensi unde iste latro traxit originem est quidam nobilissimus thesaurus beato Iacobo apostolo dedicatus: cuius thesauri quandam partem iste Vannes Fuccii cum quibusdam suis complicibus fuit una nocte occulte furatus; quod quidem furtum non sibi nec sociis, sed quibusdam aliis hominibus impositum falso fuit. Propter istud itaque furtum ait autori sacrilegus iste latro.
in giù son messo tanto, perch'i' fui
ladro a la sagrestia de' belli arredi
et falsamente già fu apposto altrui.

Sed quia de furto hic mentio facta est, idcirco quot sunt genera furti et quot modis committitur videamus. Furtorum enim aliud dicitur corporale, aliud spirituale. Corporale subdividitur, quia aliud dicitur generale, aliud dicitur peculatum, aliud dicitur plagium. Generale furtum est quod comuniter est de rebus quibuscunque; et est furtum attrettatio rei aliene, invito domino. In qua diffinitione tria

sunt notanda: primum est quod furtum dicitur attrettatio; secundum quod dicitur attrettatio rei aliene; tertium est quod ista attrettatio rei aliene fit invito domino; domino dico illius rei que attrettatur. Est itaque furtum attrettatio, idest occulta ablatio vel captio, rei aliene, non proprie. Nam si quis attrettat quod suum est, vel credens suum esse, non committit furtum. Illicite tamen usurpatur sine iudicis arbitrio, ut dicit lex. Item invito domino dicit, quia si credat dominum velle vel permittere et subest iusta causa, non committitur furtum, ut dicit lex. Peculatum autem dicitur illud furtum quod committitur in rebus publicis, sicut est furari bona rei publice, idest communis vel communitatis, ut dicunt decretales. Plagium vero est illud furtum quod committitur in persona, puta quando quis furatur hominem, sive puerum vel puellam. Pena primi furti est multiplex, secundum iura; secundum scilicet quod varie agitur de ipso; quia aut intendit iudex ad penam corporis iudicialiter infligendam, aut ad penam pecuniariam civiliter inponendam. Si ad penam corporis intendit, hoc facit dupliciter: aut per supplicium, ut sunt carceres et eculeum, aut per cruciatum, ut membri mutilatio et gule suspensio. Si vero intendit ad penam pecuniariam, tunc distingue: aut furtum est manifestum, aut non manifestum. Si est manifestum, reddi debet in quadruplum, ut habetur in Exodo LXX, ubi dicitur quod quinque boves pro uno ablato reddantur, idest quatuor cum illo qui fuit ablatus. Et sic intellexit Cacheus cum dixit ad Christum, ut habetur Luce XVIIII: Et si quem aliquem defraudavi reddo quadruplum. Si vero furtum non est manifestum pena imponitur in duplo, ut habetur in Decretalibus. Pena secundi furti est aliquando pecuniaria aliquando capitalis, secundum quod furtum fuerit grave vel leve, ut de prima pena dictum est. Pena vero terti furti semper est capitalis, secundum iura. Et sic patet de furto corporali et eius pena. Si quis vero in ultima necessitate victui necessaria furatus fuerit, nec alio modo vitam servare potest, laborando vel mendicando, non peccat mortaliter, quia non summit alienum, sed proprium quod ei debetur de iure naturali. Unde Salomon in Proverbiis, VI capitulo: Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit ut animam esurientem impleat. Et nota quod dicit: Non grandis est culpa, quia etiam in illa ultima necessitate, si furatur, aliqualiter peccat. Et hoc propter negligentiam providentie.

Est et aliud genus furti quod dicitur furtum spirituale, quod sacrilegium appellatur. Est autem sacrilegium sacre rei violatio vel usurpatio. Et dicitur sacrilegium quasi <sacri ledium>, quia ledit res sacras; vel a <legendo>, idest <furando>. Committitur autem tribus modis: primo ratione persone; secundo ratione loci; tertio ratione rei. Ratione persone tunc committitur sacrilegium quando quis verberat clericum vel personam religiosam, ut dicunt Decretales. Ratione loci cum quis ecclesie vel cimiterii emunitatem violat. Et est ecclesie emunitas privilegium libertatum, eius sive rerum ad ipsam pertinentium. Unde qui ecclesie vel rebus eius violentiam infert, sacrilegus est et demeretur tuitionem illius, si in ea vel in rebus eius committat crimen flagitiosum; quia ut dicunt iura, frustra legis auxilium invocat qui in legem committit. Et indignum est eis ab ecclesia subveniri, per quos constat in ecclesia scandalum generari, ut habetur in Decretalibus. Qui autem incendit ecclesiam vel deicit sive frangit, ad sedem apostolicam mittitur absolvendus. Ratione vero rei committitur sacrilegium cum res sacras vel sacro usui deputatas quisquam attentaverit usurpare. Et circa hoc membrum est tripliciter distinguendum. Aut enim furatur quis sacrum de sacro, ut calicem de altari; aut sacrum de non sacro, ut calicem de domo sacerdotis; aut non sacrum de sacro, ut alia ornamenta ecclesie que sacrata non sunt. Et sic patet primum, quot sunt speties sive genera furti. Secundum vero, quot scilicet modis committitur, habebimus in sequenti cantu.

Iste itaque Vannes Fuccii commisit sacrilegium, quia furatus est thesaurum Pistoriensis ecclesie, qui erat et est beato Iacopo apostolo dedicatus. Et istud furtum fuit falso impositum aliis, quibusdam scilicet pistoriensibus qui inde fuerunt supplicio eculei valde torti.

vv. 139-144

Ideo ait ut habetur in textu:
et falsamente già fu apposto altrui.
Ma perchè di tal vista tu non godi,
se mai sarai di fuor de' luoghi bui,
apri li orecchi al mi' annuntio et odi.
Pistoia pria d'i Negri si dimagra;
po' Firenze rinuova genti et modi.

Trage Marte, idest deus belli, *vapor di val di Magra*, idest dominum Moruellum Marchionem de Malaspina, qui habitabat in Valle Macre, que contrata est in episcopatu lunensi, inter Tusciam et riperiam ianuensem.

vv. 145-151

Ch'è di torbidi nuvoli involuto. Hic vocat autor exercitum Guelforum <nubes involutas>, quemadmodum ipsorum ducem, scilicet dominum Moruellum appellavit <vaporem>, more enim fabuloso designat hic autor destructionem civitatis Pistorii, et suum infortunatum exilium, dicens et

fingens quod Mars, qui fingitur deus belli, trahit, idest trahet. Nam posuit hic presens pro futuro, quia in brevi evenit unum vaporem, idest Marchionem, qui turbidis nubibus involutus, idest cum Guelfis de Tuscia associatus, super campum Pycenum adveniet pugnaturus. Iste campus est illa planities circa Pistorium in qua iste Marchio obsedit Pistorium et finaliter expugnavit. Quod autem illam expugnationem et suum exilium attribuit Marti, hoc facit more poetico, quia poete guerras et divisiones attribuunt ipsi Marti. Est enim Mars quidam planeta qui calidus est et siccus, et ideo hominibus cum regnat valde nocivus. Ex proprietatibus enim suis homines ad bella irritat atque movet. Rutilat enim ut ignis ex vicinitate solis, quia semper est iuxta solem, igneam et fervidissimam contrahit qualitatem; unde homines ad iram et rixam accendit. Non tamen liberum potest arbitrium immutare, sed sanguinem et alios humores accendere; inde est quod ab antiquis fingitur deus belli. Dicitur autem Mars quia per viros pugnatur, quasi *mas*, idest <vir>, licet tria sint genera bellantium, scilicet Scitarum, ubi femine et viri vadunt ad pugnam: Amazonum, ubi sole femine; et Romanorum aliarumque gentium, ubi soli mares, ut ait Ysidorus, VIII libro Eth. Item *mars* dicitur quasi effector mortium, nam a *marte* <mors> nuncupatur, mutata a in o. Hunc et adulterum dicunt quia belligerantibus incertus est. Nudo autem pectore antiquitus pingebatur, ut bello se quisque sine formidine cordis obiciat, ut dicit Ysidorus eodem libro. In isto itaque tempore autor de Florentia fuit expulsus. Ideo ait sibi iste latro:
et dettol t'ò perchè doler ti debbia.

In isto XXIIII cantu sunt V comparationes, sex notabilia, et unum vaticinium.

[Comparationes]

vv. 25-27

PRIMA COMPARATIO.

Come quei c'adopra et istima,
che sempre par che 'nnanzi si provegia,
etc.

vv. 49-51

SECUNDA COMPARATIO.

Chi sanza fama sua vita consuma,
cotal vestigio in terra di sè lascia,
qual fummo in aere et in aqua la schiuma.

vv. 100-102

TERTIA COMPARATIO.

Nè O sì tosto mai nè I si scrisse
com'ei s'accese et arse, et cener tutto
convenne che cascando divenisse;

vv. 106-108

QUARTA COMPARATIO.

Così per li gran savi si confessa
che la fenice more et poi rinasce,
quand'al cinquecentesim'anno apressa;

vv. 112-114

QUINTA COMPARATIO.

Et qual è quei che cade et son sa como,

per forza di demon c'a terra 'l tira,
o d'altra oppilatione,
etc. Omnes iste comparationes sunt superius declarate.

[Notabilia]

vv. 28-30

PRIMUM NOTABILE.

Virgilio avisava un'altra schegia,
dicendo: «Sovra quella poi t'agrappa,
ma tenta pria, s'è tal ch'ella ti reggia».

In hoc notabili moraliter admonemur quod nulla rem, et spetialiter arduam et difficilem, aggrediamur sive incipiamus nisi prius tentemus si est talis in opere quod nos regat; idest quod cum ipsa possimus usque ad finem laudabilem pervenire. Nam melius est non incipere, quam a bono opere resilire. Unde Dominus in Evangelio ait: Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei.

vv. 31-33

SECUNDUM NOTABILE.

Non era via de vestito di cappa,

Istud notabile dupliciter potest exponi, scilicet naturaliter et moraliter. Naturaliter sic: Nullus homo, aliquo onere seu ostaculo impeditus, potest viam vel opus perficere quod intendit. Moraliter vero non potest homo ascendere ad virtutem, que, secundum Tullium, est circa arduum et difficile, peccatorum honere pregravatus. Unde beatus Apostolus: Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum curramus.

vv. 46-48

TERTIUM NOTABILE.

«Oma' conven che tu così ti spoltre»,
disse 'l maestro, «chè segendo in piuma,
in fama non si ven, nè sotto coltre».
Lictera plana est, et nichilominus superius explanata.

vv. 52-54

QUARTUM NOTABILE.

leva sù, vinci l'ambascia
con l'animo che vince ogni battallia
– idest cum ordinato
velle –
se col su' grave corpo non s'accascia.

Antiqui philosophi hanc differentiam inter corpus et animam posuerunt quod corpus similarunt equo, animam vero aurige; et est auriga ille qui ducit equum atque gubernat; ut quemadmodum auriga dominatur equo, ita anima debet suo corpori dominari. Unde beatus Ieronimus, Contra Iovinianum libro secundo: «Sensus vero corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes, anima vero in aurige modum retinet frena currentia. Et quomodo equi absque rectore precipites ruunt, ita corpus sine ratione et imperio anime in suum fertur interitum». Alia quoque comparatio anime et corporis secundum eundem doctorem a philosophis ponitur: corpus videlicet puerum, animam pedagogum esse dixerunt. Unde Salustius: Anime imperio corporis servitio magis utimur. Ex premissis itaque patet quod anima debet regere corpus et sibi dominari. Corpus vero debet anime in omnibus famulari, et quia continua pugna est inter ipsos, quia caro concupiscit adversus spiritum

et spiritus adversus carnem, ut ait Philosophus, ideo animus, idest voluntas, que vinci non potest nisi ipsa deiecerit semetipsam, omnia bella vincit. Ideo ait autor:
leva sù, vinci l'ambascia
con l'animo che vince ogni battallia,
se col su' grave corpo non s'accascia.

Que autem differentia sit inter animam et animum ponit Ysidorus dicens: «Anima dum vivificat corpus est anima; dum vult, est animus; dum sapit est mens; dum recte iudicat, ratio est».

vv. 76-78

QUINTUM NOTABILE.

«Altra risposta», disse, «non ti rendo
se non lo far; chè la dimanda onesta
si de' seguir con l'opera tacendo».

Hic admonemur quod iusta et honesta petitio, statim quod porrigitur, debet protinus exaudiri. Idcirco, ut petitio citius exaudiatur, admonet nos poeta dicens:
Pete quod est iustum, vel quod videatur honestum;
Nam stultum est petere quod possit iure negari.

vv. 133-135

SEXTUM NOTABILE.

«Più mi duol che tu m'ài colto
ne la miseria dove tu mi vedi,
che quando fu' dell'altra vita tolto».

Moraliter plus dolet homo, et maxime nobilis homo, sicut fuit iste qui loquitur ad autorem, quando comprehenditur in vili peccato, quam si protinus moreretur. Unde videmus quod multi fures, quando sunt in carceribus timentes suspendi, accipiunt venenum si possunt, ut illam infamiam sive verecundiam evadere queant.

[Vaticinium]

vv. 142-144

VATICINIUM.

Pistoia in pria d'i Negri si dimagra;

In civitate Pistorii surrexerunt antiquitus quedam partes, quarum una vocabatur pars Nigra, reliqua vero Alba. Dum autem esset civitas sic divisa et cives ab invicem dissentirent, pars Alborum prevaluit, unde alia fuit expulsa, scilicet pars Nigrorum; que quidem divisio multas Ytalie civitates infecit. Nam in Bononia et Florentia partes eadem surrexerunt. Unde dicitur in vaticinio:

Poi Firenze rinuova genti et modi. Quia cum prius non essent in Florentia nisi Guelfi, ipsi Guelfi in Nigros et Albos sicut Pistorienses fecerant se ipsos similiter diviserunt; propter quam divisionem Albi in Florentia succubuerunt et Nigri prevaluerunt. Et tunc Florentini una cum omnibus Guelfis de Tuscia, duce Marchione Morovello, Pistorium obsederunt et finaliter expugnarunt. In ista autem tribulatione Dantes maligno errore fortune a sua patria exulavit. Ideo sibi dicitur per istum Vannem Fuccii:
«E dettol t'ò perchè doler ti debbia».

Istud vero factum non predixit autor ante quam esset, sed more poetarum, qui ea que facta sunt ponunt in suis operibus quasi antequam fiant: simili modo fingit. Et isto modo poeta dicitur vates, idest propheta, nam vates a <vi mentis> dicitur, ut ait Varro. Non enim futura predicunt, sed ea que iam evenerunt quasi ventura confingunt. Et hoc satis patet per Ovidium in libro Faustorum, ubi sic ait:
Facta canam, serverunt qui me finxisse loquentur,
Nullaque mortali numina visa putent,
Est deus in nobis agitante calescimus illo,
Impetus hic sacre semina mentis habet.
Fas michi precipue vultus vidisse deorum,

Vel quia sum vates, vel quia sacra cano.
Et sic patet summa XXIIII cantus.

XXV

VIGESIMI QUINTI CANTUS TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXV CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXV cantu autor prosequitur quod in precedenti cantu incepit, videlicet de latronum nequitia et ipsorum transformationibus pertractare.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-3

In fine nanque superioris cantus ille latro sacrilegus qui, admodum fenicis, postquam fuit ad serpentinum tactum accensus, arsus, et in pulverem transformatus, de suo pulvere ad id quod prius fuerat est reversus, autori quedam ventura tristia predixisset, contra Deum verbis facinorosis et factis sacrilegis se erexit. Nam Deum pre nimia ira blasphemans contra suam reverendissimam maiestatem, cum duabus ficis manus sacrilegas elevavit. Et hoc est quod ait autor in principio istius cantus.
Al fine de le sue parole il ladro
le mani alzò con ambedue le fiche,
dicendo: «Togli, Dio, c'a te le squadro!»

vv. 4-12

Et tunc duo serpentes ad divinam iniuriam vindicandam in illum sacrilegum se iactarunt, [unus] ad collum et alter ad brachia. Primus nanque ad illius se collum advolvens tanquam si diceret: «Nolo quod plus dicas», sibi loquendi officium interdixit. Alter vero illi brachia sic ligavit quod non solum contra Deum illa elevare non poterat, sed nec ipsa movere valebat. Quod videns autor, dicit quod ab illa hora citra serpentes sibi amici fuerunt, et contra civitatem Pistoriensem, que tales facinorosos producit, exclamans poetico more ait:
Hai, Pistoia, Pistoia, chè non stanzi
d'incenerarti, sì che più non duri,
poi che 'n mal far lo seme tuo avanzi?

Hay est nota dolentis et nota etiam imprecantis. Dolet itaque hic autor quod creatura contra suum erigat creatorem, et imprecatur destructionem civitati Pistoriensi, eo quod cives suos dum non punit, in malo fovet et nutrit. Quod autem ipsos peccantes non puniat, patet per istum Vannem Fuccii, qui in vita sua fuit rixosus, brigosus, sacrilegus, et blasphemus, et nunquam fuit a suis civibus emendatus vel correctus. Quod enim rixosus atque brigosus fuerit patet in superiori cantu, ibi:
Io lo vidi huom di sangue et di corucci.

Quod fuerit latro sacrilegus patet in eodem cantu, ibi:

io fu'

ladro a la sagrestia de' belli arredi,

Et si ipsum vellet aliquis excusare quod sua peccata nota non erant, hoc ipsemet innuit esse falsum, dicens:
et falsamente già fu apposto altrui.

Quia ne ipse puniretur, illud peccatum alteri impositum falso fuit. Quod autem fuerit blasphemus, patet in isto cantu, hic:
Al fine de le sue parole il ladro
le mani alzò con ambedue le fiche,
dicendo: «Tolli, Dio, c'a te le squadro!»

– idest ad te recte iacio vel transmitto –. Nam cum squadra omnia diriguntur, et ab illo instrumento quod squadra vocatur descendit istud vocabulum tuscum *squadro*.

vv. 13-33

Collectis vero omnibus peccatis istis latronis ac insimul adunatis, adiungit autor de sua nequitia, sic concludens: Per omnes circulos obscuros inferni non vidi ego contra Deum spiritum sic superbum, non certe illum qui de muris cecidit apud Thebas. Hiis autem sic poetice hucusque narratis, dicit autor quod ille latro in gula et brachiis serpentinis vinculatus aufugit. Et ecce unus Centaurus rabie plenus, illum insequens, clamando dicebat: «Ubi est, ubi est ille acerbus?» Et habebat tot et tantas bestias omnis generis serpentini super groppam usque ad renes humanos, quod Marittima tot non habet. Inter ista autem genera serpentina que Centaurus ille gestabat erat unus draco, qui cuicunque obviabat ipsum suo hanelitu incendebat. Quem Centaurum cum vidisset, Virgilius ait Danti: «Ille – subaudi Centaurus – est Cachus, qui sub saxo montis Aventini de sanguine multotiens fecit lacum. Non vadit cum suis fratribus per unum iter propter furtum quod fraudulenter fecit de magno armento, idest grege, quem habuit iuxta se. Unde, idest propter quod furtum, cessarunt opera sua stulta, quia illud furtum fuit ultimum quod commisit; sub clava scilicet Herculis, qui cum ipsa clava dicto Chacho percussiones sive ictus forsitan dedit centum, licet non senserit forte decem.

vv. 34-75

Intantum vero quod ista verba Virgilius dirigebat ad Dantem, ille Centaurus Cachus scilicet transcucurrit. Et ecce, ait autor, venerunt tres spiritus subter nos de quibus nec ego nec dux meus advertit nisi quando clamarunt: «Qui estis vos?» Unde nostra fuit sermocinatio tunc finita, et ad illos postea nostrum direximus intellectum. Ego vero non cognoscebam illos, sed secutum est sicut per aliquem casum aliquando sequi solet, quod unus unum alium nominavit, dicendo: «Cianfa ubi remanserit?» Qua propter, ad hoc ut dux staret intentus, posui michi digitum a mento usque ad nasum. Et dirigens ad nos ea que circa istos vidit, ait: Si tu es modo, lector, lentus ad credendum quicquid dixero, quia ego qui illud vidi vix consentio michi ipsi, cum enim ego tenebam oculos elevatos in ipsos, ecce unus serpens cum sex pedibus se iactavit, et unum ex illis tribus ex parte anteriori amplectens illum universaliter colligavit. Nam cum pedibus mediis ventrem, cum anterioribus brachia, et cum posterioribus tybias illi vinxit. Postea ipsum dentibus in utraque gena momordit, et caudam per tibias ambas mittens, ipsam per renes extendit. Et facit hic autor tres comparationes, ut istius miserabilem transformationem melius videre possimus. Prima est ista: Hedera, inquit, nunquam in aliqua arbore fuit taliter radicata sicut horribilis illa fera per aliena membra suis artubus vitichiavit, idest colligavit, vel vinculavit. Secunda comparatio est ista: Sicut enim due cere diversorum colorum, puta una est rubea alia vero viridis, si calide sint, faciliter commiscentur et unus color perditur propter alium, quia post commixturam nec est viridis nec rubea illa cera, sic illi duo dum sibi invicem adheserunt, naturam serpentinam et humanam ita insimul miscuerunt, quod non videbatur unus nec alius id quod erat. Tertia comparatio est ista: Quando inceditur una carta de papiro, ante quam perfecte ardeat, unus color brunus precedit in papiro ardorem, qui quidem color brunus non est adhuc niger, et albus incipit iam emori. Istis enim tribus similitudinibus sive modis isti duo, serpentes scilicet et spiritus, sibi invicem adheserunt et se invicem miscuerunt. Alii vero duo qui erant socii istius miseri transformati ipsum respiciebant, et quilibet ipsorum respiciendo dicebat: «Heu Agnelle, quomodo transformaris. Vide quod iam non es nec duo nec unus». Modum autem istius transformationis ponit autor dicens: Iam duo capita effecta erant unum quando apparuerunt due figure mixte in una facie in qua erant duo perditi vel dannati. Brachia vero facta sunt ex quatuor litiis, idest ex duobus brachiis humanis et pedibus anterioribus serpentinis. Tibie autem, crura, venter et totum corpus facta sunt membra mortalibus oculis nunquam visa. Et hoc quia ex duabus diversis materiis sive formis, serpentina scilicet et humana, est composita una forma.

vv. 76-151

Ideo sequitur in textu: Omnis pristinus aspectus erat protinus ibi cassus. Nam illa perversa ymago – subaudi taliter transformata – nec due nec una aliqualiter videbatur; et taliter transformata inde cum lento passu recessit. Narrata transformatione istius, ad unam aliam fortiorem et difficiliorem autor intendit, dicens: Sicut ramarrus, idest rogus, sub ferventi radio solis diebus, scilicet canicularibus, quando ab una sepe ad aliam fulguris more currit, ita veniebat versus alios duos unus serpens parvus, calidus, lividus, et sicut granum piperis totus niger. Et in illa parte unde primitus nostrum summitur alimentum, unum illorum duorum dente pupugit venenato. Postea ante illum totus cecidit resupinus. Vulneratus autem serpentem respexit, sed nichil dixit, immo sicut homo febre arreptus firmis pedibus oscitabat. Ille serpentem, et serpens illum respiciebat, unus per plagam et alter per os fortiter fumabant, et uterque fumus sibi invicem obviabant. Taceat Lucanus admodo ubi tangit de misero Sabello et Nassidio, et attendat ad ea que modo dicentur. Taceat etiam de Cadmo et Arethusa Ovidius; quia si illum in serpentem poetando convertit, nullam invidiam illi

porto. Quia duas naturas nunquam ita membris similibus transmutarunt quod ambe forme ad cambiendum suas materias essent prompte. Illi vero duo, serpens scilicet qui iacebat et spiritus qui rectus stabat, se taliter transformarunt. Nam serpens caudam suam per medium in duo divisit, et ille serpens vulneratus pedes crura et tybias fortiter ita strinxit quod nulla iunctura ibi breviter apparebat. Et sic membra inferiora in caudam vipeream sunt conversa. E contra autem cauda serpentis, que solet expavescere intuentes, in duo divisa, in pedes humanos crura et tibias transformantur. Pellis autem sua, illius scilicet serpentis qui in naturam hominis vertebatur, efficiebatur mollis, et illius spiritus, qui vertebatur in serpentem, e contrario efficiebatur dura. Brachia vero humana per ascellas sive humeros interius se traxerunt. Et duo pedes fere – subaudi anteriores – quia erant curti, tantum se elongaverunt quantum sunt illius brachia decurtata. Postea pedes posteriores fere simul torti evenerunt membrum hominis quod celatur, et miser de suo membro protulit duos pedes. Et intantum quod fumus unum et reliquum novo colore velat, idest vestit, quia ille qui fuerat homo effectus est serpens, et ille qui fuerat serpens effectus est homo; et intantum quod ille fumus generat super novum colorem unius pilos et aliam e contra depilat, unus surrexit, serpens, scilicet factus homo, et alius cecidit, homo scilicet factus serpens; non tamen revolvendo vel removendo lucernas impias propter hoc, sub quibus quilibet ora mutabat. Nam ille qui erat erectus versus tympora os retraxit, et propter nimiam materiam que illuc venit aures de genibus crudeliter exiverunt. De ista etiam materia facta sunt humana labia atque nasus. Ille vero qui iacebat in antea os producit et aures retrahit intra caput, sicut cornua facit limax. Et lingua que prius ad loquendum unita fuerat atque prompta, finditur sicut lingua serpentis, que dicitur bifurcata. Et illa que primitus fuerat bifurcata unitur, et tunc fumus, finita transformatione, finitur. Facta transformatione ista mirabili, dicit autor quod illa anima que facta erat fera fugit sibilando per vallem, et alius post ipsum fugiens loquendo spuit. Postea illi fere que ipsum precedebat spatulas novas volvit, et conversus ad illum qui ex tribus sociis transformatus non fuerat ait: «Ego volo quod Buosus currat sicut feci ego pronus per istum callem». Et isto modo vidi ego septimam bulgiam mutari et transmutari, et hic novitas me excuset si aliquantulum penna seu calamus meus fallit. Et licet oculi mei aliquantulum essent confusi et animus alteratus, non potuerunt illi fugere tantum clausi quin ego bene cognoverim Puccium Sciancatum. Et iste fuit ille qui solus de tribus sociis qui simul venerant non fuerat transformatus. Alius autem qui de fera – subaudi erat in hominem sic conversus – erat ille quem tu, Gaville, ploras. Ideo ait in textu:
l'altr'era que' che tu, Gaville, piagni.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Al fine de le sue parole il ladro, etc.

In his duobus cantibus, precedenti videlicet et presenti, autor de latronum transformationibus et ipsorum nequitiis poetizat. Sed quia in precedenti cantu de transformationibus et peccato latrocinii visum est, nunc in presenti de modis ipsius latrocinii videamus. Peccatum nanque latrocinii tribus modis committi videtur, sicut ex tribus specificatis transformationibus videtur innuere nobis autor. Primo enim modo committitur latrocinium sive furtum per habitum: sunt enim quidam ita ad latrocinium habituati, quod a cogitatione furandi et opere nunquam vel raro recedunt; immo semper ad furtum corde et cogitatione intendunt, et quicquid oculis viderint, furto rapere concupiscunt; et si possibilitas adsit, sua desideria statim implent. Audivi enim ego de quodam magno viro qui dupliciter erat magnus, quia natione nobilis et dignitate prelatus; quod cum a quodam clerico familiari amico suo redargueretur quod tantus homo suam nationem et prelationem latrocinio macularet, respondit: «Ego re vera sub tali constellatione fui genitus sive natus, quod per unum diem stare non possum quin aliquid furer. Et illa die qua aliquid furari nequeo, non quiesco, manus meas tanta prurigine corrodente». Isti nanque tales omnibus sensibus interioribus et exterioribus ad furta labuntur. In cuius figuram composuit iste autor tertiam transformationem illius, scilicet cuius universa membra humana in serpentina transformata fuerunt. Secundo modo committitur furtum per impulsum, cum quando scilicet aliquis, necessitate cogente vel aliquo placibile impellente, labitur ad furandum. Et isto itaque modo secunda transformatio sive mutatio facta est, in qua ille Agnellus a serpente totus ligatus et vinculatus in illa tali mixtura, qua se ad invicem miscuerunt, nec serpens videbatur nec homo. Et iste secundus modus furandi, qui scilicet perpetratur vel necessitate cogente vel aliquo placibile impellente, postquam in hominem venerit, videtur ei tenaciter adherere; sicut exemplum ponitur hic de hedera que tam tenaciter adheret arboribus et virgultis. Tertio modo committitur furtum a casu, cum quando aliquis invenit aliquid et tunc allectus invento, cogitat utrum rapiat vel dimittat; et si mala concupiscentia conculcaverit rationem, ad rapiendum manus extendit. Sed statim eos sequitur penitudo, et maxime si aliqua sacra rapiunt vel furantur, conscientia remordente; et isto modo figuraliter ostendendo componit autor primam transformationem, ponens exemplum de illo sacrilego Pistoriensi qui ad tactum serpentis fuit in cinerem sic redactus et ad statum pristinum mox reversus. Et quantum et qualiter inter speties furti sacrilegium Deum offendat, patet per ficas quas iste sacrilegus Deo fecit. Nam sacra violare vel rapere est proprie Deo iniuriam irrogare.

vv. 4-6

Da indi in qua mi fur le serpi amiche,
perc'una li s'avolse allor al collo,
come dicesse <I' non vo' che più diche>.
Lictera plana est usque ibi: *poi che 'n mal far lo seme tuo avanzi?*

vv. 13-15

Per tutt'i cerchi de lo 'nferno scuri,
non vidi spirto in Dio tanto superbo,
non quel che cadde a Thebe giù da' muri.

Iste qui de muris cecidit Thebanorum fuit unus gygas nomine Capaneus, contemptor deorum, unus scilicet ex septem regibus qui obsederunt Thebas, de cuius superba arrogantia et celesti vindicta habetur supra cantu XIIII, circulo VII, girone tertio.

vv. 16-18

El si fuggì che non parlò più verbo;
et vidi un centauro pien di rabbia,
venir gridando: «Ov'è ov'è l'acerbo?»

ste centaurus rabie plenus fuit quidam latro nomine Cachus, qui ideo centaurus dicitur quia humanam libertatem, more centaurorum, cum equo in illis ubi nunc Roma est partibus infestabat: sed quia non aperte, sicut faciebant centauri, sed occulte, ut faciunt fures, aliena vastabat, ideo ponitur inter fures. Qui a longe sentiens illum sacrilegum divinam excellentiam blasphemare, cum uno dracone et serpentum multitudine infinita ad illum puniendum celeriter festinabat dicens: «Ubi est ille acerbus?» Vocabat autem ipsum acerbum quia sua pena ipsum non poterat maturare, more illorum fructuum, qui nunquam in arbore maturantur.

vv. 19-21

Maremma non cred'io che tante n'abia,
quante bisce elli avea su per la groppa
in fin dove comincia nostra labia.

Dicit hic autor quod non credit quod in tota Maritima, que est una contrata marina plena serpentibus et reptilibus venenosis, inter Pisas posita atque Romam, sit tanta multitudo reptilium vel serpentum quantam ille centaurus habebat super groppam – subaudi equinam – usque ad renes humanos.

vv. 22-24

Sovra le spalle, dietro da la coppa,
Coppa est posterior pars capitis, que in gramatica dicitur <occiput>, sicut anterior dicitur <sinciput>.
con l'ale aperte li giacea un draco;
et quelli affuoca qualunque s'intoppa.

Intoppa, idest <obviat>. Lictera plana est. Draco est reptile serpentinum, tamen maior cunctorum animantium super terram atque serpentum. Hunc Greci Dracontam vocant; unde derivatum est in latinum ut draco dicatur; qui sepe a speluncis extractus fertur in aerem, et concitatur aer propter eum. Vim autem [non] in dentibus sed in cauda dicitur possidere, et verbere potius quam ictu nocet; quia si quem ligaverit occidit, a quo nec elephas tutus est sui corporis magnitudine. Nam circa semitas dilatescens per quas elephantes soliti sunt transire, crura ipsorum nodis ligat ac perimit suffocatos. Gignitur autem in Ethiopia et India, et in ipso incendio viget estas.

vv. 25-27

Lo mi' maestro disse: «Quelli è Kaco,
che sotto 'l sasso di monte Aventino,

di sangue fece spesse volte laco».

Hunc centaurum serpentibus oneratum Virgilius [dicit] esse Kacum, qui sub illo saxo qui nunc mons dicitur Aventinus multis vicibus de humano sanguine fecit lacum. Cuius Kaci hystoriam Ovidius in primo libro Faustorum et Virgilius VIII Eneydorum fabulose componunt, quam etiam Boetius quarto libro De Consolatione in laudem Herculis introducit. Fabula talis est: In illa nanque parte urbis que hodie mons dicitur Aventinus, fuit antiquitus quidam latro nomine Kacus, qui dicebatur fabulose centaurus, quia habebat effigiem monstruosam. Virgilius: «Semihominis Kaci facies». Erat enim homo monstruosus in facie et totam contratam latrociniis ferro et igne vastabat. Et dicebatur filius fuisse Vulcani; unde dicunt quod ignem ore vomebat. Ovidius:

Kacus Aventine timor atque infamia silve,
Non leve finitimis hospitibusque malum,
Dura viro facies, vires pro corpore corpus,
Grande pater monstri mulciber huius erat.

Et Virgilius:

Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros

Ore vomens ignes.

Hic itaque latro in illa parte urbis que est unus ex septem montibus qui sunt infra muros, qui quidem mons dictus est postea Aventinus, a quodam rege Latinorum in illo monte mortuo et sepulto, qui fuit XIII rex qui vocabatur Silvius Aventinus, speluncam horridam habitabat; in qua ea que furabatur cum suis satellitibus devorabat. Transeuntes autem et finitimos spolians, ipsos crudeli morte necabat, et ipsorum capita atque membra sue spelunce postibus appendebat. Unde Virgilius:

semperque recenti
cede tepebat humus, foribusque affixa superbis
ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Et Ovidius:

Proque domo longis spelunca recessibus ingens,

Abdita, vix ipsis invenienda feris

Ora super postes, affixaque brachia pendent,

Squalidaque humanis ossibus albet humus.

His itaque Kachus sceleribus assuetus, accidit ut Hercules de regno Yspaniarum cum multis armentis victo Gerione rediret. Et cum in partibus ubi nunc Roma est, supra Tiberim sua castra locasset, ibique certis diebus pausasset, Kacus quatuor magnos thauros totidemque iuvencas de ipsius Herculis stabulis est furatus; quos quidem boves per caudas traxit in antrum, ne viderentur vestigia sui furti. Virgilius:

Nam maximus ultor
Tergemini nece Gerionis spoliisque superbus
Alcides aderat, taurosque ac victor agebat,
Ingentes, vallemque boves amnemque tenebat.
At furis Kaci mens effera, ne quidem inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,

Quatuor a stabulis prestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante iuvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Inditiis, raptos saxo occultabat opaco.

Hercules autem sua armenta inveniens quotidie diminuta, nec ipsorum boum raptorum inveniens aliqua vestigia sive signa, cum suis armentis silvam circuit aventinam. Et ecce dum vacce Herculis per silvam vagando mugirent, ex interiori spelunce reddidit una vocem. Ad quam vocem Hercules et furta invenit, et ipsum furem flammas hore vomentem clava nodosa necavit. Ovidius VI libro Faustorum: «Et male defensus flammis et dote paterna / Kacus aventinum sanguine tinxit humum». Propter istud itaque furtum non superius cum centauris, sed hic cum latronibus est punitus.

vv. 28-30

Ideo sequitur:
Non va co' suoi fratei per un camino,
per lo furto che frodolente fece
del grand'armento ch'elli ebe a vicino;

vv. 40-45

Lictera plana est usque ibi:
che l'un nomare un altro convenette,
dicendo: «Cianfa dove fia rimaso?»
Iste Cianfa fuit quidam miles florentinus de Donatis, qui in hac vita fuit latrocinio maculatus. Lictera plana est usque ibi:
et dentro per le ren sù la ritese.

vv. 58-60

Ellera abarbacata mai non fue
ad alber sì, come l'orribil fiera
per l'altru' membra aviticchiò le sue.
Hic facit autor talem comparationem dicens quod, quemadmodum hedera adheret arboribus, ita ille serpens illi misero Agnello adhesit. Est autem hedera quedam herba, vel potius arbor, que petris vel arboribus ita inheret quod vix inde evelli potest: cuius natura est quod tantum arbores vincit et ligat, quod se ipsam cum arbore necat. Virorem etiam diu servat, et folia semper virentia habet. Umbra eius dormientibus nocet, nam frigida est. Unde index est terre frigide, secundum Ysidorum XVII Eth. Et si eius folia in pavimento spargantur aerem refrigerant. Potata ebrium efficit; unde antiquitus cum edera cultores Bachi coronabantur, ut ait Martianus. Dicitur autem hedera ab *herendo*, eo quod arboribus et petris adheret, vel dicitur ab *edo, –es, –est*, eo quod capris in escam data, lac generat et augmentat: fructus eius dicitur corimbus. Dicit itaque autor quod hedera non sic in arboribus radicatur, sicut ille serpens membris illius peccatoris inhesit. Ideo subdit:
per l'altrui membra aviticchiò le sue.
Aviticchiò, idest ligavit: et sumptum est istud vocabulum a *vite*, que se ipsam ligat lignis, arboribus et virgultis. Ideo dicitur *vitis*, eo quod vim habeat citius radicandi quam cetere arbores, ut dicit Ysidorus. Alii autem vites dictas putant, eo quod invicem se connectant et vicinis arboribus reptando religentur. Natura enim vitis est flexibilis, quia quasi quibusdam brachiis quicquid comprehenderit, mox religat atque constringit. Et ideo ista de causa hanc comparationem inducit Ovidius in libro Epistularum, inducens Oenonem scribentem Paridi dicens:
Non sic appositis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua sunt collo brachia nexa meo.

vv. 61-66

Poi s'apiccar come di calda cera. Lictera plana est usque ibi: *che non è nero ancor, e 'l bianco more*.

vv. 67-69

Li altri due riguardavan, et ciascuno
gridava: «Agnelo, o' me, come ti muti».
Iste Angelus fuit quidam [lacuna]

vv. 70-78

Già eran li due capi un divenuti. Lictera plana est usque ibi: *et tal sen gìa con lento passo*.

vv. 79-81

Come 'l ramarro sotto la gran fersa
de' dì canicular, cangiando sepe,
folgore par se la via attraversa,

Quoddam est enim animal serpentinum habens pedes quatuor ut lacerta, quod dicitur <rogus>: Romani autem vocant ipsum <racanum> et Florentini <ramarrum>; et dicitur <rogus> quasi <totus ignitus>. Cuius natura est quod diebus canicularibus, idest diebus estivis, quibus terra et aer ardere videntur, iste rogus, dum transit viam ab una sepe ad aliam, ita velociter currit, quod cursum fulguris imitari videtur. Ideo ait:
folgore par se la via attraversa,

Canicula est quedam stella magna et prefulgida que a poetis canis finigitur Orionis. Oritur autem in mense iunio, quando homines laborant nimio estu solis. De qua Martianus:
Ante thauri vestigia fulget.

vv. 82-84

sì pareva, venendo verso l'epe – idest ventres –
delli altri due un serpentello acceso,
livido et nero come gran di pepe.

Dicit hic autor quod iste serpens qui contra ventrem istorum duorum latronum sic velociter veniebat, sicut granum piperis erat niger. Sed nota quod granum piperis nusquam de sui natura invenitur esse nigrum. Est autem piper arbor in India nascens in latere montis Caucasi, cuius silvas serpentes custodiunt. Sed incole regionis, cum piper maturum fuerit, eas incendunt et serpentes igne fugantur: et sic ex flamma efficitur piper nigrum, nam natura piperis alba est. Cuius quidem diversus est fructus: nam quod immaturum est, piper longum vocatur; quod incorruptum ab igne servatur, est album; quod vero cute rugosa et horrida est, ex calore ignis procedit. Sarraceni etiam, postquam piper collectum est, ponunt illud in clibano calido et hoc faciunt duabus de causis: primo, ut diutius servetur; secundo, ne in aliis locis possit seminari et fructificare.

vv. 85-87

e 'n quella parte dove prima è preso
nostro alimento, a l'un di lor trafisse;
poi cadde giù innanzi lui disteso.

Ille locus unde primo homo accipit alimentum est umbilicus, secundum Constantinum, ex nervis, venis, et arteriis compositus; quo mediante puer in utero matris sanguinem subtilem ad sui attrahit nutrimentum, et per ipsius arterias spiritum recipit.

vv. 88-93

Lo trafitto 'l mirò, ma nulla disse. Lictera plana est usque ibi: *fummavan forte, e 'l fummo si scontrava*.

vv. 94-96

Taccia Lucano omai là dove tocca
del misero Sabello, et di Nassidio,
et attenda a udir quel c'or si scocca.

vv. 97-99

Taccia di Cadmo et d'Aretusa Ovidio; etc.

Vult hic dicere autor quod transformationes quas Lucanus ponit de Nassidio et Sabello, et ille quas ponit Ovidius de Cadmo et Aretusa, nichil quasi sunt respectu istius transformationis, qua serpens in hominem et homo in serpentem mediante fumo tam mirabiliter et subtiliter

transformantur. Sed nota ad evidentiam dicendorum, quod transformationes sive transmutationes quas facit Lucanus de Sabello et Nassidio fuerunt protinus naturales. Transformationes vero sive transmutationes quas facit Ovidius de Cadmo et Arethusa fuerunt morales; que quidem per ordinem sunt vidende.

Narrat Lucanus in nono quod postquam Pompe[i]us Magnus fuit Pharsalica acie victus a Cesare, quod Cato exercitum Pompei dispersum coadunavit in unum, et ipsum exercitum per Libiam ducens multos milites, siti, labore, et serpentum morsibus perdidit venenatis; et precipue duos, Nassidium scilicet et Sabellum, quorum uterque diverso veneno et diversa morte interiit. Nam quidam serpens parvus, qui dicitur *seps*, Sabellum in crure momordit; cuius serpentis venenum non solum carnes sed etiam ossa consumit, ut dicit beatus Isidorus. Nam quemadmodum sol nives resolvit in aquas, et calor ignis ceram liquescere facit, sic iste serpens membra omnia liquefacit. Unde Lucanus: «Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps». Percussus itaque Sabellus in crure, serpentem avellens, ipsum cum iacubo perfodit arenis. Lucanus:

Mors erat ante oculos, miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus; quem flexo dente tenacem
Avulsit, ipse manu piloque affixit arenis.

Sed mox ut venenum per ipsius membra discurrit, Sabellus cepit sanie totus flui, ita quod non solum carnes sed etiam nervi et ossa in saniem sunt conversa. Lucanus:

Quicquid homo est, aperit pestis natura prophana;
Morte patet. Manant humeri fortesque lacerti
Colla caputque fluunt, calido non otius austro
Nix resoluta cadit, nec solem cera sequetur.

Nassidius autem alius miles, qui erat oriundus de Marsia, a quodam alio serpente qui dicitur *prester* in eadem fuit arena percussus: cuius serpentis natura talis est, secundum beatum Ysidorum, quod semper ore patenti et vaporanti currit. Hoc idem ponit Lucanus: «Oraque distendens avidus fumantia prester». Et quemcunque percusserit nimia et enormi corpulentia facit inflari, ut dicit idem Ysidorus. Et dicitur prester, quia licet animam tollat, tamen corpori multum prestat dum ultra modum ipsum facit inflari. Iste igitur Nassidius, serpente percussus, statim intumuit, et totus rubeus est effectus; cuius membra omnia humanum superegressa modum in saniem et putredinem sunt conversa. Lucanus:

Nassidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit prester; illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem pereunti figura,
Miscens cuncta tumor; toto iam corpore maior
Humanumque egressa modum super omnia membra
Efflatur sanies, late tollente veneno.

Taccia di Cadmo et d'Aretusa Ovidio;

chè se quello in serpente et quella in fonte

converte poetando, i' non lo 'nvidio.

Modo dicit hic autor, quod considerata transmutatione sua, taceat Ovidius de Cadmo, quem mutavit in serpentem, et de Arethusa, quam mutavit in fontem, quia iste due mutationes nichil sunt respectu sue mutationis quam facit hic de serpente in hominem et de homine in serpentem. Mutatio Cadmi habetur quarto libro Meth., ubi ponit poetando Ovidius quod dum Cadmus per fines illiricos quasi amens propter furialia infortunia que passi fuerant filia sua Ino et sui nepotes Learcus et Milicerta, quorum primum pater suus Athamas percussit ad saxum et cum altero mater se proiecit in mare, cum sua coniuge Ermione filia Martis et Veneris erraret, ait ad coniugem suam: «Si ille serpens quem ego occidi in silva thebana, et cuius vipereos dentes seminavi per arva, ex quo semine nate sunt segetes hominum armatorum, fuit Marti, ut dicitur, consecratus, propter quam mortem contra filiam meam et nepotes meos se vindicavit tam crudeliter ira Martis, ipse precor serpens in longam porrigat alvum». Dixit, et ut serpens in longam tenditur alvum. Cum autem se videret Cadmus taliter transformari, lacrimans ad coniugem ait:

«Accede, o coniunx, accede, miserrima», dixit,
«Dumque aliquid superest de me, me tange, manumque
Accipe, dum manus est, dum non totum occupat anguis».
Ille quidem vult plura loqui, sed lingua repente
In partes est fixa duas, nec verba volenti

Sufficiunt, quotiens aliquos parat edere questus,
Sibilat; hanc illi vocem natura reliquit.

Sed quia ystoria Cadmi ignoratur a multis et in poetis sit valde obscura, ideo ipsam secundum rei veritatem per ordinem hic ponemus. In regno nanque Tyri et Sydonis regnavit antiquitus quidam excellentissimus rex, filius Libie, qui vocabatur Agenor. Hic itaque Agenor habebat, inter alios, unum filium mirabiliter bellicosum, multis scientiis eruditum, et multa providentia circunspectum, qui vocabatur Cadmus, et unam filiam mirabiliter spetiosam que dicebatur Europa, quam ut ait Ysidorus XIIII libro Eth. Iupiter rex Cretensis ab Affrica raptam Cretam advexit, et partem tertiam orbis ex eius nomine appellavit. Fuit autem Iupiter ad ipsam rapiendam in navi in qua erat depictus thaurus; ideo fingitur a poetis quod ipse in spetie thauri ipsam Europam rapuit iuxta mare. Ovidius 2° Meth.:

Ille pater rectorque deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem thauri mixtusque iuvencis
Mugit, et in teneris formosus obambulat herbis.

Et sic in forma Thauri Europam rapuisse fingitur a poetis. Quod cum pater raptam filiam audivisset, mandavit Cadmo ut ad ipsam inquirendam celeriter properaret et, nisi invenerit, reditum ad propria interdixit. Cadmus autem paternis preceptis obediens, cum nobili procerum comitiva sororem per multas provincias requisivit. Sed non valens deprehendere furta Iovis, patris iram formidans, se ipsum in exilium condemnavit. Et accedens ad Apolinem in monte Parnaso, ipsum consuluit in qua parte mundi habitare deberet. Cui Apollo mandavit quod vaccam quam errantem per campos invenerit mox sequatur; et in illa parte in qua vacca se poneret ad iacendum, conderet civitatem, ipsamque terram Boetiam nominaret, civitatem autem Thebas appellaret. Hanc ystoriam de fundatione Thebarum ponit Ovidius tertio libro Meth.:

Iamque deus posita fallacis ymagine tauri
Se confessus erat, Dicteaque rura tenebat
Cum pater ignarus Cadmo perquirere raptam
Imperat, et penam, si non invenerit addit
Exilium, facto[r] pius et sceleratus eodem.
Orbe pererrato (quis enim deprehendere posset
Furta Iovis?) profugus patriamque iramque parentis
Vitat Agenorides Phebique oracula supplex
Consulit, et que sit tellus habitanda requirit.
«Bos tibi», Phebus ait, «solis occurret in arvis,
Nullum passa iugium curvique inmunis aratri.
Hac duce, carpe vias, et qua requieverit herba,
Menia fac condas, Boetiaque illa vocato».

Beatus etiam Ysidorus, XIIII libro Eth., hoc idem asserit in hec verba: «Dum Cadmus, Agenoris filius, Europam sororem a Iove raptam ex precepto quereret genitoris nec reperiret, patris iram formidans, confirmato animo elegit exilium. Nam bovis forte comspecte secutus vestigia amplexus est sedem ubi illa recubuerat; sicque locum illum de nomine bovis Boetiam nominavit; ubi et Thebas urbem construxit, in qua olim civilia bella detonarunt, et ubi nati sunt Apollo et Hercules maior ille Thebanus. Eadem est Eonia vocata, a fonte quodam Apollini et Musis consecrato, qui in eadem Boetia est.». Hucusque Ysidorus. In fundatione autem urbis multas molestias a circunstantibus sustinuit ipse Cadmus. Ideo fingitur quod a quodam serpente Marti consecrato quidam sui socii necati fuerunt; quemquidem serpentem Cadmus postea interfecit; propter quam necem Mars, deus belli, ipsum Cadmum in serpentem, ut fingitur, transformavit. Rei autem veritas est quod Cadmus in insaniam vel desperationem versus, civitatem deseruit et in desertis habitans locis, quia consortia hominum fugit, serpens dicitur esse factus. Quod autem dicitur dentes vipereos seminasse et ex illo semine armatam segetem surrexisse, et una cum illis civitatem Thebanam construxisse, nil aliud fabula sonat nisi quod Cadmus in silvestrium hominum mentibus civiles mores et ad ordinate vivendum instruxit; et sic eos ad edificationem civitatis habuit adiutores. Ovidius, tertio libro Meth.:

Hos operis comites habuit Sidonius hospes,
Cum posuit iussam Phebeis sortibus urbem.
Iam stabant Thebe, poteras iam, Cadme, videri
Exilio felix: soceri tibi Marsque Venusque
Contigerant; huc adde genus de coniuge tanta,
Tot natas natosque et, pignora cara, nepotes,
Hos quoque iam iuvenes; sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo suppremaque funera debet.

Hoc autem dicit Ovidius, quia Cadmus, licet fuerit in iuventute felix socero filiis et nepotibus ac etiam edificatione tante nobilis civitatis, tamen in senectute vidit suorum infortunia et passus est multa adversa; propter quod in insaniam versus vel desperationem,

fingitur factus serpens. Et ideo ante mortem felix predicari non potuit. Idcirco in Sacra Scriptura precipitur: Ne laudes hominem in vita sua. Super quo verbo dicit beatus Ambrosius: «Lauda post mortem, magnifica post consumationem. Lauda navigantis felicitatem, sed cum pervenerit ad portum. Lauda ducis virtutem, sed cum perductus fuerit ad triumphum». Et sic Cadmi mutatio partim est moralis et partim naturalis. Fabula vero de mutatione Arethuse tractat idem Ovidius, libro V Meth., dicens quod in regno Archadie quidam nomine Alpheus adamavit quandam nimpham nomine Arethusam, que fugiens in Sicaniam, idest Siciliam, in fontem conversa est. Rei autem veritas, ut dicitur, ista est: In Archadia autem fuit antiquitus quedam civitas, nomine Pisa; in qua parte est quidam fluvius qui dicitur Alpheus, et quedam alia aqua que dicitur Arethusa. Iste itaque due aque per occultos meatus terre de Arcadia transeunt in Siciliam et ibi miscentur. Inde fabulose dicitur quod Alpheus insecutus est Arethusam. Unde Ovidius inducit Arethusam loquentem ad Cererem in hunc modum:

Pisa michi patria est, et ab Helide ducimus ortus,

Sicaniam peregrina colo, sed gratior omni

Hec michi terra solo est: hos nunc Arethusa penates,

Hanc habeo sedem.

Et paulo post:

Michi pervia tellus

Prebet iter, subterque ymas ablata cavernas

Hic caput attollo desuetaque sidera cerno.

Virgilius etiam, tertio Eneydorum, dicit istas aquas per subterraneas vias de Archadia in Siciliam transmeare:
Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

Et de declaratione istius fabule, quod scilicet ista duo flumina Archadie transeant per occultos meatus in Siciliam, dantur versus:
Alpheum fugiens terras Arethusa subintrat
Mixtaque Sicaniam flumina graia rigant.

Adductis igitur autor istis quatuor transformationibus in exemplum, dicit quod nunquam due nature – subaudi diverse – ita facie ad faciem, idest quod unum membrum ita in aliud convertatur, transformate fuerunt – per Ovidium, subintellige, vel Lucanum.

vv. 100-102

Ideo sequitur:
chè due nature mai a fronte a fronte,
non trasmutò, sì c'amendue le forme
a cangiar lor materia fosser pronte.

His itaque prelibatis, ad transformationem singulorum membrorum, hominis scilicet et serpentis, accedit.

vv. 103-105

Insieme si risposer a tai norme,
che 'l serpente la coda in forca fesse,
e 'l feruto ristrinse insieme l'orme.

Hic incipit istorum transformatio. Et incipit ab inferioribus, dicens quod serpens caudam in duo divisit; et iste due partes converse sunt in duos pedes, et in duo crura, et in duas tybias humanas. Et ille latro tybias, crura, et pedes ad invicem iunxit, et ex tali coniunctione in caudam serpentinam fuerunt ista membra conversa. Ideo sequitur:

vv. 106-108

Le gambe con le cosce seco stesse
s'appiccar sì,
etc.

Dicit enim quod crura simul et tibie hominis se ad invicem adeo univerunt ad serpentinam caudam proferendam, *che 'n poco*, idest in brevi spatio temporis, *la giuntura*, idest locus unionis, nullum signum divisionis seu vestigium indicabat.

vv. 109-111

Togliea la coda fessa la figura
che si perdeva là,

Hic dicit quod cauda serpentis in duo divisa tollebat, idest accipiebat, figuram. Quam figuram? Illam certe que in homine perdebatur, quia ille homo iam amiserat figuram pedum, crurium, ac etiam tybiarum, et istam talem figuram serpens in sua cauda tollebat. *E la sua pelle si facea molle*, idest pellis istorum humanorum membrorum efficiebatur mollis; *et quella di là dura*, hoc est pellis caude efficiebatur dura, quia durior est pellis serpentis quam pellis humana. Immo, quod plus est, nullum animal habet ita duram pellem sicut habent serpentes: exemplum serpentis quem invenerunt Romani in Affrica, de quo narrat Titus Livius De Primo Bello Punico; et Valerius libro primo, capitulo de miraculis, quod tempore Marchi Reguli quidam serpens tante magnitudinis in Affrica est repertus, quod totum romanum exercitum in dicta Affrica commorantem a fluminis accessu arceret. Et quod mirabile est, plus dictus serpens romana castra infestabat quam tota potentia Cartaginensium militum robustorum. Cum quo serpente cum pluries Romani pugnarent, ipsum nec lanceis nec sagittis perforare aliquatenus valuerunt. Tandem cum saxis et magnis lapidibus ipsius dorsum frangentes, de tanta peste victoriam habuerunt. Cruor autem ipsius ita fluvium infecit quod coacti sunt Romani inde sua castra movere. Corium autem eius sale conditum Romam ob miraculi magnitudinem transmiserunt. Fuit vero longitudo dicti corii centum viginti cubitorum.

vv. 112-114

I' vidi entrar le braccia per l'ascelle, Hic ponit quod brachia hominis per ascellas interius se traxerunt.
e' due piè de la fiera, ch'eran corti,
tant'allungar quant'accorciavan quelle.

Hic ponit quod sicut ille homo brachia retraxit, ita serpens de duobus pedibus anterioribus duo brachia humana produxit.

vv. 115-123

Poscia li piè di dietro, insieme attorti,
diventaron lo membro che l'uom cela,

Hic ponit quod pedes posteriores serpentis insimul torti effecti sunt membrum virile, et ille miser de suo membro virili protulit duos pedes – subintellige serpentinos –. Ideo sequitur:
e 'l misero del suo n'avea due porti.
Mentre che 'l fummo l'uno et l'altro vela
di color nuovo, et genera 'l pel suso
per l'una parte, et da l'altra 'l dipela,
l'un si levò et l'altro cadde giuso,

Vult hic dicere autor quod intantum quod fumus qui exibat de ore serpentis et de plaga umbilici latronis unum et reliquum velat, idest induit novo colore, quia homo efficitur serpens et serpens homo, et super colorem unius, idest hominis, generat pilos, et super colorem alterius, idest serpentis, depilat, unus, idest serpens, surrexit, quia excepto capite iam factus erat homo; et alius, idest homo, cecidit, quia et ipse excepto capite factus erat serpens. Et dum sic unus se erexisset et alius cecidisset, unus in alium impiis oculis intendebat, et sub tali visione ille qui surrexerat os ad se traxit, et de tali materia intus tracta, aures humane, nasus et labia sunt formata. Ideo ait in textu:

vv. 124-129

Quel ch'era ritto trasse 'l muso ver le tempie,
et di troppa materia che là venne,
uscir li orecchi de le gote scempie:
ciò che non corse indietro et si ritenne,
di quel soverchio fè naso, la faccia,
et le labra ingrossò quanto convenne.

Facta mentione serpentini capitis in humanum, sequitur humani capitis in anguinum. Nam ille qui iacebat in antea os producit, et aures retrahit infra caput, sicut cornua facit limax.

vv. 130-132

Unde sequitur:
Quel che giaceva, il muso innanzi caccia,
et li orecchi ritira per la testa,
come face le corna la lumaccia;

Limax est quidam vermis, qui vulgo dicitur *lumaccia* vel *limaca*, que quando habet conculam sive testam, *chiocciula* nominatur. Et dicitur limax a *lymo*, quia de limo nascitur, ut dicit Ysidorus, XII libro Eth. Et est vermis valde tardimotus, in dorso aliquando gerens concam duram, infra quam se recludit. Et est vermis cornutus, habens duo additamenta ante os cum quibus viam querit, et quando aliquid adversi senserit, statim cornua retrahit infra testam. In corrupto autem aere et imbre maxime nascuntur, et quanvis lento passu incedant tamen summitates arborum scandunt, earum germina depascentes. Ubicunque vero serpit immunditie vestigium derelinquit.

vv. 133-135

et la lingua, c'avea unita et presta
prima a parlar, si fende, et la forcuta
ne l'altro si richiude; e 'l fummo resta.

Hic ponitur ultima istorum duorum transformatio; nam lingua hominis, que prius erat una et ad loquendum apta, scinditur et efficitur bifurcuta, et lingua serpentis, que prius erat bifurcuta, recluditur, unitur, et ad loquendum apta efficitur. Sed quia istorum amborum transformatio mediante fumo facta est, ideo, transformatione finita, desinit ille fumus.

vv. 136-138

Ideo sequitur:
e 'l fummo resta.
L'anima ch'era fiera divenuta,
sufolando si fuggì per la valle
et l'altro dietr'a lui parlando sputa.

– Lictera plana est usque ibi: *I' vo' che Buoso corra*. Iste Buosus fuit unus miles de Donatis de Florentia.

vv. 145-151

Et avegna che li occhi miei confusi
fosser alquanto et l'animo smagato,
non poter quei fugirsi tanto chiusi,
ch'i' non scorgesse ben Puccio Sciancato;

Vult hic dicere autor, quod videns tales et tantos viros de sua civitate oriundos inter latrones, quod oculi sui fuerunt ex tali visione confusi et animus doloratus. Sed licet esset intus et extra taliter alteratus, non potuerunt illi fugere ita clausi, quod ipse non cognoverit Puccium Sciancati. Fuit autem Puccius etiam Florentinus, et iste solus de tribus sociis non fuerat immutatus.
l'altr'era quei che tu, Gaville, piagni.

Gaville est quoddam castrum in comitatu Florentie, cuius castri homines quendam militem Florentinum de Cavalcantibus, nomine Franciscum, interfecerunt. Qui miles fuit etiam furti caractere insignitus; et ideo hic cum aliis latronibus ponitur ab autore: cuius mortem consortes eius tam egregie vindicarunt, quod Gavillenses adhuc plorant mortem eius.

In isto XXV cantu continentur quatuor comparationes et duo notabilia.

[Comparationes]

vv. 58-60

PRIMA COMPARATIO.

Ellera abarbacata mai non fue
ad alber, sì come l'orribil fiera
per l'altru' membra aviticchiò le sue.

Lictera plana est.

vv. 61-63

SECUNDA COMPARATIO.

Poi s'appiccar, come di calda cera
fossero stati.

Etiam hic lictera plana est.

vv. 64-66

TERTIA COMPARATIO.

come procede innanzi da l'ardore,
per lo papiro suso, un color bruno
che non è nero ancora e 'l bianco more.

Lictera plana est, et nichilominus ipsa et alie sunt superius explanate.

vv. 79-84

QUARTA COMPARATIO.

Come 'l ramarro sotto la gran fersa
de' dì canicular, cangiando sepe,

folgore par se la via attraversa,
sì pareva, venendo verso l'epe.
Lictera plana est.

[Notabilia]

vv. 4-6

PRIMUM NOTABILE.

Da ind'in qua mi fur le serpi amiche,
perc'una li s'avolse allora al collo,
come dicesse: «Non vo' che più diche»;

Nichil certe in tota rerum natura est tam placibile et delectabile sicut virtus, quia non solum in se ipsa delectabilis et placibilis reperitur, unde allicit ad amandum, sed, quod maius est, ipsa facit nos diligere quos nunquam vidimus; et, quod mirabilius est, in illis quos odimus ipsa etiam nobis placet, et propter ipsam aliquando diligimus etiam inimicos. Et hoc manifeste in hoc notabili innuit nobis autor, dicens quod serpentes, quos naturaliter homo odit, quia naturaliter odium est inter hominem et serpentem, iuxta sententiam Dei qua dicitur ad serpentem, ut habetur in libro Genesis: Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius, a more illius serpentis qui se iactavit ad gulam illius qui divinam excellentiam blasphemabat. Ab illo tempore citra sibi amici fuerunt.

vv. 142-144

SECUNDUM NOTABILE.

Così vid'io la settima zavorra
mutare et transmutare; et qui mi scusi
la novità, se fior la lingua aborra.

Multotiens accidit quod multa videmus que propter sui novitatem in totum non possumus explicare. Et etiam accidit quod multa habemus in corde, que licet mente percipiamus, verbis tamen explicare nequimus. Ideo ait hic autor: *et qui mi scusi / la novità, se fior la lingua aborra*.

Et sic patet XXV cantus.

XXVI

VIGESIMISEXTI CANTUS TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXVI CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE

In isto XXVI cantu et in sequenti autor tractat de octava malabulgia, in qua collocat fraudulentos consiliarios et dolosos loquaces necnon et oratores etiam versipelles; pena quorum est quod in flammis ardentibus sunt reclusi. Incipit autem octava bulgia in isto cantu ibi: «Noi ci partimo, et su per le scalee», et finit in sequenti cantu, ibi:
Noi passam'oltre, et io e 'l duca mio
su per lo scoglio, infino 'n su l'altr'arco

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-75

Postquam autor in duobus precedentibus cantibus de fraude et dolo furium, ac etiam de eorum transformationibus prosecutus est, nunc in isto cantu et in sequenti de fraudulentis consiliariis et dolosis loquacibus ac etiam oratoribus versipellibus prosequitur in hunc modum, presentia cum precedentibus concordando: «Letare», inquit, «Florentia, postquam es ita grandis quod per terras et maria pandis alas, et per infernum tui nominis titulus dilatatur. Inter latrones enim inveni quinque tales tuos cives quod inde in mente confundor et in facie verecundor, et tu in honorem maximum non ascendis. Sed si prope auroram vera somnia somniantur, tu senties citra modicum tempus id quod Pratum, nedum alii, tibi optant. Et si iam esset ipsorum optatum desiderium adimpletum, non

esset nimium tempestivum; quod utinam iam adesset, ex quo omnino sine dubio esse debet, quia quanto magis senuero, tanto magis inde gravabor». Facta ista exclamatione contra suam civitatem, yronice iste autor ad nos dirigit verba sua, sic dicens: Nos inde recessimus – subaudi a septima malabulgia – et per illas scalas quas nobis fecerant vestigia nostra prius reascendit magister meus, me – subaudi debilem – post se trahens. Et sic viam solitariam prosequendo inter acutas silices et frusta scopoli pes sine manu non poterat expediri. Tunc dolui, et nunc similiter dolore constringor, quando dirigo mentem ad id quod vidi, et magis ingenium nunc refreno quam sim solitus refrenare, ad hoc ut non currat sine ducatu virtutis; ita quod si aliqua bona stella seu res melior tribuit michi bonum quod ego more invidi, illud datum bonum non auferam michi ipsi. Quare autem ista premiserit, subiungendo declarat dicens quod quemadmodum rusticus, quando diebus estivis in quibus sol, qui mundum clarificat sua luce, minus absconsam suam faciem nobis tenet, in aliquo podio requiescens, videt in vallibus, ubi forte areas et torcularia sua habet noctilucas infinitas; illo dum taxat, tempore quo culici musca cedit, ita tot flammis octava bulgia resplendebat, sicut perpendi statim quod fui in illa parte unde fundus – subaudi istius bulgie – videbatur. Et sicut ille qui se vindicavit cum ursis, videns currum Elye, quando equi se ipsos ad celum fortiter erexerunt, ipsum non poterat oculis tantum sequi quod videret aliud quam solam flammam, tanquam nubeculam ascendentem; tali re vera modo quelibet anima movet per istam bulgiam se metipsam, quia nulla monstrat furtum, et quelibet flamma unum in se continet peccatorem. Ego autem stabam supra pontem ad videndum totus inferius reclinatus, intantum quod si ego unum cespitem vel scopulum non cepissem, cecidissem inferius, sine spe aliqua inde protinus exeundi. Tunc dux meus qui me vidit in tanta mentis solicitudine sic intentum, ait: «Infra ignes quos cernis spiritus sunt absconsi; quilibet enim illo se igne circumdat, quo ut conspicis est incensus». Ad quem ego: «Magister, audita tua responsione, sum ego magis certificatus; sed iam michi videbatur quod ita esset, et tibi dicere iam volebam. Quis est in illo igne qui venit in suo cacumine sic divisus, quod videtur surgere de pira in qua Ethyocles cum suo germano – subaudi Polinice – fuit missus?» Et ille michi: «Interius», inquit, «ibi Ulixes et Dyomedes puniuntur, et ita vadunt insimul ad vindictam, idest ad penam, sicut ad culpam soliti erant ire. Et intra ipsorum flammam planguntur insidie illius, scilicet equi, qui fecit portam unde exivit semen nobile Romanorum. Ploratur etiam ibi intus causa propter quam Deydamia adhuc condolet de Acchille, et de Palladio pena ibi etiam irrogatur». Ad quem ego: «Magister, si infra illas scintillas isti spiritus valent loqui, te rogo et iterum rogo ut istud unum meum rogamen a te pro mille rogaminibus acceptetur, ut non facias isto desiderio me privatum, quousque flamma veniat huc cornuta; vides enim quod versus eam ex magno desiderio me inclino». Et ille michi: «Tua precamina multa laude sunt digna. Idcirco ipsa accepto, sed facias quod lingua tua aliquantulum requiescat. Permitte nanque me loqui, quia iam habeo in mente conceptum quicquid tu vis, quia forte de tua loquela dedignarentur, eo quod Greci fuerunt».

vv. 76-142

Postquam autem flamma illa cornuta ad ipsos applicuit, dicit autor quod Virgilius, captato loco et tempore, in ista forma ad illos sua verba direxit: «O vos qui estis in uno igne: si ego de vobis merui quando vixi, si de vobis dico merui modicum sive satis, quando in mundo alta carmina fabricavi, non vos moveatis, sed unus ex vobis dicat quo ad moriendum per ipsum perditum itum fuit». Tunc maius cornu illius antique flamme cepit se ipsam murmurando movere; illo namque dico murmure, quo flamma ignis fatigatur a vento. Indeque hac et illac ducendo cachumen, sicut esset lingua que loqueretur, iecit vocem foras et ait: «Quando ego recessi a Circe, que me uno anno et plus detinuit violenter, ibi prope Caetam, prius quam sic Eneas nominasset eandem, nec dulcedo filii, nec pietas senis patris, nec debitus amor qui Penolopen letificare debebat, vincere potuerunt ardorem quem habui maxime circa tria, videlicet circa mundum, circa vitia, circaque virtutes, ut ex hiis tribus certam experientiam reportarem; sed alto maris pelago me committens, solum cum uno navigio et cum illa societate modica a qua nunquam extiti derelictus, utrunque litus usque in Ispaniam et usque in Morrocco et insulam Sardorum ac etiam usque alias insulas quas illud mare in circuitu circundat aspexi. Ego autem et socii mei eramus veteres atque tardi quando venimus ad illas fauces strictas *ubi* Hercules posuit sua signa, ad hoc ne aliquis ulterius se immittat. Et ibi a manu dextera dimisi Sobiliam, a sinistra vero iam dimiseram Sectam. Et tunc sociis loquens dixi: «O fratres, qui per centum milia pericula applicuistis ad occidentem, nolite vestrorum sensuum isti tam modice vigilie que est de remanentibus experientiam denegare, post solem, mundi sine gente. Considerate id quod in vobis extitit seminatum. Non enim facti estis veluti bruta animalia ad vivendum, sed ut sequamini intelligentiam et virtutes». Cum ista itaque modica oratione sic meos comites acui ad eundum, quod non sine difficultate ipsos postea tenuissem. Et volventes matutino tempore nostram proram, de remis fecimus alas volatui temerario, semper sinistro lateri applicando, et tantum tenuimus a sinistris litora relinquentes et nos alto pelago committentes, quod de nocte videbamus illas stellas que alterum polum undique circumcingunt. Tantumque illud mare meridianum sulcavimus quod lunam vidimus extinctam suo lumine quinquies et accensam. Et tunc apparuit nobis una montana, que nigra propter sui distantiam videbatur, et visa est michi altitudinis tante fore quante meis temporibus aliquam aliam unquam vidi. Quam videntes, fuimus de nostra visione letati. Sed tam cito ipsa letitia fuit in merorem et tristitiam commutata, quia de nova terra unus turbo exivit, qui in parte anteriori percutiens nostrum lignum, ipsum tribus vicibus cum vertigine giravit

aquarum, et quarta vice ipsum in circuitu sic girando, puppim sullevando et proram inclinando, aquarum fuit voragine deglutitum. Ideo ait in textu:
«Tre volte 'l fè girar con tutte l'acque;
a la quarta levar la poppa in suso,
et la prora ire in giù, com'altrui piaque,
infin che 'l mar fu sovra noi richiuso».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Godi, Fiorenza, po' che se' sì grande,
che per mare et per terra batti l'ali,
et per l'inferno il tu' nome si spande!

Videns autor in septima malabulgia in qua de latronum nequitia pertractatur tot nobiles Florentinos qui suam nobilitatem furti macula macularunt, exclamavit tamen yronice contra patriam suam, dicens: «Letare, Florentia, postquam es ita grandis, quod per terras et maria tuas alas expandis, et etiam per infernum tui nominis titulus et gloria dilatatur». Quasi dicat: Tu, tuis vitiis et corruptionibus terras et maria inficis et corrumpis. Quod autem sit vera ista poetica exclamatio seu iusta verius exprobatio, manifeste facti evidentia comprobatur. Ipsi nanque Florentini omnes artes, omnes mercantias, omnes monetas, et quod peius est, omnes bonos mores, ubicunque habitant per universum orbem falsificant, destruunt, et corrumpunt. Sed quia pena ordinatur ad culpam, ideo consequenter dicit quod per infernum nomen Florentie dilatatur. Hoc est: universus et totus infernus Florentinis noscitur esse plenus. Quod sic in ista comedia probatur: In tertio nanque circulo inferni, ut habetur superius VI cantu, ubi de gulosis tractat, est unus Florentinus nomine vere Ciaccus, qui in lingua tusca resonat <sus> vel <porcus>. In V vero circulo, ut habetur superius octavo cantu, invenit autor inter superbos, invidos, accidiosos, et iracundos, dominum Phylippum Argenti de Adimaribus de Florentia. In VI autem circulo, ut in X cantu superius continetur, invenit inter hereticos unum cardinalem et duos milites Florentinos, videlicet dominum Attavianum de Ubaldinis, sancte Marie in via lata, diaconum cardinalem, dominum Farinatam de Ubertis, et dominum Cavalcantem de Cavalcantibus. In VII vero circulo, girone secundo, ubi sunt desperati, invenit unum Florentinum de Mozzis, nomine Rucco, qui sibi ipsi de propiis domibus fecit furcas, ut habetur supra cantu XIII. In septimo etiam circulo, girone tertio, inter sodomitas, invenit istos similiter Florentinos: Ser Brunettum, scilicet olim in philosophia magistrum suum, dominum Andream de Mozzis, episcopum Florentinum, ut habetur supra cantu XV et Guidonem Guerra, comitem in Tuscia palatinum, una cum domino Teghiaio Aldobrandi de Adimaribus, et domino Iacopo Rusticuccii, ut habetur superius cantu XVI. In septimo etiam circulo, girone tertio, inter usurarios invenit istos Florentinos: dominum Catellum, militem de Gianfigliazzis; dominum... de Ubriachis; et isti expectabant dominum Iohannem Buiamontis, egregium militem florentinum, ut habetur superius cantu XVII. In octavo vero circulo, septima malabulgia, invenit inter fures et latrones quinque milites florentinos, videlicet dominum Cianfa de Donatis, dominum Angelum de Brunelleschis, dominum Buosum de Abbatibus, dominum Puccium Sciancatum, et dominum Franciscum de Cavalcantibus. In octavo etiam circulo, malabulgia vero nona, invenit inter scismaticos unum nobilem Florentinum de Lambertis, qui vocatus fuit Mosca Lamberti, ut habetur infra cantu XVIII, et unum suum consortem, ipsius dico autoris, qui vocatus fuit Geri del Bello, ut habetur infra cantu scilicet XVIII. In octavo etiam circulo, malabulgia vero decima, inter falsatores invenit duos Florentinos maximos falsarios, videlicet Gianni Schicchi de Cavalcantibus, ut habetur infra cantu XXX, et magistrum Adamum, qui ad petitionem comitis Guidonis et sui fratris comitis Aghinolfi, falsificavit florenos aureos in Romena. In nono vero et ultimo circulo inferni, ubi sunt proditores, parte prima Cociti, que dicitur Caina, invenit duos Florentinos, Sassolum scilicet de Toschis et Ubertum dictum Camiscione de Pazzis, de valle Arni, qui expectabant Carlinum, qui erat etiam de Pazzis de valle Arni. In isto etiam ultimo circulo, parte vero secunda Cociti, que dicitur Antenora, invenit duos milites florentinos, scilicet dominum Bocca de Abbatibus et dominum Iohannem de Soldaneriis et dominum Rogerium de Ubaldinis, archiepiscopum pisanum. Et sic merito habetur in textu: *et per lo 'ferno 'l tu' nome si spande*.

vv. 7-9

Ma se press'al mattin del ver si sogna,

Postquam autor sue civitati suisque civibus exprobavit, ponit sub nomine visionis ipsi civitati futura pericula imminere, dicens:
Ma se press'al matin del ver si sogna,
tu sentirai, di qua da picciol tempo,
di quel che Prato, non c'altri, t'agogna.

Propter superbiam enim et arrogantiam Florentinorum, omnes nationes in circuitu habitantes Florentie ipsos odiunt et ipsorum destructionem affectant. Sed circa istam particulam tria breviter sunt videnda: primum, si est verum quod in aurora vera somnia somnientur; secundum, si vere evenit civitati Florentie istud vaticinium quod hic ponitur sub nomine visionis; tertium, quare in desiderio destructionis Florentie ponitur singulariter Pratum, cum omnes alie gentes in circuitu habitantes ipsi civitati Florentie uniformiter id affectant. Circa primum est sciendum quod, licet somnia pro maiori parte sint vana et falsa, que Macrobius *Super Somnio Scipionis* cum sunt falsa insomnia vocat, iuxta illud Virgilii [VI] libro Eneydorum:
«sed falsa ad celum mittunt insomnia manes»,

et pro maiori parte decipiant somniantem. Unde monet poeta: Somnia ne cures, quia solent ledere plures. Tamen illa somnia que matutinali tempore, idest in aurora, videntur, veritatem continere dicuntur, quia illo tempore, cibo et potu digesto, anima corporis gravedine non gravatur. Unde Ovidius in libro Heroum ait:

Nanque sub aurora iam dormitante Lucerna

Somnia quo cerni tempore vera solent.

Somnia vero que ante auroram videntur, quia corpus est cibo vel potu gravatum, aut animus vadens cubitum erat aliqua gravi cogitatione oppressus, non vera pro maiori parte sed falsa et vana esse probantur, ut vult Macrobius super eodem *Somnio Scipionis*. Et ad hoc potest referri quod matutinum tempus quod in Sacra Scriptura dicitur antelucanum, vel quarta vigilia noctis, est dedicatum visioni et liberationi ac etiam consolationi sanctorum, unde Exodi XIIII: In vigilia matutina respiciens Dominus super castra Egyptiorum, interfecit exercitum eorum et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Item in primo libro Regum, XI capitulo: Saul percussit Amon in vigilia matutina. Item in Evangelio Mathei, VI capitulo, continetur quod dum navis apostolica multa pericula passa fuerit tota nocte, circa quartam vigiliam noctis, idest prope auroram, venit Iesus ad Apostolos ambulans supra mare et confortans discipulos pepulit tempestatem. Circa secundum vero est sciendum quod civitas florentina, non post multum tempus, ab ista imprecatione autoris passa est civiles discordias; unde secute fuerunt ipsis Florentinis incendia, exilia, et conflictus. Circa tertium vero est sciendum quod terra Prati semper fuit a Florentinis sicut a matre filia pertractata; nam sicut filia parvula sine matre esse vel vivere non valeret, ita Pratenses sine Florentinorum auxilio, subsidio, et favore vivere, vel ab imminentibus undique periculis evadere, nunquam possent. Et tamen tanta est nequitia florentina quod non solum ipsius deiectionem alie optant gentes, sed etiam ipsum Pratum. Ideo ait: *di quel che Prato, non c'altri, t'agogna*, idest desiderat, sive optat.

Et se già fosse, non saria per tempo. Quasi dicat: Tantum invalescit Florentinorum nequitia, quod si iam puniretur, non esset nimium tempestive. Quod utinam iam istud tempestivum adesset, ex quo quin omnino eveniat cessare non potest. Et hoc quare vellem? Non utique ex odio vel vindicta, sed quia quanto plus ista sententia differetur, tanto plus efficiatur senex; et quanto plus senuero tanto plus cognoscam; et quanto plus cognovero tanto plus ex inde contristabor.

vv. 13-18

Noi ci partimo, et su per le scalee
che n'aven fatt'i borni a scender pria,
etc.

Lictera plana est usque ibi: «lo pie sanza la man non si spedia».

vv. 19-24

Allor mi dolsi, et ora mi ridoglio
quando drizzo la mente a ciò ch'i' vidi,

et piu lo 'ngegno affreno ch'i' non sollio,

Tractaturus autor de dolosis actibus qui ab ingeniis subtilibus oriuntur, propter que ipsorum autores tam atroci tormento in ista octava bulgia puniuntur, sibi et ipsis condolet admirando: ipsis quia consideravit et vidit quod tam magni principes et famosi, sicut fuerunt Ulixes et Dyomedes et Guido comes de Montefeltro, propter subtilia ipsorum ingenia in dolosos actus et dolosa consilia inciderunt: sibi vero, quia formidavit ne suum ingenium, quod erat inter mortales tam splendidum et subtile, ad omnia humana et divina opera investiganda, ac etiam exercenda, in similia laberetur. Ideo sequitur:

et più lo 'ngegno affreno che non soglio,
perchè non corra che virtù nol guidi,
sì che, se stella bona o millior cosa
m'à dato 'l ben, ch'i' stesso nol m'invidi.

Quasi dicat: Considerata pena istorum, pavore perterritus, magis refreno meum ingenium quam sim solitus refrenare; et quod sit illud frenum quo debeat ingenium refrenari declarat cum ait: «perchè non corra, che virtù nol guidi». Quasi dicat: Virtus est frenum quo debet ingenium regi, duci, ac etiam refrenari; et hoc ne, sicut equus lascivus sine sessore et freno, in precipitium dilabatur. Nam sine virtute, que secundum Ysidorum est animi habitus nature, decus vite, ratio morum, pietas, cultus divinitatis, honor hominis, et eterne beatitudinis meritum, cuius sunt partes quatuor principales, que secundum eundem Ysidorum signantur per quatuor flumina paradisi: prudentia scilicet, fortitudo, iustitia, et temperantia, omnia dona et omnia data que habemus sive a natura sive a Deo, vel vacuantur in nobis vel ipsa operamur in malis. Ideo ait: «sì che se stella bona o miglior cosa», idest Deus, «m'à dato 'l ben, ch'i' stesso nol m'invidi»; idest illud tale bonum michi datum a natura vel Deo, non auferam michi ipsi, more invidi, qui de aliena felicitate tristatur.

vv. 25-30

Quale 'l villan c'al pogio si riposa,
nel tempo che colui che 'l mondo schiara
la faccia sua a noi tien meno ascosa;
come la mosca cede a la zanzara,
vede lucciole giù per la vallea,
forse colà dov'e' vendemmia et ara:

Volens autor istam octavam bulgiam nobis exemplariter demonstrare, inducit duas comparationes, quarum unam accipit a natura et reliquam a Scriptura. Prima est ista: Tempore – nanque estivo – illo scilicet tempore quo vel quando sol suam faciem minus nobis tenet absconsam, hoc est quando dies maiores sunt, dum rusticus de sero, quando culici musca cedit, in podio residens sive monte, videt in vallibus, ubi forte habet vineas vel alia loca culta, illa volatilia parva que vulgo *lucciule*, gramatice vero *nocti luce* appellantur, ex quibus volatilibus valles undique sunt replete – ita vidit istam octavam bulgiam flammis ardentibus sic repletam. Secunda comparatio ista est: Legitur enim in libro Regum quod dum Deus vellet Elyam in celum per turbinem elevare, quod ipse Elyas, una cum Elyseo discipulo suo, ad Iordanem fluvium devenerunt; ibique Elyas pallium suum involvens, cum ipso Iordanis fluenta percussit, et statim facta est via sicca per medium aque Iordanis; sicque transeuntes per siccum in loca deserta venerunt. Et tunc ait Elyas ad Heliseum: «Ecce dominus vocat me. Postula a me quod vis ut faciam tibi, ante quam tollar a te». Cui Elyseus: «Obsecro ut remaneat spiritus tuus duplex in me». Ad quem Elyas: «Rem», inquit, «difficilem postulasti. Tamen si videris me quando tollar a te, erit tibi quod petisti; alioquin non erit». Cumque per desertum sic pergerent colloquendo, ecce currus igneus quem ducebant equi ignei tanquam fulgur de celo descendens, utrunque divisit. Et tunc Elyas ascendit super currum, et sic angelorum ministerio ferebatur in celum. Elyseus autem respiciebat in altum; et cum Elyas elongaretur ab ipso, et Elyseus nil aliud quam flammam videre valeret, clamabat ad ipsum: «Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius», idest substentator populi atque rector. Tunc Elyas deiecit ei pallium suum; quod Elyseus adsummens, scidit vestimenta sua. Et hoc fecit, secundum magistrum ystoriarum, vel pro dolore quem habuit de recessu magistri sui, vel ut deinceps non suo sed pallio uteretur Elye. Et rediens ad Iordanem, percussit aquas pallio Elie, et non sunt divise aque; quod ideo non sunt divise quia, ut dicunt sancti, de sua sanctitate presummens, experiri voluit si spiritus Elie duplex requievisset in eo. Sed videns aquas non fuisse divisas, ad humilitatem recurrens, iterum aquas clamando percussit. «Ubi», inquit, «est Deus Elye etiam nunc?» Et tunc divise sunt aque, siccoque pede transivit. Quod videntes, filii prophetarum qui erant in ripa Iordanis dixerunt: «Requievit spiritus Elye super Elyseum», et occurrentes adoraverunt eum. Cumque discederet a Iordane et ascenderet in Bethel, et ecce XLII pueri illudebant ei dicentes: «Ascende, calve». Qui maledixit eis in nomine Domini, idest per nomen Domini, vel invocato nomine Domini. Ad cuius vocem egressi sunt duo ursi de saltu, idest de silva, qui devoraverunt eos.

Vult itaque dicere autor quod, sicut tempore estivo, quando musca cedit culici, valles noctilucis plene sunt, ita est ista octava bulgia plena flammis. Et sicut Elyseus, qui se vindicavit cum ursis quando suus magister in curru igneo portabatur in celum, non videbat ipsum magistrum, sed solummodo flammam currus, ita ipse in ista bulgia animam aliquam non videbat, sed solummodo

flammas quibus erant anime sic velate: *come la mosca cede*, idest dat locum, *a la zanzara*, idest culici, *vede lucciole*, idest noctilucas. Noctiluca enim est modica bestiola multipes et alata, in tenebris lucet ut candela, et maxime ex parte posteriori; manus tangentis inficit, et lucem odit, quamvis in tenebris luceat. Que quidem ex corruptione spicarum frumenti dicitur generari; et vulgo *lucciola* dicitur, quasi <parva lux>; latine vero *noctiluca*, quia nocte lucet. Culex vero est musca modica, ex resolutione vaporis putridi generata, que ex continua alarum in aere replicatione strepitum generat. Dicitur autem culex ab *aculeo*, eo quod sanguinem sugit. Habet enim in ore quandam fistulam admodum stimuli, qua carnem terebrat ut sanguinem bibat, sicut dicit Ysidorus, et reputatur inter volatilia sicut apis. Musca autem ex cadaveribus et exalationibus generatur. Sed nota quod sex sunt genera minutorum animalium que vel ex cadaveribus vel ex humoribus nasci solent; quedam enim ex exalationibus prodiuntur, ut bibiones ex vino, et papiliones ex aqua; quedam ex corruptione humorum, ut vermes in puteis et cisternis; quedam ex cadaveribus, ut apes ex iuvencis et scrabrones ex equis. Unde Ovidius XV libro Meth.: «Pressus humo bellator equus scrabronis origo». Quedam ex corruptione lignorum, ut terodones; quedam ex corruptione herbarum, ut brucus; quedam vero ex corruptione fructuum, ut gurguliones ex fabis.

vv. 40-42

tal si move ciascuna per la gola
del foco, chè nessuna mostra 'l furto,
et ogni fiamma un peccator invola.

Dicit hic autor quod quelibet flamma infra se unum continet peccatorem, et nulla ostendit furtum, idest nulla flamma demonstrat id quod continet intra se. Sed hic oritur questio, quomodo scilicet anima possit in flammis comburi et non consumi. Huic autem questioni respondit beatus Augustinus in libro De Civitate Dei, ostendens per quinque exempla quod anima potest in igne comburi et non consumi. Et primo exemplo vermium, dicens: nonnullum genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperitur, quarum fervorem nemo impune contractat. Illi autem non solum ibi sunt sine ulla lesione, sed extra non possunt vivere. Secundo exemplo montium Sicilie dicens: Notissimi montes Sicilie qui tanta temporis vetustate usque nunc flammis estuant et integri perseverant, satis ydonei testes sunt non omne quod ardet consumi. Tertio exemplo carbonum, qui ignis operatione sic fiunt incorruptibiles, ut in terra humida suffossi, dum essent ligna putrescerent, modo facti carbones corrumpi non possunt. Quarto exemplo pavonum; quis, inquit, nisi Deus dedit carni pavonis mortui non putrescere? Et narrat ibi, quod dum semel hec avis cocta sibi fuisset oblata, de pectore eius usque ad annum servari mandavit, et nullam lesionem incurrit, nisi quod aliquantulum corpulentie siccioris et contractionis fuit. Quinto exemplo salamandre dicens, sicut dixerunt qui de naturis animalium curiosius indagarunt: salamandra in ignibus vivit, de cuius etiam pellibus fiunt corigie pretiose que, dum sunt vetustate consumte, si proiciantur in ignem ex veteribus fiunt nove. Patet ergo per ista exempla que posuit Augustinus quod non omne quod ardet consumitur in ardore.

Io stava sovra 'l ponte a veder surto. *Surto*, idest supra foveam in ponte suspensus, manibus innissus, sicut navis in portu vel mari iactis ancoris stat innixa; que, nisi essent anchore, a ventis seu fluctibus iactaretur. Simili modo, nisi autor uni scopulo pontis fortiter adhesisset, in foveam cecidisset, dato quod aliquis ipsum minime impulisset. Ideo sequitur:

vv. 43-45

sì che s'i' non avesse un ronchion preso,
caduto sarei giù sanz'esser urto.

Urto est vocabulum Alamannorum, et tantum sonat quantum <impulsus> vel <percussus> sive <proiectus>. Deinde sequitur:

vv. 46-54

E 'l duca, che mi vide tanto atteso. Lictera plana est usque ibi:
et già voleva dirti:
chi è 'n quel foco che vien sì diviso
di sopra, che par surger de la pira
ove Ethiocle col fratel fu miso?

Cum autor ad considerationem istius octave bulgie totus esset intentus, vidit quandam flammam que in suo culmine non unita, sicut alie, sed divisa et quasi bifurcata singulariter incedebat. Unde admirans ait ad Virgilium: «Quis est in illo igne qui venit superius sic divisus, quod videtur

surgere de pira in qua Ethyocles cum suo germano insimul fuit missus?» Pira vero proprie dicebatur illud obsequium quod corporibus fiebat antiquis. Mos enim antiquorum erat defunctorum corpora igne cremare, et illud tale obsequium <pira> dicebatur, a *pyr* quod est <ignis>. Et quanto erat maior et nobilior ille qui cremabatur, tanto eius pira maior et solennior parabatur. Et quantum flamma nobilium ascendebat in altum, tantum eius sepultura fabricabatur in conum, ut ipsius pyre altitudinem demonstraret; sicut adhuc in sepulcris apparet usque hodie fundatorum alme urbis Romuli atque Remi. Isto itaque modo thebanorum regum corpora, Ethyoclis scilicet et Polinicis, cremata fuerunt; quorum pyra in suo apice divisa fuisse scribitur a poetis. Ad quorum omnium evidentiam, est sciendum quod in regno thebano fuit quidam rex nomine Edippus, qui ab infernalibus furiis agitatus, patrem suum Layum ignoranter, ut dicitur, interfecit, matrem suam Iocastam incestavit, et ex ea duos filios Ethioclem et Polinicem generavit. Qui tandem dolore et confusione confossus, sibi ipsi oculos extirpavit et in gremium illius que erat mater et uxor iracunde proiecit. Cum vero in tenebris sua furiosa fata ploraret, filii non ut patrem et senem eundem venerabantur, sed ipsum tanquam monstrum aliquod infernale iniuriosis verbis et factis detestabilibus abhorrebant. Unde ipse Thesiphonem invocans, ipsam lacrimosis precibus exoravit ut inter suos filios talem discordiam seminaret, quod ipsi se ambos occiderent et regnum deficeret Thebanorum. Cuius preces illa furia infernalis exaudiens, tantam inter fratres discordiam seminavit, quod inter se annua imperia taliter diviserunt, quod uno ipsorum regnante alter a regno voluntarie exularet.

Cum ergo talibus pactis ordinatis atque sancitis, Ethyocles regni gubernacula suscepisset, Polinices ex condicto exulavit a regno. Cum autem sic exul a patria per Greciam vagaretur, ad regnum devenit mitis Adrasti. Iste autem Adrastus mascula prole carens duas filias pulcherrimas possidebat. Cui Apollo deus suus obscura prophetia predixit, quod ipse duos erat generos habiturus setigerum, scilicet suem et fulvum coma leonem. Policines igitur dum regnum intraret Adrasti, contigit ipsam civitatem intrare de sero, et non inveniens hospitium, ad curiam regis accessit. Et subter cameram regis intrans, que omnibus transeuntibus liberum et apertum prebebat ingressum, se posuit ad pausandum. Et ecce de regno Calydonie Tydeus fugiens, quia fratrem suum occiderat, coopertus pelle aprina, ipsa eadem nocte dictam logiam subintravit. Cum autem sic ambo in dicta logia convenissent, accidit ut de loco dormiendi ab invicem dissentirent. Qua propter cum ad iniuriosa verba et tandem ad feda vulnera devenissent, rex Adrastus eorum clamoribus excitatus ipsos vocari mandavit, et videns Polinicem pelle leonina et Tydeum pelle aprina vestitum, intellexit oracula dei sui. Unde ipsos interrogans qui essent, unde venissent, et ad quid preliati fuissent, audita ipsorum regali progenie et quare quilibet ipsorum a sua patria exularet, ipsos benigne recepit et suas filias Deiphylem et Argiam ipsis tradidit in uxores. Cum vero annus dominationis Ethioclis completus fuisset, quo sceptra regni ad manus Polinicis redire debebant, Ethyocles ipsa fratri protinus denegavit. Qua de re indignatus Adrastus, Grecorum regum auxilia convocavit et civitatem thebanam septem regalibus exercitibus circundedit. In qua obsidione postquam Amphyoraus fuit absortus a terra, Capaneus fulminatus a Iove, Ipomedon submersus in fluvio, Tydeus occisus a Menalippo, et Parthonopeus occisus in campo, et de septem regibus non nisi duo remansissent, Policenes videlicet et Adrastus, placuit finaliter tam obsidentibus quam obsessis ut illi duo germani, propter quos erat orta discordia et propter quam discordiam tot reges et populi erant mortui, singulari duello bellare deberent. Unde isti duo, Policenes et Ethyocles, furiali face accensi, ad invicem dimicarunt et se ipsos mutuis vulneribus occiderunt. Cum autem ipsorum corpora posita in una pira fuissent, statim flamma in suo apice est divisa, innuens atque monstrans divisionem que in ipsorum pectoribus vivendo regnarat.

Hanc autem hystoriam eleganter describit Statius, poeta nobilis tholosanus, in libro qui dicitur Thebaydos, in cuius principio promittit devenire ad hunc finem: qualiter scilicet flamme in morte istorum divise fuerunt, et qualiter urbs thebana cum aliis adiacentibus propter istorum mortem vacuate fuerunt. Statius:

Intendo fraternas acies flammasque rebelles
Seditione rogi, tumulisque carentia regum,
funera et egestas alternis mortibus urbes.

Exemplificat igitur autor et dicit quod, quemadmodum flamma sepulcralis duorum regum Thebanorum divisa fuit in duo, ita ista flamma de qua hic loquitur divisa in duo similiter veniebat. Ideo ait Virgilio: «Quis est in illo foco qui in sui summitate venit ita divisus, quod videtur surgere de pyra in qua Etyocles cum suo fratre Polinice fuit missus?» Cui Virgilius respondit:

vv. 55-57

«Là entro si martira
Ulixe et Diomede, et così 'nseme
a la vendetta corron com'a l'ira»;

Isti enim duo qui sunt in hac flamma coniuncti, unus fuit Ulixes et alter Dyomedes, ambo reges et principes Arginorum, qui in hoc mundo summa prudentia, ingenio, facundia, et astutia viguerunt; sed ipsis virtutibus usi semper in malo et dolo fuerunt. Unde sicut in fallaciis atque dolis in hac vita coniuncti fuerunt, ita in inferno, ubi puniuntur, insimul coniunguntur. Quod autem in vita in omnibus

agendis fuerint copulati, demonstrat ipse Ulixes in oratione quam fecit contra Aiacem pro armis Achillis. In qua oratione, sicut scribit Ovidius, XIII libro Meth., consedentibus ducibus et vulgi stante corona, inter alia de societate Diomedis sic ait ipse Ulixes:
At sua Titides mecum communicat acta,
Me probat et socio semper confidit Ulixe.

Fuerunt enim isti duo in omnibus rebus coniuncti, et maxime in quinque, sine quibus troiana civitas capi non poterat a Pelasgis. Fatatum nanque fuerat Grecis quod Troyam nunquam possent obsidione vel prelio obtinere, nisi ista quinque que sequuntur solicite procurarent: Primum, ut Achilles, Pellei filius atque Thetis, quem mater occulte celaverat, veniret ad Troyam cum Hectore pugnaturus. Secundum, ut de templo Palladis quod erat in arce troiana Palladium asportarent. Tertium, ut sagittas Herculis cum quibus centaurus et alia monstra devicerat, que quidem sagitte cum ipso Hercule erant sepulte, et cuius sepulcrum nullus sciebat nisi filius ipsius Herculis, qui a suo patre habuerat in mandatis ut nunquam suum corpus alicui revelaret, Greci secum in obsidione haberent. Quartum, ut de pulvere corporis Laumedontis, regis Troye, quod erat sepultum supra portam troyanam, que dicebatur Cea, habere studerent. Quintum, ut equos Resi regis a pabulo terre troyane et ab aquatione Xanti fluvii removerent, quia de eis fatatum fuerat quod si pabula Troye gustarent et in fluvio Xanto potarent, nunquam Greci de Troianis victoriam habere valerent. Ulixes autem et Dyomedes ipsorum doloso ingenio et Acchillem invenerunt, et Palladium abstulerunt, et sagittas Herculis effoderunt, et de pulvere sepulcri Laumedontis habuerunt, et equos Resi a pabulo terre troiane et a potatione Xanti prohibuerunt. Hanc autem ultimam ystoriam primo libro Eneydorum dicit Virgilius Eneam in templo Iunonis aput Cartaginem vidisse depictam, dicens:
Nec procul Resi niveis temptoria velis
Agnoscit lacrimans, primo que prodita somno
Tydides multa vastabat cede cruentus,
Ardentesque avertit equos castraque prius quam
pabula gustassent Troye, Xanctumque bibissent.

vv. 58-60

et dentro da la lor fiamma si geme
l'aguato del caval che fè la porta
ond'uscì de' Romani il gentil seme.

Postquam autor posuit in generali dolosa istorum duorum regum ingenia, propter que in flammis ardentibus sunt reclusi, nunc ad particulares dolositates ipsorum et fallacias se convertit. Et ponit maxime tria ipsorum dolosa ingenia: Primum fuit ille equus ligneus qui fecit portam de qua exivit semen nobile Romanorum; quia per fracturam Troyanorum murorum, que facta fuit ut ille dolosus equus introduceretur in arcem, exivit Eneas, qui hic Romanorum semen nobile appellatur, de quo equo et de quibus insidiis require infra, malabulgia decima, cantu XXX, in ystoria scilicet Synonis. Sed antequam ad alia procedamus, videamus utrum verum sit quod Eneas fuerit semen unde orti sunt Romani. Et videtur quod non. Nam ante adventum Enee in Ytaliam, in illis montibus ubi postea fuit Roma, multe habitationes fuerunt, sicut per multos veridicos patet autores. In uno enim illorum septem montium quos Roma nunc uno muro circumdat habitavit Ianus, primus rex Ytalie; in quo monte fecit quandam civitatem parvam, quam a suo nomine Ianniculum appellavit; qui quidem mons postea usque in hodiernum diem Ianniculus appellatur. Et ista est prima habitatio que facta fuit in illis partibus ubi nunc Roma est. De qua edificatione ait Macrobius in libro De Saturnalibus: regionem istam que nunc vocatur Ytalia, regno Ianus obtinuit, et Ianniculum oppidum vocitavit; qui Ianus geminam dicitur faciem habuisse, ut que ante et que post tergum essent intueretur. Quod procul dubio ad prudentiam regis et solertiam referendum est, eo quod et preterita nosset et futura prospiceret. Regnante itaque in Ytalia Iano, Saturnus rex cretensis, expulsus a filio suo Iove, in navi onusta frumento applicuit ad litora que hodie Romanorum litora appellantur. Quem Ianus benigne recepit hospitio; et ut ait idem Macrobius, Saturnus docuit ipsum Ianum peritiam ruris. Propter quod beneficium ipsum Saturnum Ianus in regni consortem excepit, monetamque ob reverentiam Saturni signavit. Nam ex una parte monete erat navis ipsius Saturni, et ex alia caput Iani. Hic igitur Saturnus, postquam docuit Ianum terram serere, vineas plantare, et homines civiliter habitare, in uno monte quandam parvam civitatem edificavit quam a suo nomine Saturnium, et quia securus ibi latuit locum Latium appellavit, eo quod tutus ab armis filii latuisset in eo. Unde Ytalia aliquando dicitur Saturnia, aliquando Latium; ante cuius Saturni adventum homines bestialiter ut fere vivebant. Mortuo vero Iano, Saturnus solus regnavit in Latio, idest in Ytalia. Post quem destructis Ianniculo et Saturnio, regnavit Faunus, qui pro deo Lucorum et Nemorium est postea ab Ytalicis consecratus. Post Faunum vero regnavit Picus, quem Circe filia solis potentibus herbis mutavit in pycum. Post Picum autem regnavit Latinus, pater Lavinie. Huius autem Latini temporibus Evander rex Archadie fataliter a regno suo depulsus, cum matre sua Carmente, que licteras latinas invenit, ut superius dictum est, et cum filio suo Pallante, ad partes ubi nunc Roma est, fato devenit. Et in uno illorum septem montium quandam civitatem parvam fecit, quam a nomine filii sui Pallanteum denominavit, ipsis duabus civitatibus a Iano et Saturno constructis primitus iam destructis; qui quidem mons semper postea mons Palatinus dictus est. In alio vero monte, ex opposito Palatini qui nunc dicitur Palatinus, habitabat tunc temporis latro Cachus, quem finitimas

regiones et gentes igne ferroque vastantem, Hercules interfecit. Hiis autem temporibus Eneas, filius Anchisis, a Troia discedens, postquam fuit diu ob iram seve Iunonis per mare iactatus, ad istum Evandrum in monte applicuit Palatino. Cui Evander ostendit loca et montes ubi nunc Roma est, ut octavo Eneydorum scribit Virgilius in hunc modum:
Tunc rex Evander Romane conditor arcis:

– ait ad Eneam –

«Hec nemora indigene Fauni Nimpheque tenebant

Gensque virum truncis et duro robore nata,

Quibus neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros,

Sed rami atque asper victu venatus alebat.

Primus ab ethereo venit Saturnus Olimpo,

Arma Iovis fugiens et regnis exul ademptis.

Is genus indocile ac dispersum montibus altis

Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari

Maluit; his quoniam latuisset tutus in horis.

Aurea que perhibent illo sub rege fuere

Secula: sic placida populos in pace regebat,

Deterior donec paulatim ac decolor etas

Et belli rabies et amor successit habendi».

Post hec ait:

Me pulsum patria pelagique extrema sequentem,

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum

Hiis posuere locis, matrisque egere tremenda,

Carmentis Nimphe monita et deus autor Apollo.

Hinc ad Tarpeam sedem et Capitolia ducit,

Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.

Post hec ostendit Evander Enee civitateculas Iani et Saturni iam dirutas et destructas, dicens:
Hec duo preterea disiectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem;
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Eneas autem, postquam applicuit ad Evandrum contra Latinum et Turnum, quia ipsum de Ytalia pellere festinabant, bella movit. Quibus bellis victoriose sedatis, Laviniam in uxorem accepit, et quandam civitatem ipsius Latini que adhuc superest, in melius restaurans, a nomine uxoris Lavinium appellavit. Mortuo vero Enea, Ascanius filius eius ex uxore Creusa, nolens cum noverca in Lavinio habitare, ab ea discessit et in monte Albano condidit Magnam Albam. Lavinia vero, mortuo viro suo, Enea gravida remansit, que casu in silva filium parturivit. Hic dictus est Silvius postumus; Silvius quia natus in silvis, postumus vero, quia post mortem patris natus est. Hunc Silvium postumum Ascanius, frater eius ex patre, regni reliquit heredem adhuc parvulo filio suo Iulio vivente, a quo Iuliorum familia et originem traxit et nomen. Post Silvium postumum regnavit Silvius Latinus. Post Silvium Latinum regnavit Silvius Eneas. Post Silvium Eneam regnavit Silvius Alba. Post Silvium Albam regnavit Silvius Athis. Post Silvium Athim regnavit Silvius Capis. Post Silvium Capim regnavit Silvius Carpentus. Post Silvium Carpentum regnavit Silvius Tiberinus, a quo fluvius Romanorum dictus est Tiberis, qui prius Albula dicebatur. Post Silvium Tiberinum regnavit Silvius Agrippa. Post Silvium Agrippam regnavit Silvius Aremulus. Post Silvium Aremulum regnavit Silvius Aventinus, a quo unus ex septem montibus urbis dicitur Aventinus. Post Silvium Aventinum regnavit Silvius Procas. Post Silvium Procam regnaverunt duo germani, Munitor et Amulius. Sed Amulius fratrem suum Munitorem vinculavit, Lausum, filium eius, trucidavit, et Yliam virginem vestalem effecit. Ylia vero a Marte corrupta duos filios Remum et Romulum parturivit; qui facti adulti Amulum interfecerunt, Amum de carcere extraxerunt, et Romam in monte Palatino fundaverunt.

Queritur ergo, cum multe habitationes ante quam Roma esset in illis partibus facte sint, quare potius vocatur Eneas semen Romanorum quam alii reges superius nominati? Respondeo, salvo meliori iudicio, licet Ianus et Saturnus per longum tempus ante adventum Enee in illis partibus ubi postea Roma facta est habitaverint, et habitationes ibi fecerint superius nominatas, tamen illo tempore quo Romulus urbem fundavit nulla vestigia illarum edificationum protinus ibi erant. Nec ad compositionem urbis aliquis de stirpe Iani vel Saturni cum Romulo fuit. Progenies autem Evandri, idest gens Archadie, una cum Romulo urbem Romanam edificavit, et proprie in illo loco et monte ubi prius ipse Evander Pallanteum edificavit, et in quo Eneam suscepit hospitio. Et ista est causa quare Evander, rex Archadie, Romane arcis conditor appellatur, iuxta illud Virgilii:
Tunc pater Evander Romane conditor arcis.

Eneas itaque, cum de semine suo nati sint Romulus atque Remus, qui fuerunt principia Romanorum, dicitur hic ab autore fuisse semen ex quo nati sunt Romani. Et ideo Salustius bene ait: Urbem Romam, sicuti ego accepi, condiderunt Troyani et cum hiis aborigines, ides Archades, qui prius ibi habitaverant. Iustinianus etiam imperator dicit in legibus quod quemadmodum omnes imperatores romani a primo Cesare Cesares appellantur, ita ab Enea omnes possent et deberent imperatores Eneades non immerito appellari. Quod autem Romulus ipsam fundaverit et suo nomine appellaverit, nullus ambigit. Unde Valerius, libro quinto, capitulo de ingratis: Urbis nostre parentem, senatus in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus in curia, laceravit. Nec duxit nephas civitam adimere qui eternum romano imperio spiritum ingeneraverat. Et sic patet de primo doloso istorum duorum regum ingenio, quo operante facta fuit in Troya illa porta unde exivit semen nobile Romanorum. Nam Eneas fuit semen ex quo ortum est regnum Albanorum et imperium Romanorum. Et hoc est quod Virgilius ait primo libro Eneydorum, ubi loquitur de Enea:
Genus unde Latinum
Albanique patres atque alte menie Rome.

Et duodecimo:

Hinc pater Eneas Romane stirpis origo.

Et iuxta Ascanius, magne spes altera Rome.

Propter quod dicitur in textu:

et dentro da la lor fiamma si geme

l'aguato del caval che fè la porta

ond'uscì dei Romani il gentil seme.

vv. 61-63

Secundum vero dolosum ingenium propter quod isti damnantur tangitur ibi:
Piangevis'entro l'arte per che, morta,
Dyademia ancor si duol d'Achille,

Propter dolosa enim istorum duorum regum ingenia, fuit separatus Achilles a Dyademia, propter quam separationem ipsa Dyademia mortua adhuc condolet de Achille. Nam antiquorum opinio fuit quod amores, et maxime immaturi, descendant cum ipsis amatoribus in infernum. Unde narrat Titus Livius, Ab Urbe Condita, libro primo, quod cum quidam Romanus quendam Albanum militem cui soror sua fuerat desponsata in prelio occidisset, et ipsius occisi Albani paludamentum quod confecerat sponsa sua in humeris suis ob victoriam reportaret, per portam Capenam intrans in urbem sororem obviam habuit ... Que cognito paludamento sponsi... oblita gloriosa victoria fratris crines solvit, et voces querulas et lacrimosa suspiria pro morte sponsi amarissime fundere cepit. Quod cum frater advertit, stricto gladio in ipsam ruens ipsamque perimens ait: «Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum tuum. Sic eat quicunque romanum lugebit hostem». Dyademia itaque cum amore immaturo descenderit ad inferna, adhuc dolet de Achille. Cuius historia breviter ista est: Achilles enim, filius Pellei et Thetis, statim quod annos pueriles exivit, traditus fuit Chironi magistro militum Thesalie, ut artem addisceret militandi. Unde dicitur supra, cantu XII, ibi:
Et quel di mezzo, c'al petto si mira,
è il gran Chirone, il qual nudrì Acchille:

Illo autem tempore quo a Chirone nutriebatur Acchilles, Paris filius Priami, regis Troye, Helenam reginam Grecorum rapuit et raptam in patriam asportavit. Sed dum Thetis, mater Achillis, per artem magicam in qua plurimum docta erat, et in qua arte antique mulieres spetialiter nobiles insudabant, cognovisset quod per raptum Helene Troia debebat cum detrimento sui filii concremari, ivit ad Chironem ut filium absconderet a Pelasgis. Et cum pervenisset ad Chironem, ecce Achilles venatu rediens duos leuncolos gestabat in ulnis, quorum matrem prius interfecerat cum sagiptis. Qui ut matrem vidit, proiectis leunculis, sue genitricis irruit in amplexus. Mater autem, celebrato magno gaudio cum Acchille, duxit in partem Chironem dixitque ei: «Ego video per artem meam multa pericula isti meo filio imminere. Unde proposui in mente mea ipsum ad partes longinquas quantotius transportare». Et, sero veniente, dedit regina filio et omnibus sociis eius poculum opiatum. Media vero nocte vocato solo Chirone accepit filium dormientem et ipsum ad mare portantes in naviculam posuerunt. Mater autem, dimisso in terra Chirone filium, ad quandam insulam que vocatur Schiro transfretando portavit. In hac itaque insula regnabat quidam rex, nomine Licomedes, qui erat valde senex, vel, ut alii dicunt, dicebatur Lahertes, forte erat binominis, qui mascula prole carens tres filias pulcerrimas possidebat, quarum maior vocabatur Dyademia. Cum autem Thetis ad istam insulam pervenisset, in quodam templo filium collocavit, et expergefactus Acchilles tanta ipsum admiratio mox invasit, non videns Chironem magistrum necque socios predilectos, quod matrem cognoscere vix valebat. In isto vero templo regina filium induit muliebribus indumentis et ipsum tanquam filiam feminam regi studuit commendare, ut cum filiabus suis tanquam femina aleretur.

Cum autem in ista insula sic esset Acchilles absconsus, Greci cum mille navibus in insulam Aulidem contra Troyam congregati fuerunt. Et factis sacrificiis diis ipsorum, habuerunt ab ipsis oraculis in responsum quod nisi Acchilles, Pellei filius atque Thetis, una cum ipsis Grecis, veniret ad Troyam, nunquam de fortissimo Hectore forent victoriam habituri. Tunc Greci sine mora pro Acchille solennes nuntios in Thesaliam destinarunt. Sed cum necque in domo patris, necque cum suo magistro Chirone fuisset inventus, ad persuasionem Prothesilai Calcas invocato demone, dixit ipsum Achillem in insulam Schiro a matre fuisse absconsum. Qua propter isti duo reges, Dyomedes scilicet et Ulixes, ad ipsum inquirendum cum multis muliebribus ornamentis ac etiam militaribus sunt profecti. Achilles autem, dum sic in habitu puellari inter regis filias versaretur, amore ipsius Dyademie ardescens, cum ipsa violenter concubuit et ex ea filium habuit nomine Pyrrum; qui post mortem patris ad obsidionem Troyanam accessit, et in vindictam dicti sui patris, Polixenam, filiam regis Priami, supra tumulum ipsius Achillis crudeliter immolavit. De qua immolatione habes supra, cantu XII. Venientes vero Ulixes et Dyomedes ad regem Lahertem seu potius Lichomedem, oratores Grecorum se esse dixerunt. Rex autem ipsos benigne recepit, et facto eis solenne convivio, fecit venire coram ipsis filias cum Acchille, coram quibus astutus Ulixes fecit expandi omnia genera ornamentorum muliebrium, ut unaqueque caperet id quod vellet. Et ex una parte fecit poni arma militaria, mirabiliter adornata. Ille autem puelle acceperunt muliebria ornamenta. Sed Achilles, ut vidit arma, virilem animum intra vestimenta feminea continere non potuit; sed ad arma manus extendens, fuit cognitus ab Ulixe. Ibique illico, depositis femineis vestimentis, virum se esse asseruit, et arma suscipiens, cum istis duobus regibus ad Grecorum exercitum festinavit. Dyademia vero, se videns suo amore privatam, se ipsam, ut dicitur, interfecit. Et ista est secunda causa quare isti duo, Dyomedes scilicet et Ulixes, in ista bulgia collocantur.

Tertium vero ipsorum dolosum ingenium tangitur ibi:
et del Palladio pena vi si porta.

Ystoria Palladii ista est: Ylus enim rex Troye in ipsa Troya quandam arcem edificavit, quam Ylium, sive Ylion, a suo nomine appellavit. In ipsa autem arce magnum et venerabile templum Palladi dedicavit. Quo templo completo, quoddam celeste signum de celis in ipsum templum dicitur advenisse. Nam quedam ymago lignea, que cuius generis ligni foret nunquam potuit humana mortalium industria reperire, de celo veniens post altare parieti se affixit; que quidem celestis ymago Palladium dicebatur. De quo Palladio quidam augur et vates Troyanorum cui nomen Menetes consultus, tale fertur ipsis Troyanis dedisse responsum: «Servate, o Troiani, diligenti custodia quod vobis de celestibus est transmissum. Quia quousque istud Palladium procurabitis custodire, nunquam civitas ista ab aliquibus hostibus capi poterit vel comburi». Qua propter, istud Palladium fuit semper ab ipsis Troyanis sacra religione servatum et diligenti custodia custoditum. Sed tempore quo Grecorum exercitus civitatem ipsam Troyanam potenter obsedit, decimo anno obsidionis eiusdem Ulixes astutus et furtis assuetus, auxilio Anthenoris Troyani secreto Troiam de nocte intravit, et sacerdoti in cuius singulari custodia erat ipsum Palladium assignatum, magno auri pondere elargito, ipsius Palladii effigiem consentiente dicto Anthenore sacrilego dolo cepit, et ad Grecorum exercitum transportavit. De hoc Palladio, quo modo venerit de celo et quomodo consultus sacerdos responderit, ait Ovidius in VI libro Faustorum:

Menia Dardanides nuper nova fecerat Ylus;
Ylus adhuc Asie dives habebat opes;
Creditur armifere signum celeste Minerve,
Urbis in Yliace desiluisse iugo.
Consulitur Menetes, lucoque obscurus in illo,
Is non mentito reddidit ore sonos.
<Ethereum servate deam, servabitis urbem,
Imperium secum transferet illa loci>.
Servat, et inclusam summa tenet Ylus in arce,
Curaque ad heredem Laumedonta venit,
Sub Priamo servata parum.

Servata parum dicit sub Priamo, quia suo tempore Ulixes ipsam Minerve effigiem est furatus.

vv. 64-69

«S'e' posson dentro da quelle faville
parlar,» diss'io, «maestro, assai ten prego
et riprego, che 'l prego vaglia mille,
che non mi facci dell'attender nego
fin che la fiamma cornuta qua vegna;
vedi che del disio ver lei mi piego!»

Verba sunt Dantis ad Virgilium in quibus ipsum rogat ut si illi duo principes, Dyomedes videlicet et Ulixes, possunt in illis flammis loqui, quod sibi concedat ut illos audiat colloquentes.

vv. 70-75

Cui Virgilius ait:
«La tua preghiera è degna
di molta loda, et io però l'accetto;
ma fa che la tua lingua si sostegna.

Lictera plana est.

Lascia parlar a me ch'i' ò concetto

ciò che tu vuoi»;

Hic ostenditur in verbis Virgilii quod homo sapiens suo subtili ingenio corda penetrat aliorum, dum ex signis que foris apparent considerat ea que interius sunt sepulta. Nam sicut ex fumo manifestatur ignis, licet non videatur, ita ex quibusdam signis manifestatur cor, quod quidem videri non potest. Ideo Philosophus dicit quod voces sunt note earum que sunt in anima passionum. Et quia Dantes ostendit per signa extrinseca magnum desiderium loquendi cum illis, ideo Virgilius statim fuit ymaginatus quid petere vellet illis. Ideo ait:
Lascia parlar a me, ch'i' ò concetto
ciò che tu vuoi;

Et causam propter quam non vult ut ipse Dantes loquatur cum illis assignat, dicens: *ch'ei sarebbero schivi*, idest quia forte dedignarentur loqui tecum quia fuerunt Greci, et tu ignoras protinus linguam grecam. Tante enim autoritatis fuit antiquitus lingua greca, et spetialiter ante Romam, quod Greci nolebant respondere nisi loquentibus ipsam linguam. Quam maiestatem secuti postea sunt Romani. Nam subiugato universo, orbe terrarum statuerunt ipsi Romani ut nullus ambaxiator seu alia que vis persona in ipsorum consilio sive cetu nisi ytalice loqueretur. Et nichilominus semper fuit lingua greca aput Italicos in honorem. Nam omnes quasi libros latinos ipsi autores latini grecis titulis titularunt, ut patet per Virgilium, qui omnibus suis operibus grecos titulos assignavit, sicut librum de pastorali regimine intitulavit Bucholicam, librum de agricultura Georgicam, et librum de preliis Eneiden nominavit. Similiter Ovidius librum de transformationibus Methamorphoseos appellavit, et librum de regibus et consulibus Faustos nominavit. Divine etiam Pagine libri grecis nominibus adornantur, ut Bibliotheca, Penthasis, Evangelium, et Apocalipsis.

vv. 76-84

Poi che la fiamma fu venuta quivi
ove parve al mi' duca tempo et loco,
in questa forma lui parlar audivi:
«O voi che siete due dentr'ad un foco,
s'i' meritai di voi, mentre ch'i' vissi,
s'i' meritai di voi assai o poco
quando nel mondo li alti versi scrissi,
non vi movete; ma l'un di voi dica,
dove per lui perduto a morir gissi».

Verba sunt Virgilii ad illos duos Grecos qui in illa flamma insimul cremabantur. In quibus quidem verbis duo breviter facit ipse Virgilius: primo captat eorum benivolentiam dicens: «O vos qui estis duo in uno igne, si ego dum viverem merui de vobis sive multum sive parum quando in mundo altos versus scripsi». Altos versus vocat librum Eneydorum, in quo libro multa ponit de Dyomede et Ulixe, multa dico scilicet mala et bona. Ideo ait: «s'i' meritai di voi assai o poco». Dum dicit *assai* tangit bona; dum dicit *poco* tangit mala. Secundo petit certificari de uno dubio, videlicet de morte ipsius Ulixis. «Non vi movete, ma l'un di voi dica», – idest Ulixes, – «dica ove per lui perduto a morir gissi». Nam mors Ulixis nunquam clare sciri potuit. Tunc maius cornu illius antique flamme quasi murmurando se movit, illo scilicet motu quo flamma movetur a vento. Et de acumine illius flamme sic mote, tanquam de lingua, intonuit ista vox: «Quando / mi diparti' da Circe, che sottrasse / me più d'un anno là presso a Gaeta», etc. usque ad finem istius cantus. In qua quidem responsione quinque notabiles ystorie continentur. Prima tangitur ibi: «mi diparti' da Circe che sottrasse / me più d'un anno là presso a Gaeta». Ubi continetur quod Ulixes stetit cum Circe per unum annum et ultra. Quam ystoriam XIIII libro Meth. Ovidius fabulose componit, et quarto libro De Consolatione in exemplum Boetius introducit. Est autem ista ystoria: Ulixes enim dum post

bellum troyanum per mare, propter sacrilegium quod commiserat Palladium de templo Palladis auferendo, diutius vagaretur, tandem in Ytaliam, que tunc temporis Magna Grecia vocabatur, tempestatibus est iactatus, et ad quandam devenit insulam que in mari Campanie sita est inter Caietam et Hostia tyberina. In ista autem insula manebat quedam dea nomine Circe, filia solis, que per potiones et carmina suos hospites in diversas bestias transmutabat. Socios etiam ipsius Ulixis, quos ipse ad ipsam Circem premiserat, per tales potiones et carmina transmutavit. Mercurius vero, deus prudentie, ipsius miseratus florem album donavit eidem, et quomodo potionem veneficam vitaret instruxit. Quamvis autem isti sic quantum ad figuram corporis mutarentur, tamen, ut ait Ovidius et Boetius, mens humana integre remanebat in eis, exclusa omni sevitia bestiali; et istud est quod resonant verba sociorum Ulixis quando Eneam instruxerunt ne ad litora Circea aliqualiter propinquaret, dicens, ut XIIII Meth. scribit Ovidius:
Nos quidem Ulixes Circea ad menia misit,
Que simul attigimus primoque in limine tecti,
Mille lupi mixtique lupis ursique leeque
Occursu fecere metum, sed nulla timenda,
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus,
Quin etiam blandas movere per aera caudas
Nostraque adulantes comitant vestigia,
etc.

Hec licet Ovidius inter fabulas suas ponit, et Boetius in exemplum adducat, non tamen totum creditur fabulosum, quin immo est ibi aliquid verum et aliquid fictum. Verum fuit istud quod ista Circe, secundum ystoricam veritatem, fuit quedam maga famosissima, ut patet per beatum Ysidorum, qui arte magica, in qua plurimum docta erat, homines in bestias transmutabat. Fuit enim maga et sacerdos demonum, ut XIIII libro Eth. scribit idem Ysidorus. Fictum vero est istud: Fingitur enim dea propter scientiam magice artis et potentiam operandi per eam: Item fingitur fuisse filia solis propter miram pulcritudinem qua pollebat; nam adeo fuit pulcra quod se respicientes protinus dementabat. Item quia Ulixes per suam prudentiam potiones ipsius precavit, ideo fingitur florem album et instructionem a Mercurio accepisse. Unde Ovidius, ut supra:
Pacifer huic dederat florem Cillenius album:
Mholy vocant superi, nigra radice tenetur;
Tutus eo monitisque simul celestibus intrat,
Ille domum Circes et ad insidiosa vocatus
Pocula conantem virga mulcere capillos
Repulit et stricto pavidam deterruit ense.
Inde fides dextreque date thalamoque receptus
Coniugii dotem sociorum corpora poscit,
Spargimur ignote sucis melioribus herbe
Percutimurque caput converse verbere virge,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quo magis illa canit, magis hoc telluere levati.
Erigimur, seteque cadunt, bifidosque reliquit
Rima pedes, redeunt humeri et subiecta lacertis
Brachia sunt, flentem flentes amplectimur illum
Heremusque ducis collo nec verba locuti
Ulla priora sumus quam nos restantia gratos.
Annua nos illic tenuit mora, etcet.

Posito tempore quo Ulixes stetit cum Circe, ponitur locus in quo ista Circe, solis filia, habitabat, ibi: *là presso a Gaeta*. Ubi considera tu qui legis quod illi qui dicunt quod insula in qua habitavit Circe est in Tracia, manifeste illam ignorare videntur. Re vera enim ista insula est in Ytalia, inter Caietam et fluvium Tyberinum; que quidem insula hodie dicitur Pontium. Et in litore opposito ipsi insule est quidam mons in litore maris qui usque hodie dicitur mons Circinus, et illa litora ab antiquis autoribus Circea litora nuncupantur. Unde Virgilius, in septimo libro Eneydorum, ubi ponit sepulturam quam fecit Eneas sue nutrici Caiete, quam fecit in illis partibus ubi Caieta civitas sita est, in partibus scilicet Campaninis, ponit quod iuxta ipsam civitatem litora sunt circea, dicens: «Proxima Circee raduntur litora terre». Hoc est: illa litora Circea sunt proxima terre Gaiete. Et Ovidius, in quarto libro Faustorum, ubi loquitur de Ytalia, quam ponit illis temporibus Magnam Greciam vocitatam fuisse, et ad quam ponit multos reges et principes adventasse, ponit Circea litora in Ytaliam esse, dicens:
Ytalia nam tellus Grecia maior erat.
Venerat Evander plena cum classe suorum,
Venerat Alcides, Graius uterque genus
Hospes Aventinus armenta pavit in herbis
Claviger, et tanto est Albula pota deo
Dux quoque Naritius testes Lestrigones extant
Et quod adhuc Circes nomina litus habet.

vv. 91-93

Et ideo Dantes, qui nullam ystoriam ignoravit, dicit: *là presso a Gaeta*. Tertia ystoria tangitur ibi:

Prima che sì Enea la nomasse. Dicitur hic in textu quod Ulixes applicuit ad loca ubi habitabat Circe, que quidem habitatio est prope Caietam. Et ista applicatio fuit ante quam Eneas illi terre nomen imposuisset. Cuius ystorie veritas ista est: Eneas enim, ut VII libro Eneydorum scribit Virgilius, suam nutricem, que vocabatur Caieta, in Campania sepelivit, in quadam scilicet civitate, quam instaurans et amplificans Caietam a sue nutricis nomine appellavit. Ideo ait autor in textu: *prima che sì Enea la nomasse*.

Et de hac sepultura et quomodo fuit ipsa contrata ab ipsa sepulta denominata, ait Virgilius, libro ut supra:

Tu quoque litoribus nostris, Enea nutrix,
Eternam moriens famam, Caieta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Experia in magna, si qua est ea gloria, signat.

Et Ovidius, XIIII Meth.:

Hic me Caietam note pietatis alumnus,

Ereptam argolico quo debuit igne cremavit.

vv. 94-99

Quarta ystoria tangitur ibi:
nè dolcezza di fillio, nè la pieta
del vecchio padre, nè 'l debito amore
il qual dovea Penelope far lieta,
vincer poter dentro da me l'ardore
ch'i' ebbi a divenir del mondo experto,
et de' vitii humani et del valore;

Hic tangitur magna crudelitas ipsius Ulixis, qua taliter plenus fuit, quod illa que ipsum debebant inducere ad gubernandum filium parvulum, patrem senem, et uxorem iuvenem atque solam, non potuerunt ipsum retrahere a vagabunda inquisitione, qua inducebatur investigare mundum et ea que in mundo sunt. Nam tria ponit hic Ulixes que ipsum ex debito rationis cogebant ad suam familiam gubernandam: Primum est dulcedo parvuli filii, que ipsum gubernare et instruere in arte paterna cogebat. Secundum est pietas quam habere debebat ad senem patrem, quem similiter gubernare tanquam bonus filius artabatur. Tertium est matrimonialis amor, qui ipsum astringebat, et casta ipsius uxoris dilectio, que ipsum attrahebat ut ad propria remearet, non ut per mundum vaganbundus erraret. Et ista tria allegat sibi Penelope in epistola quam ei misit, dicens:

Est tibi sitque, precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes crudiendus erat.

Secundo allegat pietatem senis patris, dicens:

Respice Lahertem, ut iam sua lumina condas

Extremum fati sustinet ille diem.

Tertio allegat suam iuventutem, suum viduum lectum
et suam castitatem, dicens de primo:

Certe ego, que fueram te discedente puella,

Protinus ut redeas, facta videbor anus.

De secundo vero:

Me pater Ycareus viduo discedere lecto

Cogit, et immensas increpat ille moras.

De tertio autem:

Increpat usque licet – tua sim, tua dicar oportet

Penelope coniunx semper Ulixis ero.

In super ista tria etiam duobus versibus comprehendit, dicens:

Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,

Lahertesque senex, Thelamacusque puer.

Que quidem omnia Dantes tribus rithimis comprehendit, ibi:

nè dolcezza di fillio, nè la pieta

del vecchio padre, nè 'l debito amore

il qual dovea Penolope far lieta.

vv. 100-105

Quarta ystoria tangitur ibi: *ma misimi per l'alto mare aperto*, etc. usque ad finem cantus. In quibus quidem verbis duo breviter ponit ipse Ulixes. Primum est itinera que fecit per mare ab Ytalia usque in occidentem. Secundum est mors ipsius Ulixis. Que duo videbimus clarius textum breviter discurrendo: *ma misimi per l'alto mare aperto*. Istud mare est mare Mediterraneum, super omnia maria navigabile. Ideo dicit *mare aperto*.
sol con un legno, et con quella compagna
picciola da la qual non fui deserto.
– Lictera plana est.
L'un lito et l'altro vidi infin la Spagna,
fin nel Morrocco et l'isola de' Sardi,
et l'altre che quel mare intorno bagna.

Hic ponit Ulixes itinera marina que fecit, dicens quod istius nostri Mediterranei maris utrunque litus aspexit. Ubi nota quod istud nostrum mare Mediterraneum incipit ab occidente et durat usque in Asiam, dividens Affricam ab Europa. Cuius maris dextrum litus continet Greciam Romaniam, Apuliam, Tusciam, Marchiam Ianuensem, provinciam Provincie, Cataloniam, Yspaniam, et regnum Castelle, in cuius finibus est Sobilia. Litus vero sinistrum continet ex opposito tertiam partem mundi, que Libia sive Affrica nominatur, que incipit ab Egipto, et durat usque in occidentem; in cuius litoris fine est Morroccho. Inter ista vero duo litora est mare Mediterraneum, in quo sunt multe insule atque regna. Totum igitur istud mare navigavit Ulixes postquam superbum, idest altum, cecidit Ylion, et spetialiter postquam recessit a Circe, navigavit a Gaieta usque ad fauces occidentales. Ideo ponit confinia sua, dicens:
L'un lito et l'altro vidi infin la Spagna,
fin nel Morrocco,

Ecce posuit litora inter que mare Mediterraneum situm est,

et l'isola de' Sardi,

et l'altre che quel mare intorno bagna.

Ecce posuit insulas que sunt isto mari undique circundate.

vv. 106-108

Io e' compagni eravam vecchi et tardi,
quando venimo a quella foce stretta,
ov'Ercole segnò li suoi riguardi

Hic dicit Ulixes quod ipse et socii sui, quando devenerunt in partibus occidentis, tantum steterant in mari post excidium Troie quod iam senes effecti erant. Ideo dicit: *Io e' compagni eravam vecchi*. Et quia tantum steterant in mari, ideo erant debiles atque fessi, ita quod marinos sudores pariter et labores sustinere ulterius non valebant. Ideo dicit: *et tardi*. Qualis autem sit ille exitus per quem de isto mari Mediterraneo in mare ingreditur Occeanum, declarat cum subiungit: *Quando venimo a quella foce stretta / dov'Ercule segnò li suo' riguardi*. Ubi duo sunt breviter attendenda: Primum est quod istud nostrum mare Mediterraneum est valde longum ab oriente ad occidentem, et valde latum inter Affricam et Europam; sed in fine sue longitudinis, in partibus videlicet occidentis, de quo in magnum mare intrat, est valde strictum. Ideo dicit in textu: *a quella foce stretta*. Secundum est signa que posuit Hercules in illis strictis faucibus ut nullus ulterius navigaret. Ideo dicit: *dov'Ercule segnò li suoi riguardi*.

Ystoria ista est: Postquam enim Hercules utrunque litus istius maris Mediterranei suis gloriosis victoriis adornavit, quia ex parte Yspaniarum, inter alia mirabilia que fecit, Gerionem devicit, ut habetur superius, cantu XVII; et ex parte Libie, sive Affrice, Anteum devicit, ut habetur infra, cantu 31°, cum devenisset in partibus occidentis ubi sunt ille fauces stricte per quas in magnum mare intratur, videns et considerans quam sit periculosum ulterius navigare, posuit ibi columnas magnas et altas in signum ut nullus ulterius navigaret.

vv. 112-123

Ideo sequitur in textu:
a ciò che l'uom più oltre non si metta;
da la man dextra mi lasciai Sibilia,
da l'altra già m'avea lasciata Setta.

Hic ponit Ulixes confinia illarum faucium sic strictarum, dicens quod ex parte Europe est quedam civitas que vocatur Sibilia, et ista est in terra firma; et ex alia parte, scilicet ex parte Libie, est quedam terra que vocatur Septa; et fuit ista Septa antiquitus insula, mari undique circumcincta, que alio nomine dicitur Gadis. Et ista Gadis, ut ait beatus Ysidorus XIIII libro Ethimologiarum, dirimit Affricam ab Europa. In ista itaque insula posuit Hercules columnas mirabiles et insignes, ut navigantes ab oriente in occidentem ulterius non transirent. Erat autem antiquitus proxima terra

CXX passibus separata, nunc vero cum terra firma coniuncta, quam Tyrii, de mari Rubro profecti, occupantes in lingua sua Gadis, idest Septam, nominaverunt pro eo quod mari esset undique circunsepta. Fuit autem insula fructibus et spetiebus ditans multas partes mundi, et precipue occidentis.

«O frati», dissi, «che per cento milia
perigli siete giunti a l'occidente,
a questa tanto picciola vigilia,
de' nostri sensi ch'è di rimanente,
non volliate negar l'experienza,
di dietr'al sol, del mondo sanza gente.
Considerate la vostra semenza:
facti non fosti a viver come bruti,
ma per seguir virtute et canoscenza».

Hic facit Ulixes unam pulcram orationem suis sociis atque nautis, videns eos ex preteritis laboribus valde fessos, et ex futuris periculis timidos et prostratos; in qua quidem oratione tria facit: Primo captat isporum benivolentiam; secundo commendat ipsorum constantiam; tertio inducit ipsos ad perseverantiam. Primum ibi: *O frati*. Licet enim esset rex ipsorum et dominus, non tamen vocavit eos milites vel clientes, sed fratres. Ista est enim proprietas boni ducis, tractare milites atque servos non ut minores sed ut equales; et istum morem Romani imperatores et principes antiquitus servaverunt. Nam semper suos milites sive servos vocabant aut conmilitones, aut socios, sive fratres. Unde Macrobius, in libro De Saturnalibus, dicit quod antiqui Romani, volentes omnem invidiam et omnem contumeliam a servis protinus removere, dominum patrem familias, servos vero familiares appellari sanxerunt. Et subdit idem Macrobius: «Colant te potius servi tui, michi crede, quam timeant». Secundum ibi: *che per cento milia perigli* – idest pericula – *siete giunti a l'occidente*. Hic commendat Ulixes quorum constantiam sociorum, qui ab Asia usque in Yspaniam per decem annos in mari errantes, tot et tanta pericula tam magnanimiter et tam viriliter sustinuerunt. Et hec est proprietas boni ducis, commendare in suis militibus bene facta preterita, ut eos acuat ad futura; sicut primo libro Eneydorum scribit Virgilius de Enea, qui videns fessos socios suos propter marina pericula et labores ait eis:

«O socii (neque enim ignari sumus ante malorum),
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
....
Mittite; forsan et hec olim meminisse iuvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt. ....
Durate [o socii] et vosmet rebus servate secundis».

Tertium ibi: *a questa tanto picciola vigilia*. Hic alto consilio et subtili ingenio ostendit Ulixes quod omnes labores qui assummuntur in vita nichil quasi sunt respectu premii quod homo de benefactis operibus recipit post hanc vitam. Nam quanta differentia est inter vigiliam et festum, tanta nempe est inter premium et laborem. Ideo Ulixes laborem appellat vigiliam, premium vero festum. Idcirco subiungit interrogative more oratorio exclamando: *de' nostri sensi ch'è di rimanente*, hoc est quid remanet de nostris sensibus – subaudi corpore mortuo – quasi dicat *nichil*. Re vera enim, nichil remanet de homine mortuo nisi gloriose memorie virtutum et factorum quibus refulsit in vita; quibus memoriis vivit etiam corpore mortuo et sepulto. Ideo bene ait autori superius Ser Brunettus, cantu scilicet XV: «Siati raccomandato 'l mio tesoro, nel qual'i' vivo ancora». Et Lutius Martius dixit Romanis qui plorabant in Yspania duos mortuos Scipiones, sicut scribit Titus Livius De Secundo Bello Punico, libro V: «Nolite lamentis lacrimisque plorare principes nostros tanquam mortuos et extinctos. Vivunt enim, viventque fama rerum gestarum». Ideo sequitur in textu:

non vogliate negar l'experienza
di dietr'al sol, del mondo sanza gente.

Ista clausula sive punctus sic intelligi debet: O fratres qui per centum milia pericula ab oriente venistis in occidentem ut mundum scrutari possetis, cum modicum supersit, nolite in fine deficere, ad hoc ut post mortem vestram possitis vivere per gloriosas memorias inter gentes. Quia si transibitis istas fauces quas nec Hercules nec aliquis alius, quantumcumque fuerit audax, transire tentavit, dabitis mundo notitiam de illa terra que usque hodie incognita mundo fuit. Ideoque nolite negare experientiam, idest facite ut experti sitis istius modice partis mundi que nobis videre nunc restat. Sequamur igitur cursum solis, qui ab oriente in occidentem labitur. Exeamus ergo fauces ab Hercule consignatas, et simus maioris audacie quam fuerit ille, ut maiorem famam et nomen nobis vendicare possimus. Nam sol, qui nos suo lumine antecedit, faciet nobis viam. Et ut magis eos acueret immediate subiungit:

Considerate la vostra semenza;
fatti non fosti a viver come bruti,
ma per seguir virtute et canoscenza.

Quasi dicat Ulixes: Non enim deficit anima hominis corpore mortuo, sicut deficit anima cuiuslibet alterius animalis. Et ideo quia vivit, facite ut, mortuo corpore, vestre anime per gloriosa et memoranda facta in mentibus hominum semper vivant. Considerate itaque quod ipse vestre

anime fuerunt a deo creatore in vestris corporibus seminate ut in ipsis corporibus, tanquam semen in bona terra, fructum laudabilem faciant et producant. Nam, sicut granum frumenti et quodlibet aliud semen habet in se vitam, quia habet potentiam germinandi, licet palea ex qua ortum est sit sicca vel ab animali comesta vel igne cremata, sic anima hominis, licet suum corpus sit mortuum, habet nichilominus in se vitam. Ideo ait Ulixes: *Considerate la vostra semenza*, idest considerate vestras animas, que ut facerent fructum fuerunt in vestris corporibus seminate. Et ad designandum differentiam inter animas nostras et animas brutorum animalium subiungit ipse Ulixes: *facti non fosti a viver come bruti*. Animalia enim bruta facta sunt ab ipsa natura ut colant terram, homo vero ut colat celum. Idcirco ipsa natura omnia animalia fecit ad terram prona pariter atque curva, hominem vero erectum ad sydera. Unde Ovidius, primo libro Meth.:
Pronaque cum spectent animalia singula terram,
Os homini sublime dedit celumque videre
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Et quidam philosophus nomine Secundus, interrogatus ab Adriano imperatore ad quid factus fuerit homo, respondit: «Ad contemplandum celum et celi lumina». Legitur etiam de Empedocle philosopho quod cum interrogatus fuisset ad quid viveret, ait: «Vivo ut astra aspiciam. Celum subtrahe, nichil ero». Ideo bene dicit Ulixes:
facti non fosti a viver come bruti,
ma per seguir virtude et canoscenza – idest intelligentiam.
Li mie' compagni fec'io sì acuti,
con questa oration picciola, al camino,
c'apena poscia li avrei ritenuti.
Ecce quantam valuit oratio disertissimi oratoris Ulixis.

vv. 124-126

Et volta nostra poppa nel matino. Hic ponit Ulixes horam quando fauces strictas Sobilie pertransivit, quia hora matutinali.

De' remi facemo ale al folle volo. Bene dicit alas, quia sicut ale in avibus, ita remi in navibus; nam sicut avis volat cum alis, ita navis cum remis. Unde versus:
More volantis avis, volat alta per equora navis.

vv. 127-129

Tutte le stelle già dell'alto polo. Nota quod duo sunt poli in celo super quos volvitur totum celum: unus dicitur articus, qui semper apparet; alter vero dicitur antarticus, qui a nobis videri non potest, quia est ex opposito artici, qui articus vulgo dicitur <tramontana>. Tramontana autem semper est super caput nostrum, et idcirco cum alius polus sit australis et semper sit ex opposito tramontane, nullo modo potest videri, quia sub pedibus nostris est. Potest autem videri in duabus partibus orbis, videlicet ex ipsa parte australi, vel ex paradiso terrestri. Nam pars australis est subiecta ipsi polo antartico, sicut septentrionalis pars in qua habitamus subiecta est artico, et ideo ex ipsa parte australi potest videri. Sed sicut dicunt philosophi, illa pars australis est ita calida quia propinqua et vicina soli, quod illuc pergi non potest nisi fabulose. Ideo de illa parte mundi nulla nova habemus per veras ystorias, sed solum per fabulosa figmenta. Et isto modo autor in parte ista fabulatur tam de illa patria quam de morte ipsius Ulixis. Potest etiam videri ille polus antarticus de monte paradisi. Et ratio est ista: Ille enim mons supereminet omnibus montibus mundi, usque ad globum lunarem attingens. Et ideo est tante altitudinis, quod gibbositas ipsa mundi que nos impedit ne illum polum videre possimus, est subiecta pedibus dicti montis. Nec etiam ad hunc montem, propter peccatum primi hominis, est accessus. Et quia de isto monte potest polus antarticus videri, ideo autor fingit in secunda cantica, cantu primo, illum polum antarticum se vidisse.

vv. 130-132

Cinque volte racceso et tante casso
lo fumo era di sotto da la luna,
poi che 'ntrati eravam ne l'alto passo.

Modo dicit Ulixes quanto tempore navigavit per illud mare per quod nullus unquam fuerat ausus navigare. Et dicit quod stetit ibi quinque mensibus. Ideo dicit: Quinquies accensum et totidem extinctum erat lumen lune de subter. De subter dicit quia tantum per illud occeanum navigavit quod ad polum antarticum, quod est oppositum nostro artico, appropinquavit. Et ideo illud mare est subter nos. Et nunc apparuit illi quidam mons tante altitudinis, quante nunquam in nostro mundo habitabili circunspexit.

vv. 133-135

Ideo ait Ulixes in textu:
quando ci apparve una montagna, bruna
per la distantia, et parvem'alta tanto
quanto veduta non ave' alcuna.

Que autem terra sit ista quam a longe in plaga meridiana vidit Ulixes non bene sciri potest, quia de illa terra nulla vera ystoria reperitur; tum quia nullus unquam de illis partibus ad nos venit, nec de nobis unquam illuc ivit qui ad nos postea sit reversus. Tamen beatus Ysidorus dicit, XIII libro Eth., quod extra tres partes orbis, Asiam scilicet, Affricam et Europam, quarta pars transocceanum interior est in meridie, que propter solis ardorem incognita nobis est, in cuius finibus anthipodas fabulose inhabitare produntur. Anthipode autem dicuntur homines qui subter nos habitare fabulose finguntur, qui tenent plantas contrarias nostris plantis.

Hanc itaque terram a longe vidit Ulixes, quam ut vidit, mirabili gaudio exultavit. Sed quia, iuxta Salomonem, extrema gaudii luctus occupat, ecce de nova terra unus turbo subito ortus est. Est autem turbo quidam ventus tempestuosus et tortuosus qui nubes in aere, pulverem in terra, et aquas in mari in giro et circuitu circungirat et volvit; qui turbo cum magno impetu primam partem navis Ulixis, idest proram, rotando percussit. Et sic triplici rotatu, ipsam girans in quarto circuitu et rotatu puppim sullevans et proram inclinans, ipsam fecit ab aquarum voraginibus deglutiri. Simile narrat Virgilius de una navium Enee, que ter a fluctibus revoluta pariter et girata tandem ab aquarum fuit voragine deglutita. Unde primo Eneydorum:
Illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum et rapidus vorat equore vortex.

In isto XXVI cantu continetur unum vaticinium, quatuor comparationes, et totidem notabilia.

[Vaticinium]

vv. 7-9

VATICINIUM.

Ma se press'al matin del ver si sogna,
tu sentirai, di qua da picciol tempo,
di quel che Prato, non c'altri, t'agogna.

Pratum est quoddam nobile castrum prope Florentiam ad X miliaria. Cetera sunt exposita superius.

[Comparationes]

vv. 25-33

PRIMA COMPARATIO.

Quale 'l villan c'al poggio si riposa,
nel tempo che colu' che 'l mondo schiara,
la faccia sua a noi tien meno ascosa,
come la mosca cede a la zanzara,
vede lucciole giù per la vallea,
forse colà ove vendemmia et ara;
di tante fiamme tutta risplendea
l'octava bolgia, sì com'i' m'accorsi,
tosto che fui là 've 'l fondo parea.

vv. 34-42

SECUNDA COMPARATIO.

Et qual colui che si vengiò con li orsi,
vide 'l carro d'Elia al dipartire,
quando i cavalli a cielo erti levorsi,
che nol potea sì coll'occhio seguire,

ch'e' vedess'altro che la fiamma sola,
sì come nuvoletta in sù salire:
tal si movea ciascuna per la gola
del foco, chè nessuna mostra il furto,
et ogni fiamma un peccatore invola.

vv. 52-54

TERTIA COMPARATIO.

«chi è 'n quel foco che vien sì diviso
di sopra, che par surger de la pira
ove Ethyòcle col fratel fu miso?»

vv. 85-87

QUARTA COMPARATIO.

Lo magior corno de la fiamma antica
cominciò a crollarsi mormorando,
sì come quella cui vento affatica;
Omnes iste comparationes sunt superius explanate.

[Notabilia]

vv. 16-18

PRIMUM NOTABILE.

lo piè sanza la man non si spedia.

Istud notabile potest exponi licteraliter et moraliter. Licteraliter sic: Quia unum membrum servit alteri, ut patet quia manus lavat oculos, et oculi dirigunt opera manuum, et pedes sustentant et portant caput, et caput dat motum et sensum pedibus; ideo unum membrum sine alio bene esse non potest. Et hinc est quod, infirmato uno membro, cetera sibi membra compatiuntur. Unde videmus quod si pes fortiter impingat in petram, quod cor dolet, lingua clamat, manus succurrit, et oculi lacrimantur. Moraliter vero, per pedem accipimus affectum, per manus autem effectum. Nam affectus, sive amor, est pes anime, quia sicut corpus movetur sive ambulat pede, ita anima movetur amore.

Unde infra in segunda cantica cantu [XVIII]: *se l'anima non va con altro piede*. Effectus vero, sive operatio, sunt manus anime, quia quemadmodum corpus cum manibus, ita anima cum affectibus operatur. Vult itaque dicere hic autor quod in arduis factis, sicut sunt virtutes, pes, idest bonus affectus, expediri non potest sine manu, idest sine effectu, quia nichil iuvat compati afflicto nisi quis subveniat sue miserie si possibilitas assit. Si autem possibilitas absit, tunc sufficit bona voluntas. Unde beatus Gregorius: «Ante Dei oculos nunquam est vacua manus a munere si archa cordis plena est bona voluntate». Sed adhuc te volo scire quod differentia magna est inter bonum affectum sine operatione et malum affectum sine operatione. Nam, sicut dicunt theologi, bonus affectus, sive bona voluntas, non salvat hominem sine bona operatione, dum modo possibilitas assit. Unde Apostolus dicit quod fides sine operibus mortua est; malus autem affectus, sive mala voluntas, damnat hominem, etiam sine mala operatione. Et ideo in lege mosaica prohibuit Deus non solum malam operationem dicendo: «Non furtum facies», sed etiam malam voluntatem, dicens: «Non concupisces rem proximi tui».

vv. 46-48

SECUNDUM NOTABILE.

catun si fascia di quel ch'elli è inceso.

In isto notabili, moraliter exponendo, continetur quod quilibet homo exterius operatur bonum sive malum, secundum quod interius concupiscit. Nam si calore virtutum interius inflammatur,

oportet quod ipsarum virtutum luce atque fulgore exterius adornetur. Quia videmus, iuxta sententiam Salominis et beati Gregorii pape, quod si ignis ponatur in palea, statim exardescit. Si vero quis malo ardore concupiscentie, cupiditatis, invidie, sive ire comburetur, oportet etiam quod secundum illum exterius operetur opera, scilicet carnis et mortis. Qualis enim est unusquisque, talis et finis videtur ei, ut ait Philosophus.

vv. 70-72

TERTIUM NOTABILE.

«La tua preghiera è degna
di molta loda, et io però l'accetto>:

In hoc notabili nos admonet ipse Maro quod iusta et honesta rogamina et laude sunt digna, et per consequens acceptanda; nam ea que iusta et honesta non sunt, non solum indigna sunt laude et non acceptanda, sel insuper vituperanda et protinus respuenda. Unde admonet poeta dicens:
Quod iustum est petito vel quod videatur honestum,
Nam stultum est petere quod possit iure negari.

vv. 118-120

QUARTUM NOTABILE.

«Considerate la vostra semenza;
fatti non fosti a viver come bruti,
ma per seguir virtute et canoscenza».
Lictera plana est, et nichilominus superius exarata.

Et sic patet XXVI cantus.

XXVII

VIGESIMI SEPTIMI CANTUS TITULUS TALIS ERAT.

In isto XXVII cantu autor prosequitur de eadem octava malabulgia, de qua superius etiam pertractavit.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-57

Postquam Ulixes finem imposuit verbis suis, cachumen sive summitas sue flamme, que dum loquebatur se ipsam vibraverat more lingue, iam rectus et quietus in apice sue flamme, a Virgilio de ipsius licentia recedebat. Et hoc est quod taliter incipit cantus iste. Iam erat flamma – subaudi Ulixis – erecta superius et quieta ut plus non diceret, et iam a nobis recedebat cum licentia dulcis vatis, quando una alia – subaudi flamma – que post ipsam veniebat, nos fecit volvere nostros oculos ad sui apicem vel cachumen propter unum confusum sonitum qui egrediebatur ex illa. Qualiter autem esset confusus ille sonus, exemplificando declarat dicens: Sicut bos siculus qui mugit primo cum planctu illius – et hoc fuit iustum, quia ipsum temperaverat lima sua – mugiebat cum voce afflicti, ita, licet cum toto quod esset ex ere, ipse – subaudi bos ereus – omnino videbatur a dolore trafixus; simili modo, quia non habebat viam nec foramen – subaudi illa flamma – per quam viam vel foramen possent exire verba a principio, idest ab apice ignis, verba dolorosa exibant et in suum convertebantur taliter ydioma. «O tu, ad quem dirigo meam vocem, et qui loquebaris modo lombarde dicendo: *Istra ten va*, idest modo recede, *più non t'aizzo*, idest plus fatigationem tibi ingerere nolo, quamvis ego venerim aliquantulum tarde, non te tedeat aliquantulum stare mecum; vides quod non tedet me et ardeo. Si tu modo solum in istum cecum mundum de illa dulci terra latina, de qua totam meam culpam porto, noviter cecidisti, dic michi si Romandioli habent pacem vel guerram, quia ego fui de illis montibus interioribus qui sunt inter Urbinum et iugum de quo fluvius egreditur Tiberinus». Tunc Virgilius, quia sibi loquebatur ille spiritus inflammatus, tetigit Dantem dicens: «Loquere tu, quia iste est latinus». Dantes autem, quia iam habebat responsionem in promptu, sine mora ei illico sic respondit: «O anima que inferius es absconsa, Romandiola tua non est, nec unquam fuit, sine guerra in suorum cordibus tyrannorum. Sed nullam manifestam modo

ibidem dereliqui». Qui autem fuerint illi tyranni qui illo tempore in ipsa Romandiola tyrannidem exercebant, per ordinem autor in sua responsione subiungit dicens: «Ravenna stat sicut stetit multis annis; Aquila enim de Polenta taliter ipsam fovet quod Cerviam cooperit suis pennis. Terra autem illa que iam sustinuit longam obsidionem et de Gallis fecit cruentatum coadunamen, sub bracchiis viridibus invenitur. Et Mastinus vetus et novus de Verrucchio, qui fecerunt de Montagna malum gubernamen, ubi fit de dentibus suchium, idest sucum. Civitas autem Lamonii et Santerni conducunt leoninum de nido albo, qui mutat partem ab estate ad hyemen. Et illa – subaudi civitas – cui Savium undat latus, sicut ipsa sedet inter planum et montem, inter tyrannidem vivit in statu libero nunc ad presens. Nunc autem, quis tu sis edissere nobis rogo; non sis durus magis michi quam fuerim ego tibi, ut nomen tuum in mundo teneat altam frontem».

vv. 58-129

Postquam vero ille ignis aliquantulum mugiit more suo, acutam cuspidem hac illacque commovit, et talem postea dedit flatum: «Si ego crederem quod mea responsio dirigeretur ad personam que unquam reverteretur ad mundum, ista flamma immobilis permaneret; sed quia de isto fundo nunquam reversus est aliquis vivus, si audio verum, responsionem sine timore infamie tibi do. Ego enim fui homo armorum et postea cordellerius, credendo sic cinctus omnia – subaudi que male feceram – emendare. Et certe meum credere integrum veniebat, nisi fuisset magnus sacerdos, cui male eveniat, qui me in primas culpas readiuvare coegit, et quomodo et quare volo quod intelligas. Quando osseus et pulpeus ego eram, que duo, scilicet ossa et pulpas, michi dederat mater mea, opera mea non fuerunt leonina breviter sed vulpina. Perpendimenta autem et coopertas vias protinus scivi omnes, et ita duxi artes ipsarum, quod ad fines terre exivit sonus eorum. Sed quando me vidi in illa parte mee etatis in qua quilibet deberet deponere vela et recolligere sartas, quicquid michi prius placuerat tunc displicuit, et penitentem me reddidi et confessum; ha me, miserum lapsum, et veraciter valuisset. Princeps autem novorum Phariseorum, habendo guerram prope Lateranum et non cum Sarracenis nec etiam cum Iudeis, quia quilibet suus inimicus erat protinus christianus, et nullus ex ipsis fuerat ad vincendum Achon, nec mercator in terra soldani; nec summum officium, nec ordines sacros consideravit in se, nec in me illum chamum qui solitus erat suos cinctos facere macriores; sed sicut Constantinus intra Siraptim Silvestrum consuluit pro sua lepra curanda, ita iste me, tanquam magistrum, consuluit ut curari posset a sua febre superba. Petivit enim a me consilium et ego tacui, quia sua verba michi ebria videbantur. Sed ille, hoc videns, statim intulit: «Cor tuum nullatenus suspicetur. Ex nunc te absolvo, et tu me doce quomodo Penestre ad terram deiciam et prosternam. Celum enim possum ego claudere et reserare, sicut tu scis. Ideo sunt due claves quas caras meus non habuit antecessor». Tunc me argumenta gravia impulerunt, unde tacere fuit michi visum peius, et dixi: «Pater, ex quo tu me lavas ab illo peccato in quo dicadere nunc debeo, longa promissio cum brevi observatione in alta sede te faciet triumphare». Franciscus venit postea pro me, statim quod fui mortuus, sed unus nigrorum cherubin illico sibi dixit: «Noli portare – subaudi istum – nec iniuriam facere michi velis. Venire debet inferius inter meos afflictos, quia dedit consilium fraudulentum, a quo citra semper sibi steti ad crines; quia absolvi non potest qui non penitet de commisso, nec penitere et velle insimul homo potest propter contradictoriam, que non consentit». Heu me dolentem, quomodo me concussi quando me rapuit dicens: «Forsitan tu non cogitabas quod ego logicus essem». Ad Minoem me portavit, et ille dorsum durum cum cauda octies circumdedit, et postquam ipsam cum magna rabie momordisset, ait: «Iste est de reis furis ignis». Unde, sicut vides, perditus hic existo et ita vestitus, eundo, deploro».

vv. 130-136

Quando vero iste spiritus suum dicere sic complevit, flamma dolorando et se vibrando recessit. Nos autem transivimus ultra, ego scilicet et dux meus, super scopulum, idest pontem, usque super alium arcum qui operit fossam, in qua solvitur feudum illis qui scismata seminando gravamen acquirunt. Ideo dicitur in textu:
a quei che scommettendo acquistan carco.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-9

Già era dricta in sù la fiamma et queta
per non dir più, et già da noi sen gia,
con la licentia del dolce poeta,
quand'un'altra, che dietr'a lei venia,
ne fece volger li occhi a la sua cima,
per un confuso suon che fuor n'uscia.

Verba sunt autoris in quibus tria breviter dicit: Primum est quod illa flamma in qua loquebatur Ulixes, finito suo sermone, se sursum erexit et quietavit, et hoc ne amplius loqueretur. Secundum est quod sic erecta et quietata, ab ipsis de licentia Virgilii recedebat. Tertium est quod, post ipsam flammam in qua erat Ulixes et Dyomedes, una alia flamma cum quodam confuso sonitu veniebat; ad quem sonitum Virgilius et Dantes se illico cum oculis converterunt. Qualis autem fuerit ille confusus sonitus exemplificando declarat, dicens:
come 'l bu' cicilian che mughiò prima
col pianto di colui, et ciò fu dricto,
che l'avea temperato con sua lima,

Istam ystoriam describit Orosius in hunc modum: Dicit enim quod in regno Sicilie fuit antiquitus quidam rex, sive tyrannus, nomine Fallaris, qui cum multos innocentes dannaret ad mortem, quidam argentarius qui vocabatur Perillus, volens sue crudelitati placere, bovem ereum vacuum intus fecit. Cui bovi ex latere ianuam composuit, per quam damnati possent includi; obtulitque ipsum tyranno ad hoc ut quos exosos haberet, igne supposito, vivos intus includeret; et cum gemitus emitterent, non gemitus humanus sed bovinus potius videretur. Sed Fallaris, licet esset tyrannus crudelis, factum abhorruit ipsique Perillo mandavit ut ipse primus in bovem intraret, ut sic qualiter per os tauri mugitum emitteret scire posset. Exemplificat itaque autor et dicit quod talis mugitus confusus exibat de ista flamma, qualis exivit de bove siculo quando in eo suus artifex fuit missus. Et hoc fuit iustum et equum, ut iste Perillus in laqueum caderet quem aliis non erubuit preparare. Facienti enim vel danti iniquum consilium devolvitur super ipsum, ut habetur Ecclesiastici, XXVII capitulo. Et Psalmista: «Incidit in foveam quam fecit». Ideo dicit autor: «et ciò fu dricto, / perchè l'avea temperato con sua lima». De tyrannide autem istius Fallaris, licet in hoc facto fuerit valde iustus, scribit Ponticus, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, sicut narrat Tullius in primo libro De Divinatione, quod mater istius Fallaris vidit in somnio simulacra multa, inter que vidit Mercurium, de cuius patera sive cuppa quam manu tenebat cruor callidus fundebatur; qui cruor cum terram attigisset refervescere videbatur, ita ut tota domus sanguine redundaret. Quod somnium crudelis filii crudelitas approbavit.

Mughiava – subaudi bos ille ereus – *con la voce de l'afflicto* – idest Perilli – *sì che con tutto che fosse di rame* – ille scilicet taurus – *pur ei pareva dal dolor trafitto* – lictera plana est – *così, per non aver via nè forame*.

vv. 19-21

Lictera plana est usque ibi:
«O tu a cu'io drizzo
la voce, et che parlavi mo lombardo,
dicendo 'Istra ten va; più non t'aizzo'».

Superius dixit autor in principio istius cantus quod Ulixes de Virgilii licentia recedebat; hic autem ponit quid sibi dixit cum ipsum abire permisit.

Istra ten va, più non t'aizzo. Ista sunt proprie vocabula Lombardorum; et tantum sonant quantum in gramatica: <Recede modo, plus te tenere nolo>.

vv. 22-24

«Perch'i' sia giunto forse alquanto tardo,
non t'incresca di star a parlar meco:
vedi che non incresce a me, et ardo!»

Iste spiritus qui loquitur ad Virgilium modico tempore ante descenderat ad infernum. Ideo ait: «Perch'io sia giunto alquanto tardo». Quasi dicat: Ego video quod tu delectaris audire antiqua et maxime secreta, quia de nostro grege nullum interrogasti nisi antiquum Ulixem, de cuius morte homines diversimode opinantur. Sed licet ego sim novus et non antiquus, tamen in aliquo tibi potero complacere. Et ideo non te tedeat loqui mecum, quia me non tedet loqui tecum, licet crucier in hac flamma. Dic itaque michi, queso, si tu modo noviter de illa dulci terra latina descendis, si Romandioli habent pacem vel guerram.

vv. 28-30

Sed quia posset aliquis dicere qua re potius de Romandiola quam de alia terra latina tu queris, ait:
«ch'i' fui de' monti là intra Orbino
e 'l giogo di che Tever si diserra».

Quasi dicat: Quia ego fui de illa patria que est inter Urbinum et iuga Alpium, de quibus manat fluvius Tyberinus; ideo de Romandiola, que michi erat contermina dum vivebam et pro maiori parte subiecta. Iste est enim ille magnificus comes Guido de Monte Feretro, cuius ingenia et opera memoranda per universum mundum intonuerunt; qui in sua iuventute fuit homo mirabiliter sapiens et mirabiliter bellicosus, in sua autem senectute abrenuntiavit mundo et pompis eius et factus est frater minor. Feretrum vero est quidam nobilis comitatus in Ytalia, inter Romandiolam, Tusciam, et Marchiam Anconitanam. Urbinum autem est quedam civitas in montibus Romandiole quam iste comes possedit, et sui etiam nunc possident descendentes. Tyberis vero est fluvius Romanorum, qui dividit Tusciam a Campania, immo fluvius tuscus ab autoribus appellatur. Unde Virgilius, octavo libro Eneydorum, ubi loquitur de monte Palatino, ubi habitabat Evander: «Hinc», inquit, « tusco clauditur amni. Hinc – idest ex alia parte – Rutulus premit». Vocabatur autem iste fluvius antiquitus Albula, sed a quodam rege nomine Tybris in dicto fluvio suffocato dictus est Tybris, vel Tyberis, vel Tyberinus. Unde Virgilius in eodem libro:
Tum reges asperque immani corpore Tybris,
A quo post Ytali fluvium cognominem Tybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.

vv. 34-39

«O anima che se' là giù nascosta,
Romagna tua non è, nè fu giammai,
sanza guerra nel cuor de' suoi tyranni;
ma palese nessuna or vi lasciai».

Volens autor et comitis desiderium adimplere qui dixit: «Dimmi se' Romagnuoli àn pace o guerra» et preceptis Virgilii obedire qui ipsum tangendo dixit: «Parla tu, questi è latino», sic ait: «O anima que includeris in hiis flammis, Romandiola tua non est nec unquam fuit sine guerra in suorum cordibus tyrannorum, sed modo nullam ibi manifestam dimisi». Quasi dicat: Cur queris de statu Romandiole, cum scire deberes quod sine guerra vel manifesta vel occulta stare non potest? Sed ut de regimine dicte provincie certam scientiam habeas, qualiter et per quos tirannos ipsa Romandiola gubernetur, tibi per ordinem enarrabo.

vv. 40-42

Ravenna sta come stata è molt'anni:
l'aquila da Polenta là si cova,
sì che Cervia ricuopre co' suoi vanni.

Describens autor statum Romandiole et per quos tyrannos, sive per que dominia ipsa Romandiola gubernabatur anno scilicet millesimo trecentesimo, quo scilicet anno istam composuit Comediam, incipit a prima terra, scilicet a Ravenna. Est autem Ravenna antiquissima et famosissima civitas inter omnes ytalicas civitates, et est metropolis in tota provincia Romandiole, ac etiam in quibusdam partibus provincie Lombardie; quam quidem civitatem regebant et gubernabant illo tempore quidam nobiles qui vocantur domini de Polenta, qui in vexillo aquilam gestant. Ideo ait:
l'aquila da Polenta là si cova,

Cervia vero est una alia civitas prope Ravennam, que etiam regebatur per eosdem dominos de Polenta. Ideo sequitur:
sì che Cervia ricuopre co' suoi vanni.

Vannos vocant Romandioli primas pennas que sunt scilicet longiores in alis avium. Et est sensus: Ita fovet Ravennam aquila de Polenta, quod etiam Cerviam cooperit alis suis.

vv. 43-45

La terra che fè già la lunga prova,
et de' Franceschi sanguinoso mucchio,
sotto le branche verdi si ritrova.

Ista terra est quedam civitas in ipsa provincia Romandiole que dicitur Forlivium, que tunc temporis erat sub dominio quorumdam tirannorum qui habent in armis brancas virides leoninas. Ista enim civitas passa fuit longam obsidionem a Bononiensibus et a Guelfis. Ideo dicitur in textu: «che fè già la lunga prova». Sed iste comes Guido de Monte Feretro, qui in hoc loco loquitur cum autore, et ipsam obsidionem solvit et Gallos, qui in auxilium venerant Guelforum, crudeli strage prostravit. Ideo sequitur:
et de' Franceschi sanguinoso mucchio,

Mucchio, idest montem; nam tanta fuit strages facta de Gallis, quod ossa coadunata quendam monticulum effecerunt.

vv. 46-48

E 'l mastim vecchio e 'l nuovo da Verrucchio, etc.

Hic tangit autor sub quo dominio tunc temporis Ariminum regebatur, et dicit quod regebatur per duos tyrannos, dominum scilicet Malatestam et dominum Malatestinum, quos vocat *mastinos*, idest <canes crudeles>, qui ad modum canum fremebant caninis dentibus in subiectos. Ideo subdit: *là dove soglion, fan de' denti succhio*, idest in Arimino dominabantur ubi soliti sunt fremere. Quod autem vocat ipsos de Verrucchio, est sciendum quod Verrucchium est quoddam castrum unde isti sunt nobiles oriundi. Quod vero sequitur: *che fecer di Montagna il mal governo* est sciendum quod Montagna fuit quidam ipsorum inimicus quem dolo ceperunt, duro carcere afflixerunt, et tandem crudeli morte dannarunt.

vv. 49-51

Le città di Lamone et di Santerno. Iste sunt due civitates quarum una Ymola, altera vero Faventia, nuncupatur, que a fluviis ipsarum hic poetice describuntur. Nam Amonium est fluvius Faventie; Santernum autem fluvius est Ymole. Iste vero duo civitates erant tunc temporis sub dominio Maghinardi de Susinana, cuius arma sunt campus albus et leo rubeus. Ideo dicitur in textu quod utramque istarum civitatum conducit leunculus albinidii, hoc autem dicit quia arma predicti Maghinardi sunt hec, videlicet unus leo rubeus in campo albo. Quod autem sequitur *che muta parte da la state al verno* sic intellige: Iste enim Maghinardus erat in Tuscia Gibelinus in Romandiola vero Guelfus. Unde per estatem intellige Tusciam, que est in parte meridiana; per hiemem vero intellige Romandiolam, que est septentrionali, et ipse in medio habitabat. Sed cum veniebat in Tusciam erat Gibellinus, cum vero ibat in Romandiolam erat Guelfus. Ideo dicitur in textu:
conduce il leoncel dal nido bianco,
che muta parte da la state al verno.

vv. 52-54

Et quella – subaudi civitas – *cu' il Savio bagna il fianco*. Ista civitas vocatur Cesena, cui ex latere vadit quidam fluvius qui Savium appellatur; que quidem civitas illo tempore sub nullius dominio tyranni degebat. Ideo ait:
così com'ella sie' tra 'l piano al monte,
tra tirannia si vive et stato franco.

Quasi dicat: Cesena autem, inter civitates Romandiole tirannis subiectas, sola statu fruitur libertatis.

vv. 55-57

«Ora chi se', ti prego che 'nne conte:
non esser duro più c'altri sia stato,
se 'l nome tuo nel mondo tenga fronte».

Postquam autor descripsit comiti statum et regimen totius Romandiole, ipsum rogat ut quis in mundo fuerit sibi dicat. Et circa hoc tria breviter in his tribus rithimis facit:

Primo enim, ipsum rogat ut de se veram notitiam ei donet, ibi: *Ora chi se', ti prego che ne conte*. Secundo, ipsum ad hoc inducit per illam curialitatem quam sibi tam liberaliter fecit, statum totius Romandiole exarando; ibi: *non esser duro più c'altri sia stato*. Tertio, ut ipsum citius moveat, maiorem liberalitatem et curialitatem promittit eidem ipsum, scilicet suis in mundo rithimis honorare; ibi: *se 'l nome tuo nel mondo tenga fronte*. Quasi dicat: Si michi dixeris nomen tuum, ipsum honorabo et notificabo superis stilo meo.

vv. 61-63

Quod audiens, comes ad istud ultimum suspirando respondit:
«S'i' credesse che mia risposta fosse
a persona che mai tornass'al mondo,

questa fiamma staria senza più scosse»;
Quasi dicat: Ut tibi pandam citius nomen meum, me non solum per facta beneficia sed etiam per fienda sagaciter adiurasti, dicendo: *se 'l nome mio nel mondo tegna fronte*. Sed ego dico tibi quod, si ego crederem respondere alicui qui reverteretur ad mundum, nichil tibi de meo statu manifestarem. Sed quia nunquam, si verum audio, aliquis de isto fundo ad superos est reversus, ideo tibi sine timore infamie respondebo.

vv. 67-69

Et ait:
I' fu' uom d'arme, et poi fu' cordelliero,
credendomi sì cinto fare ammenda;
et certo il creder mio veniva intero,
– lictera plana est –

vv. 70-75

se non fosse 'l gran prete, a cu' mal prenda!
Iste magnus sacerdos fuit papa Bonifatius, sub quo iste comes arma mundumque reliquit et habitum penitentialem assumpsit. *A cui mal prenda*, hoc dicit quia ipsum recidivare coegit. Ideo immediate subdit:
che mi rimise ne le prime colpe;
et come et quare, voglio che m'intendi.
Mentre ch'i' forma fui d'ossa e di polpe

Dicit hic comes Guido quod quando ipse erat osseus et pelleus, idest vivus, opera sua non fuerunt leonina sed vulpina; hoc dicit quia ipse, licet fuerit bellicosus, plus viguit prudentia et astutia vulpina quam fortitudine et audacia leonina. Nam quicquid faciebat, versipelli astutia et sagaci prudentia faciebat. Ubi nota quod in actibus bellicis plus prodest astutia et prudentia quam fortitudo et audacia. Ideo Salomon ait: Melior est vir sapiens viro forti; et qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Re vera, iste comes in actibus bellicis fuit mirabili astutia et prudentia decoratus; multas enim civitates et castra astutia sua cepit. Multos exercitus sola prudentia debellavit, et semper de inimicis victoriam reportavit.

vv. 76-78

Ideo ait subsequenter:
Li accorgimenti et le coverte vie
io seppi tutte, et sì menai lor arte,
c'al fine de la terra il suono uscie.

Sed postquam toto tempore quo vixit in armis gloriosus et victoriosus fuit in mundo, tandem cum devenit ad senectutem se ipsum totum Deo et suo servitio dedicavit. Nam cuncta que prius sibi placuerant tunc despexit et, mundo valefaciens, habitum minorum assumpsit.

vv. 79-84

Ideo sequitur:
Quando mi vidi giunto in quella parte
di mia età dove ciascun dovrebe
calar le vele et raccollier le sarte,
ciò che pria mi piacea, allor m'increbe,
et pentuto et confesso mi rendei.

Ecce vera peccatoris conversio: displicere sibi cuncta que ipsum attrahunt ad peccatum vel detinent in peccato; quia sicut per peccatum aversus est a Deo, ita per penitentiam convertatur ad Deum. Unde clamat Dominus per prophetam: Convertimini, convertimini filii revertentes. Quasi dicat: Sicut recessistis a me per peccati placentiam, ita revertamini ad me per eiusdem displicentiam. Postquam vero incipit homini displicere peccatum, statim conteritur et penitet de peccato, ideo post displicentiam peccati statim sequitur contritio, que sola valet ad salutem, si confessio et satisfactio sequi non possint, dum modo displicentia ipsius peccati precedat contritionem. Nam, ut scribit beatus Ieronimus in epistola ad rusticum monacum: Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. Comes autem, quando se vidit ad senectutem venisse, cuncta mundi placibilia dereliquit, et contritus et confessus, ut Deo satisfaceret de commissis, fratrum minorum ordinem introivit; in quo quidem salvus fuisset, nisi dedisset versipelle consilium.

vv. 85-87

Quod sic ex subsequentibus patet:

Lo principe de' nuovi Pharisei, idest papa Bonifatius, caput romani collegii, idest cardinalium, quos Phariseos appellat quia ipsorum culpa, ut dicitur, perdita fuit civitas Achon, unde christianitas fuit debellata et sarracenica perfidia exaltata.

Avendo guerra presso a Laterano. Lateranum est quedam pars urbis in qua Constantinus Augustus ecclesiam Christo Salvatori domino dedicavit, et ipsam caput omnium ecclesiarum urbis et orbis statuit et sancivit. Iuxta itaque Lateranensem ecclesiam habuisse dicitur Bonifatius guerram, inquantum cum Columnensibus luctabatur. Nam ipsos Columnenses papa ipse Bonifatius excomunicavit, duos cardinales privavit de domo predictorum et igni adiudicavit; omnia etiam ipsorum bona delevit et confiscavit. Et quia illo tempore soldanus Babilonie Christianitatem infestabat, contra quem pastor Ecclesie debebat insurgere, ideo in textu invehitur contra illum dicendo:
avendo guerra presso a Laterano,
et non con saracin, nè con giudei,

Quasi dicat: debebat facere guerram inimicis Christianitatis et non Christianis.

vv. 88-90

Ideo sequitur:
chè ciascun su' nimico era christiano,
et nessun era stato a vincer Acri,
nè mercatante in terra di Soldano.
– Lictera plana est.

Hac itaque perversa conscientia depravatus et arroganti superbia elevatus, cupiens tyrannica rabie ipsos Columnenses funditus extirpare, consuluit comitem memoratum qualiter posset civitatem quandam ipsorum Columnensium quam hostili Marte obsederat, que Penestre vocatur, terre planitiei equare. Et in hoc actu non habuit respectum ad se, qui erat vicarius illius regis pacifici qui pacem in mundum portavit, pacem nascendo adnuntiavit, vivendo predicavit, moriendo in testamento sue familie dereliquit, et resurgendo eisdem pacem obtulit atque dedit. Nec etiam habuit respectum ad ipsum comitem qui mundi guerras reliquerat, et religionis pacem quesierat, nec ad habitum suum, qui corda non ense precinctus, pacem amare et imitari videtur.

vv. 91-93

Ideo dicitur in textu:
nè sommo officio, nè ordini sacri,
guardò in sè, nè in me quel capestro,
che sole' far li suo' cinti più macri.

Per cingulum in Sacra Scriptura continentiam accipimus, que religiosos maxime carnali et terreno desiderio cohibet et constringit. Unde ipsos admonet Christus dicens: Sint lumbi vestri precinti. Ubi dicit beatus Gregorius: Lumbos nostros precingimus cum carnis luxuriam per continentiam coartamus. Vult itaque hic dicere comes Guido quod fratres minores non sunt hodie ita a terrenis desideriis et actibus vacui sive macri, sicut in sue religionis exordio iam fuerunt.

vv. 94-99

Ma come Costantin chiese Silvestro
dentro Sirapti a guerir de le lebbre,

Sirapti est quidam mons in Tuscia prope Romam, in quo monte beatus Silvester papa, tempore persecutionis, cum suis clericis latitabat. Cuius ystoria breviter ista est: Persequente Constantino imperatore crudeliter Christianos, beatus Silvester de urbe exivit ac in monte Sirapti sibi et suis clericis latibula adinvenit. Constantinus vero, propter sua scelera a Deo percutitur incurabili plaga lepre; qui ad consilium pontificum paganorum congregari mandavit tria milia puerorum ut se in ipsorum calido sanguine balnearet. Egrediente vero eo ad locum ubi balneum parari debebat, matres, sorores, atque nutrices dictorum puerorum ei obviant et, tunicis scissis et crinibus resolutis, querulosis vocibus ipsum pulsant. Constantinus autem iussit illico stare currum et, se erigens et manu silentium indicens, populum sic affatur: «Audite me, comites et commilitones mei, omnesque populi qui astatis. Dignitas romani imperii de fonte nascitur pietatis, que hanc etiam legem dedit ut

capitali sententia puniretur quicunque in bello aliquem occidisset infantem. Quanta ergo crudelitas esset si hoc nostris filiis faceremus quod fieri prohibuimus alienis? Quid iuvat barbaros superasse, si a crudelitate vincamur? Nam vicisse extraneas nationes virtus est bellantium populorum. Vincere autem vitia et peccata virtus est morum. In illis ergo preliis fortiores nos extitimus illis. In hiis vero nobis ipsis sumus protinus fortiores. Qui enim in isto fuerit certamine superatus, victoriam obtinet victus; victor enim post triumphum vincitur si pietas ab impietate vincatur. Vincat ergo nos pietas in isto congressu. Bene enim adversantium omnium poterimus esse victores si a sola pietate vincamur. Omnium etenim se dominum comprobabit qui servum se monstraverit pietatis. Melius est ergo me mori, salva vita innocentium, quam per eorum interitum vitam recuperare crudelem, quam tamen recuperare incertum est, cum certum sit quod sic recuperata protinus sit crudelis». Et his dictis, iussit ut pueri suis matribus redderentur et dona plurima ac etiam vehicula preberentur. Sicque matres, que flendo vacue venerant ad loca sua, plene muneribus cum gaudio redierunt. Ipse autem imperator ad suum Lateranense palatium est regressus.

Sequenti vero nocte beatissimi apostoli Petrus et Paulus sibi apparuerunt dicentes: Quoniam exhorruisti effusionem sanguinis innocentium, misit nos Dominus Ihesus Christus dare tibi recuperande consilium sanitatis. Silvestrum igitur episcopum urbis Rome, qui aput montem Siraptim latitat accersire hic tibi piscinam ostendet, in qua immersus tertio ab omni curaberis lepre morbo. Tu vero hanc vicissitudinem Christo reddas, ut ydolorum templa diruas, Christi restaures ecclesias, et eius deinceps cultor fias. Evigilans igitur Constantinus statim misit ad montem Syraptim milites pro Sylvestro. Videns autem Silvester milites, ad palmam martirii credidit se vocari; Domino autem se recommendans et socios deosculans et confortans, Constantino intrepidus presentatur. Cui assurgens Augustus: «Bene», inquit, «te venisse gratulemur». Cui Silvester respondit: «Pax tecum et de celo tibi victoria ministretur». Constantinus autem, postquam narravit eidem sui somnii visionem, ab ipso fuit cathecuminus factus. Et unius ebdomade completo, ieiuno et carceribus reseratis, in aquam baptismatis mox descendit. Et ecce splendor mirabilis de celo descendens ipsum cooperuit Constantinum, in quo splendore Christum asseruit se vidisse. Et sic de lavacro mundatus exiens et purgatus, Romanam Ecclesiam dotibus magnificis ampliavit. Quas dotes require supra, cantu XVIIII. Exemplificat itaque comes Guido quod, quemadmodum Constantinus pro sua lepra curanda ad montem Sirapti misit ut consuleret sanctum papam, ita Bonifatius e converso ad locum fratrum minorum misit, ut pro sua superba febre suo more curanda ipsum consuleret comitem memoratum. Ideo sequitur in textu:
così mi chiese questi per maestro
a guerir de la sua superba febre;

Consilium autem quod ab ipso petivit, fuit quomodo scilicet Penestre posset funditus extirpare. Est autem Penestre quedam antiqua civitas sita in montibus prope Romam: de qua VII libro Eneidorum facit Virgilius mentionem: «Nec Penestrine fundator defuit urbis». Loquitur enim de Ceculo, qui contra Eneam in auxilium venit Turno.

vv. 100-102

Sed quia comes Guido dare malum consilium titubavit, ideo ait ei Bonifatius:
finor t'assolvo, et tu m'insegna fare
sì come Penestrino in terra getti.

vv. 103-111

Et ne de sua absolutione aliqualiter dubitaret, adiunxit:
«Lo ciel poss'io serrare et diserrare,
come tu sai; però son due le chiavi,
che 'l mio antecessor non ebe care».

Loquitur hic de papa Celestino, qui papatui abrenuntiavit; de quo habetur supra, cantu tertio. Tunc comes Guido, quasi coactus, dedit sibi consilium versipelle, dicens ut habetur in textu:
«Padre, da che tu mi lavi
di quel peccato ove mo cader deggio,
lunga promessa con l'attender corto
ti farà triumphar nell'alto seggio».

Propter dolosa itaque ingenia et fraudulenta consilia in quibus iste comes studuit in hac vita, ideo hic exemplariter cum Ulixe et Dyomede ponitur ab autore. Existente etiam ipso comite inter fratres filius eius, scilicet Fredericus, quandam cepit in Marchia civitatem. Qua capta per ipsum misit ad patrem nuntium cum his verbis: Pater, talem meis viribus possideo civitatem; doce me per istum nuntium qua via et quo ordine regam ipsam. Quod cum comes Guido audisset, ob reverentiam habitus nichil sibi verbo respondit, sed ipsum nuntium in ortum velut spatiandi gratia secum duxit. Et cum in ortum intrasset, cepit evellere multos porros crossos, quidem detruncando, subtiles autem et parvos extra ortum proiciendo. Nuntius autem instabat ut sibi daret responsum ad filium

portaturum. Comes vero nichil ei respondebat, sed porros, ut primitus, evellebat. Quod nuntius videns, affectus tedio ab ipso recessit et ad comitem Fredericum quantotius properavit, asserens patrem nichil sibi breviter respondisse. Quod cum ille admiraretur ait: «Quid fecit? quando sibi meam ambaxiatam et rogamina porrigebas?» Cui ille: «Ortum intravit, porros evulsit, crossos detruncavit, et subtiles extra proiecit». Ad quem filius: «Intelligo consilium patris mei. Consulit enim ut, si volo hanc tenere firmiter civitatem, quod magnos occidam et parvos expellam». Ecce ista sunt dolosa ingenia et fraudulenta consilia.

Sed hic queritur unde, idest ex quo capitali peccato, ista ingenia et consilia oriantur. Respondeo: Si homo utitur istis dolosis ingeniis et fraudulentis consiliis ut humanum captet honorem, tunc oritur a superbia, que est appetitus propie excellentie. Si vero homo utitur ipsis dolosis ingeniis ut honorem vel statum obnubilet aliorum, tunc oritur ex invidia, que dolet de aliena felicitate. Si autem utatur ipsis ut vindictam capiat de inimicis, tunc oritur ex ira, que est appetitus vindicte; sicut Ulixes dolosum adinvenit ingenium ut se de Palamide vindicaret. Cuius ystoria talis est: Ulixes enim, ne cum aliis regibus veniret ad Troiam, se simulavit insanum; nam terram velut colonus arabat, et sal velut insanus spargebat. Palamedes autem, cum esset valde astutus, Ulixis insaniam fictam esse monstravit. Nam arante Ulixe, Palamedes filium ipsius Ulixis ante aratrum posuit; sed Ulixes quando venit ad filium aratrum substulit. Quod Palamedes comprehendens, ipsum Ulixem ad Troiam venire coegit. Ulixes autem in ipsa troyana obsidione de ipso Palamede se taliter suis dolosis ingeniis vindicavit. Furtive enim sub lecto ipsius Palamedis fecit fodi, et magnum auri pondus abscondi; et licteras falsas sub nomine et sigillo Priami regis fingens, que falso dirigebantur ad Palamidem, ad Grecorum consilium deportandas versipelliter ordinavit. Quibus licteris in publico recitatis, dum Palamedes se excusaret, Ulixes assurgens ait: «O reges et principes qui astatis, si licteris non creditis, mittatis ad tentorum Palamedis et sub lecto invenietis aurum, quo iste intendit prodere gentem nostram». Quod cum missum fuisset et inventum esset aurum, fuit Palamedes ad clamorem populi pellacis Ulixis ingenio lapidatus. Unde Ovidius, XIII libro Meth.:

Prodere rem Danaam finxit fictumque probavit
Crimen et ostendit, quod iam prefoderat, aurum.

Si vero quis utatur ipsis dolosis ingeniis vel fraudulentis consiliis propter emolumentum aliquod temporale, tunc oritur ex avaritia, sicut fecisse creditur comes Guido, qui dedit versipelle consilium ipsi Pape ut ipse dominus Papa civitates et castra que ipse dominus Guido comes usurpaverat, suo filio condonaret. Sed quia prius fuit absolutus quam peccasset, ideo in morte dannatus ponitur exemplariter vel figuraliter ab autore, ibi:

vv. 112-117

Francesco venne poi, com'i' fu' morto,
per me; ma un de' neri cherubini
li disse: «Non portar: non mi far torto».

Licet mortem istius comitis poetice fingat autor, tamen creditur, et sic in multis libris sanctorum autenticis reperitur, quod ad mortes hominum et boni angeli atque mali conveniunt. Nam beatus Nicholaus in hora mortis vidit ad se sanctos angelos venientes. Beatus autem Martinus in hora sue mortis vidit sibi dyabolum assistentem. Cui Martinus: «Quid hic astas, cruenta bestia? Nichil in me funestum reperies, Abrahe sinus me recipiet». Ad mortem autem beati Forosci episcopi, sicut scribit venerabilis doctor Beda, et boni et mali angeli advenerunt et multa prelia inter se pro habenda illa anima commiserunt. Isto itaque modo poetice hic fingitur ab autore ad mortem comitis Guidonis sanctum advenisse Franciscum; sed unus nigrorum cherubin ibi illico presto fuit dicens:

«Non portare – supple istum – Non mi far torto.
Venir se ne dee giù tra' miei mischini
perchè diede 'l consiglio frodolente,
dal quale in qua stato li sono a' crini»;

Queritur autem hic quare potius unus infernalis cherub quam aliquis de aliis ordinibus venit pro anima comitis Montis Feltri? Et dicendum quod sicut anime beatorum assummuntur ad diversos ordines angelorum, ita anime dannatorum trahuntur ad diversa supplicia demoniorum, ut cum illo ordine partem habeant quem imitati fuerant in vita. Boni itaque et virtuosi sapientes assumuntur ad ordinem cherubin, quorum scientie adheserunt. Mali vero et malitiosi sapientes trahuntur ad illa cherubin quorum sapientia in malitiam est mutata. Et ideo, quia iste comes fraudulentum consilium dedit, a fraudulento demone dicitur esse captus. *Bonus cherub* interpretatur <plenitudo scientie>; *malus* vero *cherub* <plenitudo malitie>.

vv. 118-123

«c'assolver non si po' chi non si pente,
nè pentere et voler inseme possi,

per la contradiction che nol consente».

Probat hic cherub comiti memorato quod absolutio quam fecerat ei papa Bonifatius nil valebat, quia absolvi non potest qui non penitet de peccato; nisi enim contritio confessionem in peccatore precedat, quamvis talis absolvatur etiam a Papa, absolutio nulla est. Et hoc satis patet per formam absolutionis qua utitur ecclesia dandam peccatores. Que quidem forma est ista: «Absolvo te», inquit sacerdos, «autoritate qua fungor ab istis peccatis et ab omnibus aliis quibus es confessus et contritus, etc.» Patet ergo manifeste quod, nisi contritio sit in peccatore, absolutio sacerdotis breviter nichil valet. Ideo bene ait iste cherub: «Assolver non si può chi non si pente». Sed quia posset aliquis dicere forte quod comes Guido in absolutione quam recepit a Papa fuit corde contritus, hoc manifeste apparet esse falsissimum, quia prius fuit absolutus quam ipse peccasset. Quod probatur per verba Pape ad ipsum cum ait:

finor t'assolvo, et tu m'insegna fare
sì come Penestrino in terra getti.

Nec etiam in actu illius peccati potuit contriri de peccato, quia duo contradictoria simul esse non possunt. Non enim potest quis simul peccare et penitere; et hoc patet per diffinitionem contritionis que talis est: <Contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus cum proposito confitendi, satisfaciendi, et deinceps a peccatis cavendi>. Et nota quod in ista diffinitione quinque notabilia sunt notanda: Primum est quod contritio est dolor voluntarius; unde si coactus fuerit, dolor penitentialis non erit. Multi enim, cum ebrii sunt, plorant peccata sua. Secundum est quod talis dolor voluntarius debet assummi ratione peccati commissi et offense divine. Multi enim dolent cum infirmantur, non ratione peccati, sed ratione infirmitatis, vel timore pene eterne; et talis dolor nichil valet protinus ad salutem. Tertium est ut iste talis dolor voluntarie pro peccatis assumptus sit cum proposito confitendi – subaudi si possibilitas adsit – et copia sacerdotis. Quartum est ut sit cum proposito etiam satisfaciendi, ut scilicet ad arbitrium sacerdotis penitentiam faciat de commissis. Quintum est ut proponat de cetero non peccare, quia si intendit reverti ad vomitum, nichil sibi valet recepta ab ecclesia medicina. Cum itaque iste comes in dando malum consilium contritionem de ipso peccato simul cum dando ipsum habere non poterat, quia duo contradictoria simul esse non possunt, ut dictum est, hinc est quod absolutio quam habuit nichil fuit. Ideo ait cherub:

«nè penter et voler insieme puossi,

per la contradiction che nol consente».

O me dolente, come mi riscossi

quando mi prese dicendomi: «Forse

tu non pensavi ch'i' loyco fossi».

Ad logicum enim spectat scire et docere ac etiam demonstrare quomodo duo contradictoria simul esse non possunt, sicut calor et frigus, album et nigrum, virtus et vitium. Cetera vero usque ad finem cantus sunt satis clara et aperta.

In isto XXVII cantu continentur duo comparationes et duo notabilia.

[Comparationes]

vv. 7-15

PRIMA COMPARATIO.

Come 'l bue cicilian che mughiò prima
col pianto di colui, et ciò fu dritto,
che l'avea temperato con sua lima,
mughiava co' la voce dell'afflitto,
sì che, con tutto che fosse di rame,
pur ei pareva dal dolor trafitto;
così, per non aver via nè forame,
dal principio del foco, in suo linguaggio
si convertivan le parole grame.
Ista comparatio plana est.

vv. 94-99

SECUNDA COMPARATIO.

Ma come Costantin chiese Silvestro
dentro Sirapti, a guerir de le lebre,
così mi chiese questi per maestro,
a guerir de la sua superba febre;
Ista etiam plana est, et nichilominus ipsa et alia superius explanata.

[Notabilia]

vv. 79-84

PRIMUM NOTABILE.

Quando mi vidi giunto in quella parte
di mia età dove ciascun dovrebe
calar le vele et raccollier le sarte,
ciò che pria mi piaceva, allor m'increbe,

In hoc notabili exemplariter declaratur quod, licet in qualibet etate sit bonum et pulcrum derelinquere mundum suasque pompas et vanitates abicere, tamen est quedam etas in homine que magis ad hoc apta videtur, ut est senecta vel senectus. Et ratio est quia, licet peccata nulli etati conveniant, peius tamen conveniunt senectuti. Unde dicit Aristotiles quod luxuria in iuvene luxuria est, in sene vero insania. Comes itaque iste Guido sui exemplo nos admonet ut, si in primis etatibus servivimus mundo, in ultimis tamen serviamus Deo. Unde ait autori:
Quando mi vidi giunto in quella parte
di mia età ove ciascun dovrebe
calar le vele et raccollier le sarte,
ciò che pria mi piacea, allor m'increbbe,

Ubi nota quod septem sunt etates hominis, videlicet infantia, pueritia, adolescentia, iuventus, senecta, senectus, et senium; tamen ad tres principaliter reducuntur. Est itaque prima etas infantia, que extenditur usque ad septimum annum; unde dicitur <infans>, idest <non plene fans>, eo quod plene fari, idest loqui, non potest dentibus non bene ordinatis, ut dicit Ysidorus. Secunda etas dicitur pueritia, que extenditur usque ad XIIII annum; et dicitur pueritia a pubertate, quia caret pilis in facie talis etas. Tertia etas dicitur adolescentia, que extenditur usque ad XXVIII annum, secundum Ysidorum. Secundum vero medicum, adolescentia extenditur usque ad tricesimum vel XXXV annum; et dicitur adolescentia eo quod apta sit ad gignendum, ut dicit Ysidorus. Quarta etas est iuventus; et ista inter omnes etates est media; ideoque fortissima, sapiens et robusta, et protenditur usque

ad XLVIII annum; vel secundum quosdam usque ad quinquagesimum. Et tunc sequuntur alie tres etates; et est iuventus a iuvando dicta. Est enim iuvenis in suo termino positus incrementi; et in fine istius etatis incipit per alias etates subsequentes ad yma ruere. Quinta etas est senecta: in hac etate, scilicet senecte, est declinatio a iuventute in senectutem et protelatur usque ad septuagesimum annum. Sexta etas est senectus, que ab Ysidoro <gravitas> appellatur, que nullo annorum termino terminatur, et dicitur senectus, secundum Ysidorum, a sensus diminutione, eo quod in tali etate homines pre nimia vetustate desipiant et delirant. Septima etas est senium, que est ultima pars senectutis et terminus vite; imponit enim finem laboribus et cruminis et pergunt ad requiem paradisi. In etate igitur que sequitur iuventutem, sive sit senecta, sive senectus, sive senium, laudabile est mundum et peccata relinquere et Deo et virtutibus adherere. Et ideo bene de hac eadem materia iste idem autor in quadam inventione quam fecit de nobilitate sic ait:
L'anima cui addorna esta bontate non la si tiene ascosa,
chè dal principio c'al corpo si sposa,
la porta 'nfin la morte.

Ubidente, soave et vergognosa, et ne la prima etate,
è sua persona acconcia di biltate,
con le sue parti accorte:

e 'n giovinezza, temperata e forte,
piena d'amore et di cortesi lode,
et solo in lealtà far si diletta:

et ne la sua senecta, prudente et giusta,
larghezza se n'ode, e 'n se medesma gode,
d'udir et ragionar de l'altrui prode.

Poi ne la quarta parte de la vita
a Dio si rimarita,
contemplando la fine che l'aspetta,
et benedice li tempi passati.
Vedete omai quanti son l'ingannati.

Deinde in conclusionem predictorum subdit:
Contra li erranti miei tu te n'andrai;
et quando tu sarai
in parte dove sia la donna nostra,
non le tener lo tu' mistier coverto:
tu le puoi dir per certo:
«I' vo' dicendo de l'amica vostra».

vv. 118-120

SECUNDUM NOTABILE.

c'assolver non si può chi non si pente,
nè penter et voler insieme puossi,
per la contradiction che nol consente».

In hoc sententioso notabili continetur quod dua contradictoria simul esse non possunt. Cum autem ista duo contradictoria, scilicet velle peccare et de peccato penitere, insimul stare non possint, hinc est quod absolvi non potest qui non penitet de peccato.

Et sic patet vigesimus septimus cantus prime cantice.

XXVIII

VIGESIMI OCTAVI CANTUS TITULUS TALIS EST.

In isto XXVIII cantu autor tractat de nona bulgia, in qua ponit scismaticos et scandali seminatores; pena quorum est quod ab uno demone cum una spata per diversa membra diversimode inciduntur et lacerantur. Et incipit ista bulgia in principio huius cantus, ibi:
Chi poria mai pur con parole sciolte
dicer del sangue et de le piaghe a pieno
ch'i' ora vidi, per narrar più volte?
etc.

Et facit hic mentionem specialiter de Macumeth, qui tantum scisma seminavit in mundo quod gentem Sarracenorum in suam sectam et heresim congregavit.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-21

Quis posset unquam, inquit autor, cum verbis solummodo absolutis, dicere de sanguine atque plagis ad plenum quas nunc pluries ego vidi? Omnis lingua certe ad istud deficeret enarrandum, quia noster sermo ac etiam mens ad tantum comprehendendum modicum sinum habent. Quales autem plagas ibi conspexerit, exemplificando declarat. Si adunaretur adhuc, inquit, tota illa gens que in infortunata terra Apulie de suo sanguine fuit dolens per Romanos et per longam guerram que de anulis tam alta spolia reportavit, sicut scribit Livius, qui non errat, cum illa – subaudi gente – que sensit penas ictuum bellicorum quando Roberto Guiscardo se opponere fuit ausa; et altera – subaudi, si adunaretur – cum istis cuius ossa adhuc colliguntur apud Ciperanum, ubi quilibet Apulus fuit mendax, cum illa – subaudi etiam – que fuit ad Tagliacozzo, ubi sine armis vicit senex Alardus; et istarum gentium unus suum membrum perforatum et alius ostenderet mutilatum, ad adequandum modum none bulgie esset nichil.

vv. 22-63

Postquam vero autor exempla induxit plagarum et vulnerum in bellis Apulis inflictorum, ad enarrandas plagas et vulnera istius none bulgie manum tendit. Iam, inquit, veges non sic perforatur vel aperitur quando perdit tympanum vel assidem lateralem, sicut ego vidi unum fractum et apertum a mento usque ad illam partem unde homo trullat. Inter tibias enim intestina pendebant, et tristis venter, qui saccus efficitur stercoris, videbatur. Et in tantum quod ego in eum totus intendo me respexit, et cum manibus aperiens sibi pectus ait: «Vide quomodo me dilanio. Vide quomodo divisus est Macumet; ante me vadit plangendo Ali, scissus a mento usque ad sinciput. Et omnes alii quos tu vides hic seminatores fuerunt scandali et scismatis dum vivebant; et ideo taliter scissi sunt. Unus diabolus est retro post nos qui ita crudeliter nos trucidat acie sui ensis, cuilibet istius cunei vulnera iterando. Et hoc quia quando completam habemus dolentem stratam, nostra vulnera sunt prius reclusa quam ante ipsum aliquis nostrum vadat». Postquam vero Machumet ista enarrasset autori, ipsum interrogat dicens: «Sed tu quis es, qui super scopulum quasi otiosando moraris, forte quia differs ire ad penam que super tuas accusationes noscitur iudicata?» Ad que verba Virgilius sic respondit: «Nec mors eum adhuc invasit, nec ad tormentandum culpa aliqua ipsum ducit. Sed ut dem illi plenam experientiam, michi qui sum mortuus convenit ipsum ducere per infernum huc inferius de giro in girum, et hoc est verum sicut est verum quod tibi loquor». Tunc plus quam centum anime que ista verba Virgilii audiverunt in illo fossato se firmarunt ad contemplandum autorem, pro quodam quasi mirabili sua martiria oblivioni tradendo. Audiens autem Macumeth responsionem a Virgilio sibi factam, ait ad Dantem: «Dicas ergo fratri Dulcino, o tu qui forte videbis solem in brevi, quod si non vult hic cito me sequi, quod victualibus sic se armet, quod coartatio nivis Noarensibus victoriam non reportet, quia aliter nequaquam acquirere leve esset». Et hoc dicto, Macumeth ab autore recessit.

vv. 64-102

Post recessum vero Machumeth, unus alius qui habebat gulam perforatam, et nasum usque sub ciliis detruncatum, et qui non habebat nisi unam auriculam solam, firmatus cum aliis ad videndum admirative autorem, ante alios aperuit guttur quod erat ex omni parte exterius rubicundum, et ait: «Tu quem culpa non condemnat, et quem ego in terra latina conspexi, si similitudo nimia me non fallit, recordare Petri de Medicina, si unquam reverteris ad videndum dulce planum qui a Vercellis ad Marchabo declinat. Et facias notum duobus melioribus de Fano, domino scilicet Guidoni et Angelello, quia si previdere hic non est vanum, eiecti erunt de ipsorum vase et submersi prope Catholicam, proditione unius iniqui tyranni nequiter operante. Inter insulam certe Cypri et Maiorice nunquam vidit tam grande scelus Neptunus – subaudi perpetratum – non a pyratis, non a gente Argolica, idest Greca. Ille enim proditor, qui cum uno – subaudi oculo – videt solum, et tenet terram quam, talis est hic mecum ieiunus videndi protinus esse vellet, faciet ipsos ad colloquendum secum venire, postea faciet sic quod adventum Focarie non erit opus vota facere sive preces». Auditis autor verbis et vaticinio Petri de Medicina ait ad eum: «Demonstra michi, et me, queso, declara, si vis ut tua verba superius ego portem, quis est ille visionis amare». Tunc ille posuit manum ad mandibulam unius sui socii, et os illius aperiens exclamavit: «Iste», inquit, «est ille de quo – supple tibi dixeram – et non fatur. Iste expulsus – subaudi de Roma – dubitare submersit, idest fugavit, in Cesare, affirmando quod munitus cum danno semper sustinuit expectare». Et hic exclamat autor contra

illum qui sibi fuerat demonstratus. O quantum, inquit, michi videbatur attonitus cum lingua in faucibus amputata Curio, qui ad dicendum adeo fuit audax.

vv. 103-142

Et unus alius qui ambas manus habebat incisas, elevando per fuscum aerem brachia mutilata, ita quod sanguis faciem deturpabat, exclamavit ad Dantem: «Reminiscaris etiam de Musca, heu qui dixi <Res facta caput habet>; quod quidem dictum pro gente tusca fuit – subaudi exemplariter – malum semen». Et Dantes illico sic subiunxit: «Et mors etiam tue tribus». Unde ille Musca, accumulando dolorem cum dolore, recessit ab eo sicut persona tristis et victa. Sed ego – subaudi Dantes – remansi ad videndum exercitum – subaudi qui per illam bulgiam pertransibat – et vidi unam rem quam ego timerem solus sine pluri probatione – idest autentico testimonio – decantare, nisi quod meam conscientiam bona societas – subaudi Virgilii – assecurat, que quidem bona societas hominem facit francum sub lorica sentiendi se puram. Quid autem viderit, subiungendo declarat dicens: Ego vidi certe, et adhuc michi videtur ut videam, unum corpus humanum sine capite ita ire sicut ibant alii mesti gregis. Et caput truncum tenebat per crines suspensum cum manu ad modum laterne, et illud respiciebat nos et dicebat: «Heu michi». De se faciebat sibi ipsi lucernam, et erant duo in uno et unus in duobus. Quomodo istud potest esse, ille scit qui se gubernat. Quando autem ad pedem pontis fuit, brachium in altum cum toto capite elevavit, ut appropinquaret ad nos verba sua, que fuerunt: «Vide, queso, penam molestem, tu qui spirando vadis videndo defunctos. Vide si est grandis aliqua sicut ista. Et ad hoc ut tu de me nova reportes, scias quod ego sum Beltramus de Bornio, ille scilicet qui dedi regi Iohanni malas confortationes. Ego feci patrem et filium in se ipsos rebelles. Achitophel certe de Absalone et David cum iniquis persuasionibus non plus fecit. Et quia ego divisi ita coniunctas personas, ideo porto, heu me miserum, cerebrum meum a suo principio separatum; quod quidem principium in isto trunco consistit. Et sic in me observatur contrapassus». Ideo ait in textu:
così s'osserva in me lo contrapasso.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Chi poria mai pur con parole sciolte
dicer del sangue et de le piaghe a pieno
ch'i' ora vidi,
etc.

Volens autor de nona bulgia, in qua sunt scismatici, pertractare, dicit quod nullus homo posset cum verbis simplicibus vel solutis ad plenum de plagis que vidit et sanguine pertractare. Et ista impossibilitas oritur ex duobus: Primum est novitas et diversitas pene qua ita sunt diversis plagis et vulneribus scismatici lacerati, quod nullus posset ad plenum illa veraciter enarrare. Ideo ait: Quis posset unquam enarrare ad plenum de plagis et sanguine quas et quem ego nunc vidi? Quasi dicat <nullus>. Secundum est insufficientia lingue et mentis. Nam in lingua multotiens est defectus narrandi, quia vocabula sepe sepius factis et operibus non respondent. Unde multotiens homo dicit: Ego non possem verbis exprimere mala et scelera que hic fecit, vel lamentationes et suspiria que audivi. Unde Ovidius, VIII Meth., ubi loquitur de dolore et gemita sororum Meleagri, considerans insufficientiam lingue pariter atque mentis ait:
Non michi si centum deus ora sonantia linguis
ingeniumque capax totumque Elicona dedisset,
tristia prosequerer miserarum vota sororum.
Mens etiam non potest omnia, que videt oculus, retinere.

vv. 4-21

Ideo subsequitur in textu:
Ogni lingua per certo verria meno
per lo nostro sermone et per la mente
c'ànno a tanto comprender poco seno.
S'e' s'aunass'ancor tutta la gente
che già, in su la fortunata terra
di Pullia, fu del su' sangue dolente
per li Romani et per la lungha guerra
che de l'anella fè sì alte spoglie,
come Livio scrive, che non erra,
con quella che sentì di colpi doglie
per contastare a Ruberto Guiscardo;

et l'altra il cui ossame ancor s'accollie
a Ceperan, là dove fu bugiardo
ciascun Pulliese, et là da Talliacozzo,
ove sanz'arme vinse 'l vecchio Alardo;
et qual forato su' membro et qual mozzo
mostrasse, d'aequar sarebbe nulla
il modo de la nona bolgia sozzo.

In his XV rithimis autor duo facit: Primo, inducit omnia famosa bella et prelia, memorando, que in Apulia facta sunt a principio quasi urbis Rome usque ad tempora quasi nostra. Secundo, concludit dicens quod si omnes ille gentes que in dictis preliis ceciderunt adunarentur in unum, et quilibet suum membrum ostenderet, unus perforatum, alius detruncatum, illa talia vulnera atque plage nil quasi essent respectu vulnerum et plagarum quas in ista bulgia nona vidit. Prelia autem predicta sunt ista: In Apulia enim pugnarunt primo Romani cum multis populis bellicosis, et maxime, sicut scribit Titus Livius in prima sua decada, cum Equis, Sannitibus, et Lucanis; fuerunt enim iste tres gentes mirabiliter bellicose, quas omnes Romani diversis preliis debellarunt; et tandem ipsarum civitates et specialiter Sannii, propter verecundiam quam Romani apud furcas caudinas ab ipsis Sannitibus receperunt, funditus deleverunt. Cecidit autem in dictis bellis multitudo maxime Romanorum, sed multo plures de dictis Equis, Sannitibus, et Lucanis. Et ista prelia tangit autor in textu, ibi:

S'e' s'aunass'ancor tutta la gente
che già, in su la fortunata terra
di Pullia, fu del su' sangue dolente
per li Romani

Vere tota illa gens superius nominata de suo sanguine per Romanos fuso atque dileto fuit dolens. Postquam vero autor generalia prelia que fuerunt inter Apulos et Romanos sub quadam generalitate tetigit, sicco pede subsequenter ad specialia sic descendit, dicens:

et per la lunga guerra
che de l'anella fè sì alte spollie,
come Livio scrive, che non erra,

Et tangit hic quatuor diversa prelia que sunt ista: Primum nanque fuit inter Romanos et Cartaginenses; Cartaginenses enim, duce Anibale, Ytaliam intraverunt. Fuerunt autem LXXX milia pedites et viginti milia equites, sicut scribit Livius De Secundo Bello Punico, libro primo. Et fecit guerram in dicta Ytalia dictus Anibal per annos sedecim cum Romanis, ut scribit idem Livius de eodem Bello Punico, libro X. Inter alia vero diversa bella que dictus Anibal habuit cum Romanis, fuit illud famosum bellum quod cum eisdem conseruit apud Cannas. Quod quidem bellum, ut scribit Livius de eodem Bello Punico, libro secundo, hoc ordine factum est: castrametante nempe Anibale in Apulia apud Cannas, duo consules romani, Paulus Emilius et Varro Terrentius, contra Anibalem cum multitudine maxima Romanorum exeunt pugnaturi. Romani stabant versi in meridie; Peni vero, idest Cartaginenses, in septentrione. Bellum contradicente Paulo, incipitur a Varrone. Ventus vulturnus oritur, pulverem levat, et in ora et oculos proicit Romanorum. Fit pugna valida inter Romanos et Penos. De Romanis occiduntur XI milia pedites, et duo milia septingenti milites. Capti vero sunt duo milia peditum et trecenti equites. Varro cum quinquaginta equitibus fugit Cannas. Paulus vero Emilius, alter consul, dum vulneratus sederet in saxo, fuit a quodam milite Lentulo Romano vocatus. «Paule Emili», Lentulus inquit, «quem unum insontem culpe cladis hodierne dici respicere dii deberent, cape hunc equum dum tibi virium aliquid superest. Comes itaque ego te tollere possum ac protegere, ne hanc pugnam Romanis funestam, Cartaginensibus vero claram, velis facere tua morte». Ad quem consul: «Lentule, vade Romam, annuntia publice patribus ut urbem Romanam muniant, ac prius quam hostis victor adveniat, presidiis firment ipsam. Privatimque Sabio maximo dicas preceptorum eius me memorem extitisse, sed ipsa die qua pugnatum est Verro tenebat imperium, meque inconsulto processit ad bellum». Et his dictis, recedente Lentulo supervenientibus Penis interfectus est ipse Varro. Peracta ista victoria apud Cannas, Maharbal prefectus equitum Anibalis ait ad ipsum: «Sine ulla mora perge Romam; die quinto in Capitolio epulaberis. Tolle moram, ascende equum, evola Romam; ut prius te Romani venisse sentiant quam audiant te venturum». Tunc Anibal ait ad Maharbalem: «Consilio opus est». Cui Maharbal: «Non omnia nimirum dii tibi dederunt. Vincere scis Anibal; victoria uti nescis». Ipsa die qua Anibal habuit victoriam de Romanis quievit, altera vero die ad spolia legenda consurgit. Quidam Romani inter mortuos reperti sunt vivi, qui cruribus amputatis, capita Penorum manibus detinebant, et eorum sanguinem manibus ore lambebant. Quidam autem Romanus inventus est, qui habens brachia amputata uni Numide nasum et aures dentibus detruncabat. Collectis autem spoliis, Anibal in signum victorie misit Cartaginem omnes anulos aureos et argenteos quos in digitis Romanorum invenit. Fuerunt autem isti anuli tres modii cum dimidio, idest tres cophyni et dimidium. Non enim accipitur hic modius pro modio qui habetur in Tuscia, qui est vigintiquatuor sextariorum frumenti, sed pro modio qui est quedam mensura librarum, scilicet quadraginta quatuor, ut dicit Ysidorus, XVI libro Ethimologiarum. Idcirco ait autor in textu:

come Livio scrive, che non erra,

Bene dicit <non erra>, quia veridicus scriptor fuit, ut patet in suis Decadis. Scripsit enim veridico stilo omnia magnalia Romanorum, ab urbe condita usque ad tempora sua per decem

decadas, et quidam dicunt duodecim. Est autem decada volumen continens decem libros. Fuit autem iste Titus Livius de Arpino, ut superius dictum est; et fuit tante autoritatis et tanta ystoriali eloquentia adornatus, quod a remotis partibus mundi ad ipsum videndum et audiendum multi magnates et nobiles concurrerunt. Unde beatus Ieronimus, in prologo galeato, sic ait: Ad Titum Livium eloquentie fonte manantem de yspaniarum galliarumque finibus quosdam nobiles Romam venisse legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxit, unius hominis fama produxit. Secundum bellum fuit inter Robertum Guiscardum et Apulos, de quo dicit autor:
con quella che sentì di colpi doglie
per contastare a Roberto Guiscardo;

Iste Robertus Guiscardus fuit unus valens baro de Flandria, qui cum militia bellicosa Apulie regnum intravit, et ipsum dimicando perdomuit, non tamen sine magna strage contradicentium Apulorum. Tertium bellum fuit inter Manfredum, Sicilie et Apulie regem, et Carolum, olim comitem Andegavensem. Pugnarunt ambo prope Beneventum, in loco enim qui dicitur Ciperanum, in quo bello suum regem Apuli dimiserunt et Karolo adheserunt. Unde ipse Manfredus fuit cum multitudine sui exercitus trucidatus. Ideo ait autor in textu:
Et l'altra il cui ossame ancor s'accollie
a Ceperan, là dove fu bugiardo
ciascun Puglese,

Quartum bellum fuit etiam in Apulia, in loco qui dicitur Talliacozzo, inter regem Corradum et Karolum antedictum. In quo bello dictus Karolus non armis, sed astutia unius sui militis, qui vocabatur Alardus, victoriam reportavit. Sed ut istius belli notitia habeatur, ipsam hic breviter et succinte ponemus. Corradinus enim dum esset in imperatorem electus, cum multitudine militum copiosa Ytaliam intravit, et volens prius cum inimicis certare quam coronam acciperet, in Apuliam contra Karolum pugnaturus accessit. Karolus autem obviam sibi venit, et videns potentiam Corradini, ad bellum procedere dubitabat. Cui Alardus ait: «Noli timere, sed fac id quod tibi dixero et bene tibi erit. Elige quidem unum militem tui habitus et stature et indue eum armis tuis, et ipsum tanquam regem cum tota gente tua mitte contra Theotonicos pugnaturum. Nos autem duo post talem montem cum quingentis militibus stabimus latitantes. Corradinus autem, dum videbit se esse potentiorem tua gente, contra tuos indisciplinate procedet; et dum tua gens adversariis terga dabit et Theotonici erunt ad spolia colligenda dispersi, nos uniti contra ipsos dispersos audacter et viriliter insurgemus». Quod cum omnia que ipse Alardus providerat evenissent, Corradinus a Karolo debellatus fugam iniit et ad quoddam castrum quod vocatur Asturi devenit. Intrans autem dictum oppidum, Corradinus ad quendam qui tenebat hospitium introivit et ait ad eum: «Quis est in hoc oppido maior homo?» Cui ille: «Ista terra est sub potestate et dominio duorum fratrum nobilium Romanorum, videlicet Iohannis et Iacobi de Frangepanis». Ad quem Corradinus: «Duc me, rogo, ad unum istorum». Ille autem continuo duxit illum ad Iacobum. Quem cum vidisset, Corradinus ait ad eum: «Domine, ego venio de exercitu Corradini et habeo in secreto aliqua vobis loqui». Quem ille apprehendens, in cameram suam duxit. Cui Corradinus; «Iacobe, ego scio te nobilem inter omnes esse Romanos, ideo tibi tanquam fideli principi Romani imperii manifestare me volo. Ego enim sum Corradinus, qui sicut Deus voluit de bello, licet debellatus, evasi. In tuis itaque manibus me committo». Ille autem illum recipiens dolose et callide sic respondit: «Domine mi, venisti ad servum tuum et ego te recipio tanquam dominum meum. Noli igitur timere et nec in aliquo contristeris, quia licet sis a Karolo debellatus, ex quo tua maiestas divina protegente gratia vivit illesa, adhuc poterimus exercitum instaurare et contra inimicos feliciter triumphare». Et his dictis, ipsum in quandam camaram introduxit, et ibi fecit eum occulte manere. Accipiensque unum nuntium ipsum cum suis licteris ad Karolum destinavit, significans sibi quomodo ad suum beneplacitum Corradinum habebat atque tenebat. Quod Karolus audiens, cum magna letitia cordis quingentos Gallos milites pro Corradino transmisit. Quem cum habuisset, statim una cum duce Austrie, comite Gerardo de Pisis et uno de Spinolis de Ianua vinculavit. Quos omnes post annum decapitari mandavit; quorum corpora iacent Neapolim apud locum nostrum ordinis de Carmelo. Et sic patet quomodo Carolus vicit Corradinum, non armis sed astutia senis Alardi, ut dictum est. Ideo dicitur in textu:
et là da Tagliacozzo
ove sanz'arme vinse 'l vecchio Alardo;

Sed quia mentionem fecimus de isto proditore romano, ideo remunerationes quas exinde habuit hic breviter explicemus. Mortuo itaque Corradino, immo potius immolato, ille proditor de Frangepanis, qui totum suum sanguinem maculavit, ad Karolum remunerationem sui sceleris expectans accessit. Quem Karolus in signum derisionis comitem sine comitatu effecit. Ille autem verecundia ductus in castro de Asturi, quia nemo ipsum videre volebat, viliter se inclusit. Germanus autem suus per medium castri unum murum fecit, ne viderent sui oculi proditorem. Mortuo autem illo proditore, fuit sepultus apud ecclesiam Sancte Marie Nove de Urbe, ubi omnes Frangepani ex consuetudine tumulantur. Uxor vero sua supra illud sepulcrum fecit pingi Virginem gloriosam suum filium in gremio baiulantem, et ad pedem ipsius Virginis fecit etiam pingi istum proditorem, genibus flexis et manibus iunctis ad Virginem elevatis; in qua pictura statim apparuit unum signum mirabiliter tremebundum. Nam ille manus scelerate que talem iuvenem in manus Karoli posuerunt statim in sua pictura effecte sunt nigerrime sicut carbo. Quod uxor illius proditoris audiens, statim pro pictore misit ut illas manus iterum dealbaret. Quas cum pictor colore superposito dealbasset, statim in pristinam nigredinem sunt reverse. Uxor autem dolens ac etiam verecundans, iterum et

iterum ipsas manus dealbari mandavit; que semper in eandem nigredinem vertebantur. Ad ultimum autem pictor illas manus amputavit, colores et calcem usque ad muri parietem extrahendo, et de novo calcem candidam ibi ponens, illas manus sacrilegas colore quantum potuit niveo resarcivit. Que ut prius in nigredinem sunt mutate. Frater autem eius, quando venit ad mortem, in testamento suis heredibus sic precepit: Relinquo vos bonorum meorum heredes, hoc videlicet pacto, ut me in sepulcro proditoris me ponere nullatenus debeatis. Si vero ibi sepultus fuero, ex nunc mea hereditate vos privo. Et ustud testamentum omnis alii de dicta domo postea sunt secuti.

vv. 22-24

Già veggia, per mezzul perdere o lulla,
com'i' vid'un, così non si pertugia,
rotto dal mento infin ove si trulla.

Licteram sic construe: Iam veges, quando perdit tympanum sive axem collateralem, non sic perforatur vel aperitur sicut ego vidi apertum unum a mento usque ad anum. Ista tria nomina, scilicet *veggia*, *mezzule* et *lulla*, primum est vocabulum Lombardorum, reliqua vero duo sunt Florentinorum. *Veggia*, idest veges; *mezzule* est illa axis que est in medio fundi vegetis; *lulla* vero est axis collateralis, que formam medie lune habet.

vv. 25-27

Tra le gambe pendevan le minugia;
la curata pareva e 'l tristo sacco
che merda fa di quel che si trangugia.

Hic incipit de scismaticis exemplariter pertractare. Et primo facit mentionem de Machumeth, qui magnam divisionem seminavit in mundo. Scisma enim tantum valet quantum <divisio>. Ipse enim Macumeth magnam divisionem fecit in mundo quando tantam gentem que sarracenice vivit ab utero Ecclesie separavit. Et quia uterum violavit Ecclesie, ideo divisus in ventre a mento usque ad anum hic ponitur ab autore. Sed quia ystoriam ipsius Machumeth multi ignorare probantur, ideo ipsam hic elucidare proposui. Imperante enim Eraclito, quidam Saracenus de Arabia, falsus propheta et grandis magus, Agarenos sive Ismaelitas seu Sarracenos in suam sectam et heresim taliter congregavit. Nam tribus spetialiter nominibus nominantur, scilicet Agareni ab Agar, famula Abraham, de quo nati sunt, Ismaelite ab Ysmaele, filio Abrahe, quem de Agar genuit Abraham. Ipsi autem, se nobilitare volentes, dicunt se natos de Sarra, uxore Abraham; ideo se Sarracenos appellant. Quidam enim clericus valde sapiens et famosus, vel ut alii dicunt quidam monacus nomine Sergius, vel secundum alios quidam archidiaconus Anthyocenus, cum in curia Romana honorem quem cupiebat assequi non valeret, in Arabiam est profectus; ibique sua predicatione et simulata sanctitate innumerabiles populos ad se traxit. Hic itaque, sive clericus sive monacus, quendam Sarracenum puerum, Machumeth nomine, educavit; quem ad suos mores trahens, ipsum de Novo et Veteri Testamento instruxit. Et quandam columbam candidam ita nutrivit, quod nisi in aure Macumeth cibum nullatenus capiebat. Populisque predicans aiebat quod natus erat inter ipsos quidam summus propheta, in cuius nomine gens ipsa salvari debebat; et quod Deus sibi revelaverat quod in quadam sua predicatione populo adunato ipsum prophetam per descensum Spiritus Sancti in spetie columbe manifestaret. Sicque factum est ut, illo predicante, ista columba sicut iste clericus ordinaverat super populum est emissa. Que circumvolans super humerum Machumet, qui erat in populo, mox descendit, et iuxta morem suum rostrum in aurem illius infixit. Unde populus ludificatus Spiritum Sanctum esse credidit, et sibi tanquam vero Dei nunctio obedivit, intantum quod ipse Machumeth una cum ipsis Saracenis regnum Persidis ac orientalis imperii usque ad Alexandriam invaserunt. Macumeth igitur magistrum suum in secreto deinceps occulte tenebat, et secundum sua consilia in omnibus se habebat, ipsumque esse Michaelem Archangelum cum quo loqueretur fingebat, propriasque leges condens ipsas a Spiritu Sancto, qui in spetie columbe que sepe, vidente populo, super eum volabat, se recepisse mentiebatur; in quibus legibus quedam de utroque Testamento inseruit. Unde, secundum ritum Iudeorum, Sarraceni circunciduntur, carnesque porcinas non comedunt. Cuius rei rationem cum vellet Machumeth populo assignare, dixit quod ex fimo cameli porcus post diluvium fuerit procreatus; et ideo, tanquam immundus, a mundo populo est vitandus. Cum Christianis autem conveniunt, quia credunt unum solum Deum omnium creatorem. Asseruit etiam quod Moyses fuit magnus propheta, sed Christus maior, et summus omnium prophetarum, natus ex Maria Virgine virtute Dei, absque operatione humana. Ait etiam in suo Alcorano quod Christus, dum adhuc puer esset, volucres de limo terre creavit et ipsas volare fecit. Sed venenum immiscuit, quia Christum non vere passum nec vere resurrexisse dixit. Multas etiam leges promulgavit, quarum multas de mosayca lege accepit. Sepe nanque Sarraceni se lavant, et maxime cum orare debent. Verenda enim sua manus, brachia, faciem, et os et omnia membra corporis abluunt, ut mundius orent. Orantes autem unum confitentur Deum, qui nullum equalem vel similem

habeat. In anno quoque integrum mensem ieiunant; ieiunantes autem nocturno tempore comedunt, diurno vero ieiunant. Sextam feriam solennizant, sicut Iudei sabbatum et Christiani diem dominicam venerantur. Et hoc quia tota gens Arabum ante Machumeth Venerem adorabant; hinc est quod usque hodie diem Veneris venerantur. Semel autem per singulos annos, causa recognitionis, ad domum Dei qui est in Meccha ire precipiuntur; quam domum dicunt Adam construxisse, omnibusque filiis eius et Abraham et Ismaeli locum orationis fuisse.

Quatuor uxores legitimas ipsis habere licet, et quamlibet tertio repudiare et rursus recipere, ita tamen ut quaternarium numerum non transcendant. Macumeth autem dixit sibi a domino angelo Gabriele nuntiante fuisse concessum quod ad aliorum uxores posset accedere, ut viros virtuosos et prophetas in illo populo generaret. Quidam autem Sarracenus unam pulcram uxorem habebat quam Macumeth intime diligebat, quam quia Macumeth loquentem invenit, ipsam a se eiecit. Quam Macumeth recipiens, ipsam inter suas uxores alias manere mandavit. Timens vero ex hoc murmur populi, cartam sibi de celo delatam confinxit, in qua continebatur quod quilibet Sarracenus posset alienam uxorem a suo viro repudiatam pro sua recipere et tenere. Quod Sarraceni usque hodie pro lege observant. A vino autem semper abstinere iubentur. Servantibus vero hec et alia legis mandata promisit Deus ut asserunt paradisum, idest ortum delitiarum, aquis preter fluentibus irrigatum; in quo sedes habebunt perpetuas, nec frigore aut estu aliquo affligentur; omnibus ciborum vescentur generibus. Quicquid appetierunt statim invenient coram se; vestimentis sericis induentur, et speciosis virginibus coniungentur. In delitiis omnibus accubabunt, quibus angeli more pincernarum cum vasis aureis et argenteis ministrabunt. Hunc pseudo prophetam, scilicet Macumeth, Sarraceni tenebris involuti spiritum prophetie super omnes prophetas habuisse affirmant; et decem angelos sibi faventes et ipsum custodientes eum habere predicant. Aiunt quoque ipsi miserrimi Sarraceni quod antequam Deus celum et terram creasset, nomen Macumeth in conspectu Dei astabat, et nisi ipse Macumeth futurus fuisset, nec celum nec terram nec paradisum unquam fuisset. Venenum insuper sibi in carne agnina oblatum fuisse dicunt, agnus autem locutus est ei dicens: «Cave ne me comedas, quia in me venenum habeo». Et tamen post plures annos veneno vitam finivit.

Propter scisma igitur quod seminavit in mundo, propter quod filii Agar a Christianitate sunt divisi, Macumeth a mento usque ad anum divisus in ista nona bulgia ponitur ab autore. Ideo ipse Macumet ait in subsequentibus ad autorem: «Vedi come scoppiato è Macometto!» et loquitur de se tanquam de alio.

vv. 31-33

Postquam vero Macumeth se per penam et per nomen manifestavit autori, ostendit sibi magistrum suum, cuius doctrina et consilio in illo scismate triumphavit, dicens:
Dinanzi a me sen va piangendo Alì,
fesso dal mento infin sus'al ciuffetto.
Iste enim Aly fuit magister Machumeth qui quomodocunque a Christianis dicatur clericus vel monacus extitisse, et secundum quosdom Sergius vocitetur, ab ipsis Sarracenis vocitatur Alì. De quo autor in lictera duo ponit: Primum est quod per illam bulgiam Macumet eiulando precedit, ibi: «Dinanz'a me sen va piangendo Alì». Secundum est quod divisus in facie a mento usque ad sinciput, ibi: «fesso dal mento infin suso al ciuffetto». Ista enim duo culpam Alì mistice preostendunt. Nam iste Alì instruxit de erroribus Macumeth; et ideo sicut precessit ipsum in culpa, ita ipsum precedit in pena. Preterea, Aly Divinam Scripturam, que est facies Dei, quia per ipsam cognoscitur Deus, sicut per faciem cognoscitur homo erroris, ense divisit, idcirco divisam portat faciem in inferno.

vv. 34-36

Sequitur:
E tutti li altri che tu vedi qui,
seminator di scandalo et di scisma
fur tutti, però son fessi così.

In hiis verbis dicit Macumeth quod omnes de ista bulgia fuerunt seminatores scandali et scismatis; et ideo omnes sunt ita divisi. Ubi nota quod in ista bulgia duo peccata poetice sunt locata, scilicet scisma et scandalum. Et est scisma peccatum quo quis aliquem vel aliquos ab unitate Ecclesie separat, vel seiungit. Scandalum vero est offensio qua quis verbo vel facto societatis vel amicitie dividit unitatem. *Scandalum* enim grece, latine dicitur <offendiculum>. Si autem queras unde ista duo oriuntur peccata, dico quod oriuntur a malitia. A propria enim hominis malitia procedit, que dyabolicam malitiam imitatur, scismata et scandala seminare.

vv. 37-39

Un diavol è qua dietro che n'accisma N'accisma, idest nos vocat, *al tallio de la spada*. Nam *accio, accis*, tantum valet quantum <voco, –as>. *rimettendo ciascun di questa risma: Risma*, idest <acies> sive <cuneus>.

vv. 40-54

quand'avem volta la dolente strada; Lictera plana est usque ibi:
per maravillia, obliando 'l martiro.

vv. 55-60

Sequitur:
«Or di' a fra Dolcin dunque che s'armi,
tu che forse verdrai 'l sole in breve,
s'elli non vol qui tosto seguitarmi,
sì di vivanda, che stretta di neve
non rechi la victoria al Navarrese,
c'altramente acquistar non saria leve».

Verba sunt Macumeth ad autorem. Et loquitur hic Macumeth de quodam scismatico valde magno, qui circa annos domini MCCC maximum scisma in Ecclesia voluit seminare. Sed operante clementia Salvatoris, qui suam Ecclesiam super firmam petram fundavit, ille scismaticus sua fuit intentione frustratus. Istoria talis est: Anno enim millesimo trecentesimo, tempore scilicet Bonifatii pape, fuit in provincia Lombardie quidam scismaticus nomine frater Dulcinus, qui in nigromantia plurimum prevalebat. Hic itaque in montibus Novarie, quia locus fortis erat, cum quibusdam suis complicibus ad habitandum se posuit; ibique quosdam clericos et laycos congregavit; quibus congregatis se papam fecit et cardinales aliquos ordinavit. Sibi autem et cuilibet cardinali ac etiam cuilibet clerico uxores singulas assignavit. Omnes etiam ad se venientes clericos recipiebat, et cuilibet uxorem propriam assignabat. Laycis autem stipendia ministrabat. Ab omni voto et omni peccato ad se venientes protinus absolvebat; montes vero in quibus habitabat diabolica custodia per artem magicam sic munivit, quod nullus vivens terminos ab ipso positos modo aliquo poterat pertransire. Pecunia autem quam suis stipendiariis dabat, aurea apparebat infra terminos montium predictorum. Sed si quis vellet ab eo recedere, statim quod terminos suos transibat, non de auro sed corio illa pecunia videbatur. Multos exercitus contra se venientes per artem magicam de suis terminis effugavit. Totam contratam per circuitum derobabat. Solummodo victualia et homines capiebat, quibus captis non pecuniam sed solum frumentum, vinum, oleum et cetera que ad victum pertinent imponebat. Et ideo ait Machumeth in verbis premissis autori: «Dicas fratri Dulcino quod si non vult hic cito me sequi, quod se muniat victualibus unde vivat, et hoc faciat antequam nives montes operiant; quia si nives impedient ipsum ne valeat suos milites pro victualibus mittere discurrendo, Novarienses qui montes obsident de ipso victoriam obtinebunt. Quod sic factum est. Nam mortuo Bonifatio ac etiam Benedicto, qui sibi in papatu successit, Clemens quintus, qui post Benedictum fuit pastor Ecclesie, misit in Ytaliam dominum Neapoleonem sancti Adriani cardinalem diaconum pro legato; qui quidem cardinalis cum potentia Lombardorum et balistariis Ianuensium scismaticum illum obsedit. Quem cum auxilio Dei cepisset, cum suis clericis concremavit.

vv. 61-63

Poi che l'un piè per girsene sospese,
Macometto mi disse esta parola;
indi a partire in terra lo distese.

Verba sunt autoris dicentis quod cum Macumeth vellet ab eo recedere, quod unum pedem ad terram suspendit et dixit sibi illa ultima verba, videlicet «Or di a fra Dolcin dunque che s'armi, etc.».

vv. 64-66

Sequitur:
Un altro, che forat'avea la gola
et tronco 'l naso infin sotto le cillia,
et non avea ma' c'una orecchia sola,

Iste alius, qui habebat gulam perforatam, nasum detruncatum, et unam auriculam amputatam, fuit unus de comitatu Bononiensi, qui vocatus fuit in vita Petrus de Medicina. Est autem Medicina unum castrum in comitatu Bononie. Hic itaque Petrus delectabatur sussurando scandala seminare; et quotquot videbat aut consanguinitate aut benivolentia iunctos, dividere conabatur. Et quando

audiebat scandala aliorum, summo gaudio exultabat. Idcirco in tribus partibus sui corporis est punitus: primo in gutture, unde sursurrum procedit et unde risus oritur fraudulentus; secundo in aure, quam scandalosis relationibus porrigebat; tertio in naso, quia de confusione que ex scandalis nascitur letabatur. Nam de nullo membro perdito faciei homi ita confunditur ut de naso. Et quia iste letabatur de confusione alterius, ideo suo est honore privatus. Iste igitur scandalosus, videns autorem et ipsum recognoscens, duo breviter sibi facit.

vv. 70-78

Nam primo se manifestat eidem, dicens:
«Tu cui colpa non condanna
et cu' io vidi in su terra latina,
se troppa simillianza non m'inganna,
rimembriti di Pier da Medicina»,

Secundo, imponit sibi unam ambaxiatam quam portet duobus nobilibus viris de Fano, qui adhuc vivebant, quorum unus vocabatur Guido et alius Angelellus, ibi:
se mai torni a veder lo dolce piano
che da Vercelli a Marcabò dichina.
Et fa sape' a' due millior da Fano,
a messer Guido et anco ad Angiolello,

Fanum est quedam civitas in Marchia Anconitana, iuxta Romandiolam, que quidem civitas est sita in medio duarum terrarum. Nam ex parte Marchie est Vercelli; ex parte vero Romandiole, in ipsa scilicet Romandiola, est Marcabò, et in planitie que est in medio istarum terrarum est Fanum. Dicit itaque vaticinando, idest futura predicendo, Petrus de Medicina ad autorem: «Si unquam redibis ad videndum Fanum, notifica duobus melioribus viris illius terre quod, si previdere hic non est vanum, ipsos iam video in mari submersos». Et modum et locum declarando subiunxit.

vv. 79-81

Locum quidem ibi:
gittati saran fuor di lor vasello,
et mazzerati presso a la Catolica

Catholica est quoddam castrum in mari Adriatico, positum in finibus Romandiole inter Ariminum et Fanum. Modum vero ponit ibi:

per tradimento d'un tiranno fello.

vv. 82-90

Quis vero fuerit iste tirannus, subiungendo declarat ibi:
Quel traditor che vede pur con l'uno,
et tien la terra che tal è qui meco
vorrebbe di veder esser digiuno,
farà venirli a parlamento seco;
poi farà sì, c'al vento di Focara
non farà lor mistier voto nè preco.

Istoria est ista: In Arimino enim dominabatur tunc temporis dominus Malatesta, qui solum unum oculum possidebat. Ideo dicitur in textu:
Quel traditor che vede pur con l'uno,

Et quia dominatur in Arimino, sequitur:

et tien la terra che tal è qui meco

vorrebbe di vedere esser digiuno,

Loquitur enim hic de Arimino, ut paulo post clarius apparebit. Iste itaque dominus Malatesta duos nobiles de Fano, quorum unus dicebatur Guido et alius Angelellus, sub fraude et dolo secum ad colloquium convocavit. Quos cum convocasset, in mari Adriatico prope Catholicam submergi mandavit, in quodam scilicet loco qui Focaria appellatur. Et est Focaria quidam locus valde periculosus in illo mari ubi naves multotiens naufragium patiuntur. Et quia ille locus est ita nautis infestus, ideo naute inde transeuntes Deo et sanctis pro ipsorum liberatione preces et vota persolvunt. Ideo dicitur in textu:
farà venirli a parlamento seco;
poi farà sì, c'al vento di Focara
non sarà lor mistier voto nè preco.

Et ad detestationem istius proditoris ponit hic Petrus de Medicina, quod nunquam Neptunus deus maris tam magnum malum in mari perpetrari conspexit a gente argolica vel pyrratis. Ideo ait in textu:
Tra l'isola di Cipri e di Maiolica
non vide mai cotal fallo Neptuno,
non da pirrate, non da gente argolica.

Cyprus est insula in capite maris Mediterranei versus orientem posita, nobile quidem regnum et antiquitus valde dite. De quo ait Ysidorus, XIIII libro Eth.: Ciprus insula a civitate Cypro, que in ea est, dicta. Ipsa est et Pafon Veneri antiquitus consecrata. Hoc etiam testatur Ovidius, X libro Meth.: «Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro». Fuit autem Cyprus famosa quondam divitiis et maxime eris. Ibi enim prima huius metalli inventio et utilitas fuit. Maiorice vero sunt due insule in eodem Mediterraneo mari versus occidentem site, que insule antiquitus Baleares dicte sunt, ut eodem libro dicit Ysidorus. In his insulis, secundum eundem Ysidorum, primo invente sunt funde ad lapides iaciendos. Unde Ovidius, secundo libro Meth.:
Non secus exarsit, quam cum Balearia plumbum
funda iacit.
Neptunus autem pro mari ponitur. Sed quia pagani in omnibus elementis deos ponebant, ideo Neptunum deum maris appellant. Et dicitur Neptunus quasi <nube tonans>, ut dicit Ysidorus, VIII libro Eth. Vult itaque dicere hic autor quod nunquam in toto mari Mediterraneo, quod est situm inter Cyprum et insulas Maioricanas, vidit Neptunus, idest visum fuit in mari, tam grande facinus sicut fecit dominus Malatesta; non certe a pyrratis vel gente argolica perpetratum. Pyrrate sunt maximi predones, et dicuntur a *pyr* quod est <ignis>, quia pyrrate ignem ad iaciendum primitus portaverunt, ut dicit Uguicio. Argolici vero sunt Greci qui mare pyrraticis antiquitus depredationibus infestabant. Et dicuntur Argolici a quadam civitate que dicitur Argos, secundum Ysidorum.

vv. 91-93

Et io a lui: «Dimostrami et dichiara,
se vuo' ch'i' porti sù di te novelle,
chi è colui de la vendetta amara».

Verba sunt Dantis ad Petrum de Medicina. Dixerat enim Danti superius iste Petrus quod dominus Malatesta tenebat terram de Arimino quam unus qui secum erat nunquam voluisset suis oculis conspexisse. Unde Dantes, volens de illo notitiam reportare, ait ad dictum Petrum: «Si vis ut tuam ambaxiatam superius ego portem, demonstra michi illum qui ad suum opus Ariminum male vidit». Tunc Petrus de Medicina, ad maxillam unius sui socii manum extendens, ait: «Iste qui non loquitur ipse est». Causa autem propter quam non loquebatur erat quia linguam habebat radicitus extirpatam; et adiungens ait: «Iste expulsus – subaudi de Roma – dubitationem submersit in Cesare, affirmando quod ille qui est munitus semper ad suum dannum distulit quod intendit». Iste, re vera, fuit unus magnus iudex et advocatus romanus, qui Curio vocabatur, cuius ystoriam tangit Lucanus in primo. Que talis est: In civitate enim romana fuit quidam magnus advocatus, nomine Curio, qui linguam venalem habebat. Nam pro pecunia contra mores bonorum Romanorum cuncta iura vendebat. Hic itaque Curio illo tempore quo Iulius Cesar de partibus redierat gallicanis et in Arimino moraretur, erat totus contrarius ipsi Iulio, et nullo modo volebat quod Iulius in suo reditu triumphum more victoris haberet in urbe. Et in hoc conformabat se voluntati Pompei, Catonis, Marcelli, Bruti, et omnium bonorum, breviter, Romanorum. Iulius vero, dum esset in Arimino, non valens ad urbem cum armis et triumpho redire, quia hoc erat sibi a Romanis protinus interdictum, eo quod quinque annis steterat contra mandata senatus in Gallia, misit ad Curionem non modicum auri pondus et spolia gallicana, ut pro se apud populum de cetero allegaret ac etiam advocaret. Curio autem, viso auro, quod excecat etiam oculos sapientum, linguam mutavit et cepit pro Iulio advocare. Quod ut Pompeius animadvertit, statim cum quibusdam tribunis qui iam ad persuasionem Curionis favebant Iulio, de urbe fugavit. Isti autem expulsi, una cum Curione Ariminum ad Cesarem accesserunt. Ad quem audax Curio sic lingua venali profatur: «Dum tue partes, o Cesar, mea potuerunt voce iuvari, et tibi imperium procurabam et milites ut tibi faverent quantum poteram exhortabar. Sed postquam

mee leges bello siluerunt, quia mandato Pompei plus tuam partem fovere nequibam pellimur e patriis laribus nunc coacte. Sed iam patimus libenter exilium, quia tua nos facies victoria cives. Et ideo, quia Romani milites trepidant, quia se firmare nesciunt utrum tibi faveant vel Pompeio:
Tolle moras; semper nocuit differre paratis.
Par labor atque metus, pretio maiore petuntur.
Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum! facili si prelia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi,
Excipit aut sacras poscunt Capitolia lauros;
Livor edax tibi cuncta negat, gentesque subactas
Vix impune feres. Socerum depellere regno
Decretum est genero; partiri non potes orbem
Solus habere potes.

Et ideo tolle moras et versus urbem dirige aquilarum victricia signa tua. Huius igitur Curionis verbis venalibus Cesar accensus, versus Romam concito gradu volavit, urbem armatus intravit, erarium spoliavit, populum trucidavit, patres conscriptos exulare coegit, et multa alia mala fecit.

vv. 100-102

Et ideo, quia tot mala Curio sua venali lingua commisit, idcirco autor facit hic quandam exclamationem more poetico dicens:
O quanto mi parea sbigottito
co' la lingua tagliata ne la strozza
Curio, c'a dir fu così ardito!

Sed non credas, o Lucane, quod istum Curionem etiam in hac vita divina iustitia dimiserit impunitum. Nam, Lucano narrante, Iuba rex Libie ipsum Curionem quem Cesar in Siciliam miserat frumentatum ad Affricana litora, sicut Deus voluit applicantem, capite detruncavit, ipsumque insepultum tanquam canem in arena libica dereliquit. Unde Lucanus in quarto exclamans inquit: «Quid nunc tibi prosunt, o Curio, rostra forumque in quibus iura dabas populis? et in quibus arma eisdem contra socerum et generum ministrabas? Ante iaces quam dira Pharsalia videat tuos duces, tibique negatum est videre civile bellum quod tam anxie expectabas. Et ecce nunc nobile corpus tuum, o Curio, nullo contentus busto, libicas pascit aves. Gallorum captus spoliis et Cesaris auro». Hoc dicit quia Cesar emit, sed ille vendidit urbem.

vv. 103-108

Et un c'avea l'una et l'altra man mozza,
levando i moncherin per l'aura fosca,
sì che 'l sangue facea la faccia sozza,
gridò: «Ricorderatti anche del Mosca,
che dissi, lasso! <Capo à cosa facta!>
che fu 'l mal seme per la gente tosca».

Iste fuit unus miles de Lambertis de Florentia, qui uno solo verbo tantam divisionem et tantum scandalum in Florentia seminavit, quod nunquam dicta Florentia postea quieta pace quievit. Suo enim tempore Guelfi et Gebellini in Florentia simul erant. Accidit autem quod Gebellini parentelam cum Guelfis contrahere voluerunt. Unde quandam nobilem puellam ex ipsis uni militi Guelfo, domino scilicet Buondelmonti de Buondelmontibus, in uxorem dederunt. Guelfi autem in tantum dictum dominum Buondelmontem contra Gebellinos incitaverunt, quod ipse dictam parentelam contra promissiones et pacta noluit observare. Qua propter Gebellini, rationabiliter indignati, de se ipsis consilium collegerunt. In quo quidem consilio, cum unus diceret vulneretur in facie dominus Buondelmonte, et alius diceret immo in maiorem suum vituperium detur sibi per faciem cum uno ventre stercore pleno castrati, predictus dominus Mosca de Lambertis surrexit in medium et ait: «Vos nescitis quicquam, nec cogitatis si de isto qui nostram parentelam tam viliter recusavit, iustam volumus excipere ulctionem; non cum gladio neque cum stercore ipsum vituperemus, sed illi protinus vitam auferamus; nam res facta caput habet». Isto igitur consilio ab omnibus acceptato, occiderunt dictum dominum Bondelmontem, sicut habetur infra in tertia cantica, cantu XVI. Occiso itaque domino Bondelmonte, nunquam postea civitas florentina quievit. Nam semper postea fuit seditionibus et bellis civilibus molestata. Ideo ait autori dominus Mosca:
«Io dissi, lasso! <Capo à cosa fatta>,
che fu il mal seme per la gente tosca».

Nam Tusci postea, illud proverbium acceptantes, semper modicas iniurias mortibus vindicarunt. Audiens autem autor a domino Musca illud verbum quod dixit, quod suum consilium pro gente tusca

fuerat malum semen, illi improperando subiunxit: *et morte di tua schiatta*. Quasi dicat: Illud tuum consilium fuit non solum malum semen pro Tuscis, sed etiam destructio tue gentis. Propter illud enim consilium domus sua de Lambertis ad nichilum est redacta.

vv. 112-114

Ma io rimasi a riguardar lo stuolo,
et vidi cosa, ch'io avrei paura
sanza più prova, di contarla solo;

Postquam vero autor fecit in precendentibus de pluribus scismaticis et scandali seminatoribus mentionem, nunc ad quendam vere demonem stilum vertit, cuius culpam per penam volens poetice enarrare, propter ipsius penam quasi incredibilem taliter se excusat dicens:
I' vidi cosa, ch'i' avrei paura
sanza più prova, di cantarla solo;
Quasi dicat: Si id quod narrare intendo ego solus vidissem, os ad illud narrandum nullatenus aperirem; sed quia non fui solus, immo socio veridico sociatus, que quidem societas meam conscientiam assecurat, ideo id quod vidi secure cantabo. Nam bona societas facit hominem francum, idest liberum et audacem, sicut arma bona et probata reddunt hominem probiorem.

vv. 115-117

Ideo ait in textu:
se non che conscientia m'asicura,
la buona compagnia che l'om franchegia,
sotto l'asbergo del sentirsi pura.

Postquam vero autor dicit propter bonam societatem quam habebat id quod viderat cantare, secure illud quod vidit mirabile sic decantat. Ego, inquit, vidi unum bustum humani corporis sine capite per istam bulgiam pertransire. Et istud tale bustum caput suum detruncatum manibus baiulabat, cum quo capite admodum laterne lumen suis gressibus exhibebat. De se enim, idest de suo capite, sibi ipsi faciebat lucernam, et erant duo in uno – subaudi coniuncti – quia caput et corpus erant intantum coniuncta inquantum illud bustum caput manu tenebat; et unum in duobus inquantum, scilicet unus et idem homo, erat in duo divisus. Quomodo autem istud potest esse, ille novit qui se ipsum gubernat. Iste enim, de quo loquitur autor, filium divisit a patre; et ideo per suam penam novit quam grave peccatum sit inter patrem et filium guerram et discordiam seminare; quia sicut patrem separavit a filio, ita ipse caput suum separatum portat a corde. Sicut enim pater est principium filii, ita cor est principium capitis ceterorumque membrorum, ut in fine istius cantus clarius apparebit.

vv. 130-132

«Or vedi la pena molesta
tu che, spirando, vai vegendo i morti».

Verba sunt istius qui cum manu portat caput ad autorem; in quibus quidem verbis se per duo signa manifestat autori. Et primo per nomen, ibi: «sappi ch'i' son Beltran dal Bornio».

vv. 133-135

Secundo per scelus abhominabile quod commisit, ibi:
quelli
che diedi al Re Giovanni i ma' conforti.
I' feci 'l padre e 'l figlio in sè ribelli.
Iste siquidem Beltramus de Bornio fuit quidam magnus homo in curia Aduardi regis Anglorum qui, sua operante malitia, tantam discordiam et scandalum inter regem Aduardum et Iohannem eius filium seminavit, quod filius contra tam bonum et reverendum patrem publice arma movit. Et ad detestationem sue malitie declarandam, dicit quod Achitophel non plus peccavit quando Absalonem a David alienavit, quam ipse quando regem Iohannem a rege Aduardo tam nequiter separavit.

vv. 136-138

Achitophèl non fe' più d'Absalone. Istoria ista est: Sicut enim legitur in secundo libro Regum, Achitophel fuit unus ex duobus maioribus consiliariis regis David, qui tanta prudentia plenus erat,

quod quicumque consuluisset eum videbatur sibi consuluisse Deum. Sed ipsam prudentiam convertens in malitiam, tantam discordiam inter David et Absalonem eius filium seminavit, quod dictus Absalon, utens consilio dicti Achitophel, contra David patrem suum coniuravit, arma movit, exercitum congregavit, et ad ipsum expugnandum et debellandum Ierosolimam properavit; quod cum accepisset David, ait servis suis: «Egrediamur cito, ne veniens Absolon occupet nos et percutiat civitatem». Et egressus est rex et domus eius nudis pedibus, dimittens decem concubinas ad custodiam domus. Dum autem cum multa gente effugeret a facie Absalonis, ait David ad Sadoch sacerdotem: «Revertere in civitatem, cum archa ego vero abscondar in deserto; Achymaas autem filius tuus et Ioathan filius Abiathar sint vobiscum, per quos veniet ad me sermo a vobis». Et redierunt cum archa. Cumque ascendisset David clivium olivarum, occurrit ei Chusi Arachites, alter consiliarius eius, et ait: «David, revertere, et esto cum Absalon et dissipabis consilium Achitophel, et quod audieris in domo regis indicabis sacerdotibus, qui dirigent ad me filios suos». Recedente autem Cusi, oravit David ad Dominum dicens: «In fatua queso Domine consilium Achitophel». Cum autem venisset Cusi ad Absolonem, adoravit eum dicens: «Salve rex». Ad quem Absalon: «Quare non ivisti cum amico tuo?» Cui ait Cusi: «Illius ero quem Dominus elegit, et omnis Israel. Cui serviam nonne filio regis? Sicut patri tuo, sic parebo et tibi». Tunc ingressus est Absalon coram omni populo ad concubinas patris de consilio Achitophel, ut sic intelligeret omnis Israel quod ex animo persequeretur patrem et sic roboraretur populus cum eo.

Post hec dixit Achitophel ad Absalonem: «Eligam michi duodecim milia virorum et persequar hac nocte David et percutiam eum, quia fessus est, et redibunt ad te universi quasi vir unus». Et ait Absalon: «Vocemus Cusi et consulamus eum». Et ait Cusi: «Non est bonum consilium istud hac vice. Nosti patrem tuum et viros eius esse fortissimos. Si modo percusserit aliquos de tuis, quicunque audierit dicet: <Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalon>. Et timebunt esse tecum. Sed hoc est consilium bonum. Congregetur a te omnis Israel et irruamus super eum, et ubicunque fuerit operiemus eum». Et placuit omnibus consilium Chusi. Et dixit Chusi sacerdotibus ut nuntiarent David ne maneret in deserto nocte illa, sed transiret Iordanem. Et transivit David Iordanem cum suis prius quam dilucesceret. Porro Achitophel, sciens regnum redditurum ad David et timens incidere in manus eius, descendit in domum suam in gilo et laqueo se suspendit.

vv. 139-142

Postquam vero Beltramus quid ad suum detestandum scelus Achitophelis malitiam introduxit, concludit quod quia tam coniunctas personas sicut est pater et filius separavit, ideo portat suum cerebrum a suo principio separatum, ibi:
Per ch'i' partì così giunte persone,
partito porto 'l mi' cerebro, lasso!,
dal su' principio, ch'è in questo troncone.
Cor enim, ut dicunt physici, est primum membrum in principio generationis. Nam, ut dicitur in libro De Generatione, partium animalis, spiritus inclusus in semine maris perforat humorem mulieris in matrice, et factis sibi domiciliis in eo, idest facto corde hominis quod est domicilium spiritus, ab eo disgrediens cetera membra format. Idcirco cor dicitur principium esse membrorum. Quod vero sequitur: *Così s'osserva in me lo contrapasso*, nil aliud vult dicere nisi quod sicut fecit, ita recepit.

In isto cantu continetur una comparatio, unum vaticinium, et unum notabile.

[Comparatio]

vv. 22-24

PRIMA COMPARATIO.

Già veggia, per mezzul perder o lulla,
com'i' vid'un, così non si pertugia,
rotto dal mento infin ove si trulla.
Lictera est superius explanata.

[Vaticinium]

vv. 79-81

VATICINIUM.

gittati saran fuor di lor vasello,
et mazzerati press'a la Catolica,
per tradimento d'un tiranno fello.
Istud vaticinium, quia est superius explanatum, ideo hic repilogari non libet.

[Notabile]

vv. 139-142

NOTABILE.

Per ch'i' partì così giunte persone,
partito porto 'l mi' cerebro, lasso!,
dal su' principio, ch'è in questo troncone:
Così s'osserva in me lo contrapasso.

Istud notabile dupliciter potest exponi. Primo licteraliter sic: Qui separat alios, seu amicitia seu parentela coniunctos, caput a corpore portat divisum, quia secundum leges talis est capite puniendus. Et sic observatur in eo contrapassus, quia debet recipere id quod fecit. Secundo potest exponi moraliter sic: Quicunque separat aliquem ab aliquo, unde parentela vel amicitia dissolvatur, portat caput a se divisum, quia rationem, que est caput anime, iam amisit

Et sic patet XXVIII cantus prime cantice.

XXIX

INCIPIT XXIX CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXVIIII cantu ac etiam in sequenti autor tractat de decima et ultima malabulgia, in qua ponit falsatores personarum, metallorum, scripturarum et cuiuslibet alterius rei; quorum pena est omnium membrorum leprosa corruptio.

Incipit autem ista bulgia in isto cantu, ibi: *Quando noi fumo su l'ultima chiostra*, etc., et finit in sequenti cantu, ibi: *chè ciò voler udire è bassa vollia*.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-15

Cantum enim istum autor cum precedenti taliter continuando coniungit. In superiori nanque cantu autor ipse de plagis scismaticorum et seminantium scandala pertractavit. Nunc autem in principio istius cantus dicit quod multitudo gentis atque diverse plage ipsius gentis ita inebriaverant suas luces, quod ad plangendum ibi, hoc est super pontem illius none bulgie, avide morabantur. Sed Virgilius inquit michi: «Quid tantum respicis? Quare tuus intuitus magis illuc inferius se ingerit, vel immittit, inter umbras tristes et detruncatas? Tu certe non sic fecisti in aliis bulgiis. Cogita bene, quod si tu ipsas numerare credis, quod viginti duobus miliaribus volvitur ista vallis, et iam luna est subtus nostros pedes, et tempus est adomodo modicum quod nobis est concessum, et aliud est a nobis videndum quod tu non vides». Tunc ego respondi dicens: «Si tu attendisses ad causam propter quam ego respiciebam, forsitan adhuc michi standi licentiam concessisses». Et sic finitur hic nona bulgia.

vv. 16-51

Deinde, inquit autor, ab illa bulgia Virgilius recedebat et ego post ipsum ibam, iam sibi responsionem faciendo ac etiam subiungendo: «In illa enim cava in qua ego sic attente modo respiciebam, credo quod unus spiritus mei sanguinis plangat culpam, que illuc inferius tantum constat». Tunc dixit michi magister: «Non fatigetur tua cogitatio de cetero super illum; attende ad aliud, et ille ibi remaneat. Quia ego ad pedem ponticuli vidi eum te digito demonstrantem et tibi fortiter comminantem, ipsumque nominari audivi Geri del Bello. Tu eras tunc ita totaliter occupatus super illum qui iam tenuit Altamfrontem quod non respexisti illac, quousque ille inde recessit». Et ego inquit: «O mi dux, violenta sua mors, que adhuc non est per aliquem vindicata, qui huius dedecoris consors sit, fecit ipsum contra me taliter indignari; unde recessit nolens, ut estimo, michi loqui, et in hoc compatior

sibi magis». Ita locuti fuimus usque ad locum primum, qui de scopulo aliam vallem monstrat. Et quando nos fuimus super ultimum claustrum malarum bulgiarum, ita quod sui conversi a nostro intuitu poterant contemplari, lamenta sagittaverunt me diversa, que suas hasticulas habebant pre dolore ferratas. Et sic incipit hic decima et ultima malabulgia. Intrans autem autor istam bulgiam, facit quandam comparationem, volens de pena istius bulgie pertractare, que talis est: Si omnia mala, idest infirmitates atque dolores omnium hospitalium Vallis Clane, Maritime et Sardinee que accidere solent inter iulium et septembrem, in una fossa adunarentur in unum, dolorosi clamores et putridi fetores inde sine dubio exalarent. Tales itaque dolorose lamentationes et marcidi fetores de ista decima bulgia procedebant.

vv. 52-139

Inducta comparatione, dicit autor se in ultimam ripam ymi scopuli descendisse, et inde ea que narrat oculis conspexisse. Conspexit nanque in fundo illius fovee, quod infallibilis iustitia, que est alti Domini ministratrix, punit falsatores quos hic in hac vita registrat. Et adducit hic, comparative loquendo, illam famosam infirmitatem que fuit antiquitus in Egina; que talis et tanta fuit quod omnia animalia usque ad modicos vermes universaliter ceciderunt. Et postea gentes antique, idest homines, secundum quod poete tenent pro firmo, restaurate sunt semine formicarum. Igitur inquit autor: Non credo quod maior tristitia fuerit in Egina ad videndum totum populum sic infirmum, quam erat ad videndum per illam vallem obscuram spiritus per diversos cumulos sic languire. Quali autem modo isti languentes spiritus erant invicem cumulati, declarando subiungit, dicens quod unus super alium sic iacebat, quod de se ipsis cumulos sive monticulos faciebant. Et aliqui ex illis pronos per illum callem, quia surgere non poterant, se mutabant. Narrata vero conditione istorum in generali, autor ad particularia sic descendit. Nos, inquiens, pedetentim sine sermone ibamus, respiciendo et auscultando egrotos qui suas personas pre magnitudine morbi erigere non valebant. Et dum sic respicerem, vidi duos ita sibi invicem adherentes, sicut appodiatur ad ignem teghia cum teghia, a capite usque ad pedes scabie maculatos; et nunquam vidi a scutifero, a suo domino expectato, vel ab illo qui male libenter vigilat, strigilem sic deduci, sicut quilibet illorum duorum super se morsum unguium deducebat propter magnam rabiem pruritus, qui succursum alium habere non potest. Et sicut cultellus radit squamas a scaglia aut alium piscem qui squamas habeat largiores, ita isti duo cum unguibus scabiem deducebant. Quorum uni Virgilius inquit: «O tu, qui cum unguibus lanias te metipsum, et qui de eisdem unguibus forcipes aliquando facis, dic nobis si aliquis Latinus est inter istos qui sunt hic, si unguis ad istud tibi opus sufficiat in eternum». Cui unus istorum duorum plorando sic ait: «Latini sumus nos hic ambo, quos tu vides ita destructos. Sed tu quis es qui de nobis interrogasti?» Et Virgilius ad illum: «Ego», inquit, «sum unus qui cum isto vivo de valle in vallem inferius huc descendo, et cui infernum monstrare intendo». Tunc illorum duorum communis inherentia est soluta, et quilibet ad autorem cum tremitu se convertit, cum aliis qui ex incidenti verba Virgilii audierunt. Virgilius vero autori totus adherens ait: «Dic illis quicquid tu vis». Et tunc autor, secundum velle Virgilii, sic incepit: «Si vestra memoria in primo mundo de humanis mentibus non furetur, sed ut sub multis solibus ipsa vivat, dicite michi qui vos estis et de qua gente; vos vestraque inepta et fastidiosa pena michi palam facere non formidet». Tunc unus illorum: «Ego», inquit, «fui de Aretio, et Albarus de Senis me mitti fecit ad ignem; sed illud pro quo mortuus fui, in istam bulgiam non conducit. Verum est quod ego dixi illi – subaudi Albaro – ioco loquendo: <Ego scirem per aerem volare, si vellem>. Et ille qui vanitatem avidam et prudentiam modicam possidebat, voluit quod ego demonstrarem sibi artem – subaudi volandi –. Et solum quia non feci ipsum Dedalum, fecit a tali qui eum habebat pro filio me comburi. Sed in ultima decem bulgiarum pro alchimia, quam in mundo feci, me damnavit Minos, cui fallere nunquam licet». Audiens vero autor vanitatem Albari, ait ad Virgilium: «Fuitne unquam gens ita vana sicut Senensis? Certe non de satis gallica sicut ista». Unde alius leprosus verbo dantico yronice sic respondit: «Extrahe – supple de ipsorum Senensium consortio – Striccam, qui scivit expensas facere temperatas, et Nicholaum, qui morem divitem garofali primitus palam fecit in orto, in quo tale semen scilicet radicatur. Et extrahe adhuc de illorum consortio sive numero societatem in qua dispersit Caccia de Asciano vineam ac etiam grandem frondem; et in qua societate Abballiatus protulit suum sensum. Sed ut scias quis est ille qui contra Senenses secundario tibi fatur, acue tuum oculum versus me, ita quod mea facies bene tibi respondeat; et sic vedebis quod ego sum umbra Capochii, qui falsavi metalla cum alchimia. Et tu de hoc recordari debes, si bene oculo te cognosco, quomodo scilicet nature simia bona fui». Ideo dicit in textu:
«et te dee ricordar, se ben t'adocchio,
com'i' fui di natura buona scimia».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

La molta gente et le diverse piaghe
aven le luci mie sì inebriate,

che de lo star a pianger eran vaghe.

Dicit hic autor, quod propter multitudinem gentium et magnitudinem plagarum quas in ista bulgia vidit, quod ita erat pietate commotus quod a lacrimis non poterat abstinere, licet superius cantu XX, malabulgia quarta, de hac pietate a Virgilio sit reprehensus. Animus enim naturaliter bene dispositus abstinere non potest quin bonis rebus gaudeat et contrariis contristetur, licet utrumque in suis inimicis aliqualiter contempletur. Et tamen non movet eum persona talis, sed passio prospera nobis aversa. Unde moltotiens accidit quod homo, videns inimicum suum nimis depressum, pietate, licet non debita, commovetur, et erga ipsum aperit viscera pietatis. Et hoc spectat spetialiter ad magnanimos, qui de sui natura sunt faciles ad parcendum.

vv. 7-9

Tu non ài fatto sì a l'altre bolge;
pensa, se tu annoverar le credi,
che miglia ventidue la valle volge.

Quod ista vallis per spatium viginti duorum miliarum volvatur, poetice fictum est, et nulla indiget expositione, licet alie fictiones pro maiori parte mistice declarentur.

vv. 10-12

Et già la luna è sotto i nostri piedi:
lo tempo è poco omai che n'è concesso,
etc.

Hic ponit Virgilius quod quando erant super nonam bulgiam, quod luna iam erat subtus pedes eorum; que, ut habetur superius canto XX, quando ipsi erant super quartam bulgiam, erat iam in finibus occidentis subtus Sobiliam; ibi:
Vienne omai; che già tiene 'l confine
d'amendue li emisperi et tocca l'onda
sotto Sobilia Caino et le spine;

« Se tu avessi», rispos'io apresso, Lictera plana est usque ibi: *et udi' 'l nominar Geri del Bello*.

vv. 28-30

Sequitur:
Tu eri allor sì del tutto impedito
sovra colui che già tenne Altafronte,
etc.

Loquitur hic Virgilius ad autorem de Beltramo de Bornio, qui in precedenti bulgia est damnatus, dicens: Quando ille tuus consors tibi digito minabatur, tu eras ita occupatus in videndo illum qui iam tenuit Altamfrontem, quod illum videre nequisti. Altafronte vero est quoddam castrum in Anglia, quod quidem castrum dictus Beltramus tenuit dum vivebat.

vv. 31-57

Et io: *«O duca mio, la violenta morte / che non li è vendicata»* etc. – usque ibi: *punisce i falsator che qui registra*.

Lictera istorum XXVII rithimorum plana est et aperta, et maxime cum adiutorio elucidationis, que in deductione de vulgari in latinum congrue continetur.

vv. 58-66

Non credo c'a veder magior tristitia
fosse in Egina il popol tutto 'nfermo
quando fu l'aer sì pien di malitia,
etc.

In quadam provincia Grecie, que antiquitus dicebatur Egina, ut VII libro Meth. scribit Ovidius, fuit tanta epydimia et dira lues, propter iram Iunonis, que contra dictam provinciam fuerat inique

commota, quod homines et omnia animalia hoc ordine perierunt. Aer enim spissa caligine terras pressit, et ignavos inclusit nubibus estus, et per quatuor menses continuos ventus australes pestilentiam in illam terram taliter ingesserunt, quod omnes fontes lacusque totaliter vitiarunt; multaque serpentum milia suis venenis fluvia corrumperunt, agrosque, quia per ipsorum presentiam coli non poterant, steriles reddiderunt. Corruptis itaque tribus in illa provincia elementis, aqua, aere, atque terra, prima facta est strages canum volucrumque aviumque boumque.

Lanigerisque ovibus balatus dantibus egros
Sponte sua laneque cadunt et corpora tabent;
Omnia languor habet: silvisque, agrisque, viisque
Corpora feda iacent, vitiantur odoribus aure.
Mira loquor; non illa canes avideque volucres,
Non ea tetigere lupi; dilapsaque liquescunt
Afflatuque nocent, et agunt contagia late.

Postquam vero omnia animalia sunt corrupta, talis corruptio pervenit ad viros. Ovidius:

Pervenit ad miseros damno graviore colonos
Pestis, et in magne dominatur menibus urbis.

Et tantum invaluit in homines ista pestis, quod nec in lectis poterant iacere, nec ulla velamina ferre. Ovidius:

Non stratum, non ulla pati velamina possunt,
Dura sed in terra ponunt precordia; nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.

Et si medela aliqua dictis infirmis apponebatur, in contrarium se habebat. Unde totum vulgus ita cadebat, veluti motis ramis putrida poma, agitataque cadunt ylice glandes. Nec etiam deorum auxilia invocare valebat. Ovidius:

quis non altaribus Iovis
Irrita thyra dedit? quotiens pro coniuge coniunx,
Pro nato genitor dum verba precantia dixit,
Non exoratis animam finivit in aris.

Rex etiam ipsius provincie, nomine Eacus, sacra Iovi, pro se, patriaque, tribusque cum faceret natis, mugitus victima diros edidit. Multi autem de populo videntes talem pestem in populum desevire, humano et divino privati auxilio se ipsos protinus occidebant. Ovidius:

Pars animam laqueo claudunt mortisque timorem
Morte fugant ultroque vocant venientia fata.

Isto itaque modo Egina hominibus et animalibus vacuata, Eacus oravit ad Iovem ut aut sibi redderet populum aut ipsum morte mulctaret. Ovidius:

Attonitus tanto miserarum turbine rerum,
«Aut michi redde meos, aut me quoque conde sepulcro!»

Facta vero oratione ante templum Iovis, Eacus oculos elevavit in altum et vidit in quadam quercu que erat ipsi Iovi consacrata, innumerabilem multitudinem formicarum et ait ad Iovem:

«Totidem, pater optime», queso
«Tu michi da cives et inania menia supple!»

Sequenti autem nocte vidit in somnio Eacus dictam quercum, et omnes illas formicas in homines transmutari. Facta autem die, iste populus ex formicis in homines transmutatus, regem adeunt regemque salutant. Tunc Eacus Iovi vota persolvit populisque recentibus dividit regnum suum; Mirmidonesque ipsos appellat, eo quod ex formicis extiterunt oriundi; nam *mirmidon* grece, latine <formica>.

Visa fabula, veritatem ystorie videamus. In Egina enim, ut dictum est, fuit tanta epidimia atque pestis, quod totus populus et omnia animalia perierunt. Eacus autem, qui erat rex in Egina, populos aliunde venire fecit, quibus terram suam replevit. Et quia isti populi erant patientes laborum, et quod acquirebant custodi[e]bant, et de acquisitis parce summebant, ideo Mirmidones, idest <formicarum populus> dicti sunt. Nam formica, inter alia, tria habet: Primum est quod est patiens laboris; nam continue laborat et onera magna portat. Secundum est quod ea que acquirit scit solerti custodia conservare: nam grana findit ne nascantur, et si pluvia fuerint madefacta, ad solem ponit. Tertium est quod in vivendo est parca et temperata; nam temperate accipit de quesitis. Et quia iste gentes, quibus replevit Eacus regnum suum, ista tria habebant, ideo Mirmidones dicti sunt. Ovidius:

Parcum genus est patiensque laborum
Quesitis tenax, et quod quesita reservet.

Istam ystoriam inducit hic autor, dicens quod non fuit maior tristitia ad videndum talem epydimiam in Egina, quam fuit videre corruptionem et putredinem quas in ista decima bulgia nunc conspexit. Ideo ait in textu:

Non credo c'a veder magior tristitia
fosse in Egina il popol tutto 'nfermo,
quando fu l'aer sì pien di malitia,
che li animali, infin al picciol vermo,
cascaron tutti, et poi le genti antiche,
secondo che ' poeti ànno per fermo,
si ristorar di seme di formiche;

Poete enim pro firmo habent quod illi populi Mirmidones appellentur, et quod naturam habeant formicarum. Et sic habent pro firmo ystoriam, sed non fabulam. Sed ipsorum mos est ystorias fabulose narrare.

vv. 109-111

Cetera autem que continentur in lictera plana sunt usque ibi:
«I' fui d'Arezzo, et Albaro da Siena,»
rispose l'un, «mi fè metter al foco;
ma quel per ch'i' mori' qui non mi mena».

Iste qui respondet Virgilio fuit magister Grifolus de Aretio, summus scriptor, qui adinvenit istam novam formam scribendi que hodie viget in mundo. Fuit etiam maximus alchimista, et ideo hic ponitur ab autore. Fuit autem combustus in Florentia, sed non pro alchimia. Ideo ait:
ma quel per ch'i' mori' qui non mi mena.

Causa autem propter quam fuit combustus est ista, que etiam tangitur in lictera. Dum quodam tempore iste Grifolus moraretur in Senis, dixit uni Senensi qui vocabatur Albarus, causa ioci: «Ego scirem me levare per aerem et volare». Unde ille Albarus hec audiens, quia vanitate multa vigebat, rogavit eum ut sibi ostenderet illam artem. Quem postquam Griffolus multis diebus tenuisset in verbis, ille ad episcopum senensem, cuius filius iste Albarus dicebatur, accessit; et dictum Griffolum de heresi infamavit ac etiam accusavit. Episcopus autem istum Griffolum posuit in manibus inquisitoris heretice pravitatis. Qui inquisitor ipsum, secundum allegata et probata contra eum, cremari mandavit. Ideo ait ipse Griffolus:

vv. 115-117

per ch'i' nol feci Dedalo, mi fece
arder a tal che l'avea per filliuolo.
Quasi dicat: Quia ipsum non feci volare sicut volavit Dedalus, ideo me fecit comburi. De isto Dedalo qualiter volaverit, require supra cantu XVII.

vv. 121-123

Et io dissi al poeta: «Or fu già mai
gente sì vana come la senese?
Certo non la francesca sì d'assai!»

Audiens autor causam propter quam iste Albarus magistrum Griffolum mitti fecit ad ignem, ait ad Virgilium: «Fuitne unquam gens aliqua ita vana sicut est gens senensis?» Et re vera verum dixit, quia Senenses naturaliter vani sunt. Quod probatur maxime per exempla que hic ponuntur in textu: Primum exemplum est istius Albari, qui ita vanus fuit quod credidit illi verbo: «Ego scirem volare per aera». Stultum est enim credere quod homo, qui est tante gravedinis, possit se per aerem sublevare. Et ex ista tali vanitate orta est tanta malitia, quod ipsum fecit igne comburi. Idcirco autor, considerata vanitate istius, dicit quod nulla gens est in mundo ita vana sicut communiter sunt Senenses. Ideo subiungit: «Certo non la francesca sì d'assai»; hoc est, gens gallica non est ita vana, sicut est ista senensis. Nam inter omnes nationes orbis, excepta greca, gens gallica vanior perhibetur; et adhuc senensis gens hic vanior demonstratur. Secundum exemplum, unius senensis civis qui vocabatur Stricca, qui ita vanus fuit in vivendo et in expendendo, quod omnia in vanitate consumpsit. Nam, ut de aliis suis vanitatibus taceam, duas ipsius vanitates breviter videamus. Prima fuit ista: Volens semel unum magnum convivium celebrare, mandavit quoquo ut cibos taliter prepararet, quod quodlibet ferculum cuiuslibet incisorii decem florenos auri valeret. Cui quoque ait: «Si vis ut quodlibet incisorium valeat decem florenos auri, facias ipsa incisoria de argento, ipsaque auro et pretiosis lapidibus facias adornari». Ad quem ille: «Ego dico tibi quod solum comestibilia valeant id quod dixi». Cui quoqus: «Ego nescirem aliquo modo comestibilia taliter preparare quod quodlibet incisorium decem florenos auri valeret, nisi per istum modum, quod tu scilicet habeas tot accipitres quot in isto convivio incisoria preparari disponis: et quilibet accipiter sit valoris decem florenorum auri». Tunc ille: «Vade», inquit, «et procura habere accipitres, et pro quolibet incisorio dabis unum». Quod sic factum est, et dedit inter duos convivantes unum accipitrem decem florenos auri valentem. Secunda vanitas fuit ista: Una enim vice dixit quoquo: «Ego mirabiliter delector caponum cerebra manducare, et quia nunquam ex ipsis me potui satiare, idcirco tot capones occide et quoque, quod ego ex inde unam magnam scutellam habeam cerebrorum». Ideo alius leprosus, socius scilicet Griffoli, audiens dictum Dantis: «Or fu già mai / gente sì vana come la senese?»

vv. 124-126

Huic dicto yronice respondens ait:
«Tra'mene Stricca
che seppe far le temperate spese»,

vv. 127-129

Tertium exemplum est domini Nicholai de Bonsignoribus, qui tanta vanitate plenus fuit quod gariofolis anguillas et alia cibaria impleri faciebat, et hoc non ad sanitatem, sed ad vanitatem fieri mandabat. Cuius mores vanos multi postea in Tuscia sunt secuti. Ideo dicitur in textu:
Et Nicholò che la costuma ricca
del garofano prima discoperse
ne l'orto dove tal seme s'apicca;

Hoc est, extrahe adhuc de societate vana Senensium Nicholaum de Bonsignoribus, qui divitem morem gariofilorum primitus adinvenit; et istud tale semen in orto vanorum hominum pullulat atque crescit. Quartum exemplum est unius societatis senensis que vulgo dicebatur *la brigata spendareccia*, idest societas que multum vane in expensis et moribus se habebat. In ista enim societate erant homines valde divites, qui propter vanas expensas omnes ad paupertatem breviter devenerunt. Inter quos erant principaliter duo: Caccia, scilicet, de Asciano, et Abballiatus de Camollia. Quorum primus unam magnam vineam et unam quercum pulcerrimam possidebat; quam vineam, propter vanas expensas quas cum sociis faciebat, vendidit, et illam famosam quercum, que totius contrate erat refugium contra estus, incidi mandavit.

vv. 130-132

Ideo ait in textu:
et tra'ne la brigata in che disperse
Caccia d'Ascian la vigna et la gran fronda,

Ascianum est quoddam castrum in comitatu senensi, unde oriundus fuerat iste Caccia. Alius vero... [lacuna]

vv. 133-139

Ma perchè sappi chi sì ti seconda
contra ' Senesi, aguzza ver me l'occhio,
sì che la faccia mia ben ti risponda;
sì vedrai ch'i' son l'ombra di Capocchio,

Iste Capocchius qui loquitur ad autorem fuit de Florentia, et fuit maximus alchimista in tantum quod omnia que volebat facere breviter faciebat. Unde subiungit in textu:
che falsai metalli con alchimmia;
et te de' ricordar, se ben t'adocchio,
com'i' fui di natura buona scimmia.
Quasi dicat: Sicut simia delectatur et conatur facere ea que ab hominibus videt fieri, ita ego delectabar et conabar facere illa que a natura procedunt. Nam sol, secundum philosophos, facit aurum; luna facit argentum verum; Mercurius, argentum vivum; Venus facit es; Mars, vero, ferrum; Iupiter, stagnum; Saturnus autem, plumbum. Et ego conabar omnia ista metalla alchimice operari.

In isto cantu continentur VII comparationes et duo notabilia.

[Comparationes]

vv. 46-51

PRIMA COMPARATIO.

Qual dolor fora, se delli spedali
di Valdichiana tra 'l lullio e 'l settembre,
et di Maremma et di Sardigna i mali
fosser in una fossa tutti insembre;

tal era quivi, et tal puzzo n'usciva,
qual suol venir de le marcite membre.

In ista comparatione ponit autor tres contratas que extivo tempore, et maxime in augusto, naturaliter sunt infirme. Prima est Vallis Clane. Est autem Clana quedam aqua in Tuscia, mortua, fetida, et valde corrupta; cuius castra et ville, estivo specialiter tempore, infirmantur. Secunda est Marittima Tuscie, que est hora maris ad austrum posita inter Romam scilicet et Pisas; que quidem contrata extivis diebus mirabiliter est infecta. Tertia est Sardinea, insula quidem in mari Mediterraneo posita, que propter malum aerem et aquas metallinas multum estivo tempore habitatoribus est infesta. De hac insula habes supra cantu XXII, malabulgia Va. Dicit itaque hic autor quod quales infirmitates sunt in hospitalibus Vallis Clane, Maritime, et Sardinee de mense augusti, tales in ista decima bulgia nunc aspexit.

vv. 58-60

SECUNDA COMPARATIO.

Non credo c'a veder magior tristitia
fosse in Egina il popol tutto 'nfermo,
quando fu l'aer sì pien di malitia,
etc. Lictera plana est.

vv. 73-75

TERTIA COMPARATIO.

I' vidi due seder a sè pogiati,
com'a scaldar si pogia teghia a teghia,
dal cap'al piè di schianze maculati;

In ista comparatione vult dicere autor, quod sicut teghia teghie appodiatur ad ignem, ita vidit duos leprosos sibi invicem adherentes. Est autem teghia testa qua olla operitur ad ignem. Et dicitur teghia a *tego, –gis*, quia una tegit aliam.

vv. 76-78

QUARTA COMPARATIO SIMUL ET NOTABILE.

e non vidi già mai menare streghia
da ragazzo aspectato dal signorso,
nè da colui che mal volontier veghia,

In his rithimis duo insimul continentur, scilicet comperatio et notabile. Comparatio talis est, quod nunquam aliquis scutifer, expectatus a domino suo, vel cum male libenter vigilat, ita velociter et festinanter duxit strigilem super equum, sicut illi duo leprosi super se ipsos ungues propter pruritus rabiem deducebant. Notabile vero est quod duo sunt illa principaliter que servum solicitum faciunt: primum est quando a suo domino expectatur; secundum vero, quando post servitium domini proprie utilitati intendit.

vv. 82-84

QUINTA COMPARATIO.

et sì traevan giù l'unghie la scabia,
come coltel di scardoa le scaglie
o d'altro pesce che più larghe l'abia.
In hoc notabili ponit autor quod, quemadmodum cultellus elevat squamas a quodam pisce qui dicitur <scaglia>, vel ab illo qui squamas possidet largiores, ita illi duo leprosi cum unguibus a se scabiem elevabant.

vv. 85-87

SEXTA COMPARATIO.

«O tu che co' le dita ti dismallie»,
cominciò 'l duca mio a l'un di loro,
«e che fai d'esse talvolta tanaglie»,

Hic comparat autor ungues istorum leprosorum forcipibus fabrorum, que vulgo *tanaglie* dicuntur. Quia sicut cum forcipibus evellitur, seu extrahitur, clavus a ligno, ita cum unguibus isti leprosi duram scabiem de carnibus extrahebant. Et nota quod inveniuntur forcipes, forfices, et forpices. Forcipes sunt fabrorum, et dicuntur ab accipiendo, eo quod formum, idest calidum, capiant; *formum* enim antiqui dixerunt *calidum*; inde formosus, ut ait Ysidorus libro XX Eth.. Forfices vero sunt sartorum et dicuntur a filo. Forcipes autem sunt tonsorum, et dicuntur a pilo.

vv. 136-139

SEPTIMA COMPARATIO.

et te de' ricordar, se ben t'adocchio,
com'i' fui di natura buona scimmia.

In ista comparatione ponit autor quod, quemadmodum symia imitatur artem, quia quecunque videt, facere conatur, ita iste Capocchius imitatus est naturam in falsificando metalla.

[Notabilia]

vv. 43-45

PRIMUM NOTABILE.

lamenti saettaron me diversi,
che di pietà ferrat'aven li strali;

Hoc notabile moraliter nobis innuit et demonstrat quod angustie proximorum velut sagitte penetrare nos debent, et sic erga ipsos aperire viscera pietatis. Ideo contra crudeles Divina Pagina sic exclamat: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit et non exaudietur. SECUNDUM NOTABILE continetur in quarta comparatione.

Et sic patet XXVIIII. cantus prime cantice.

XXX

TRIGESIMI CANTUS PRIME CANTICE TITULUS TALIS EST: INCIPIT XXX CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXX cantu autor tractat de ipsa eadem malabulgia de qua in cantu precedenti tractavit. Et ponit in isto cantu duas animas furiosas, que per istam bulgiam egrotos mordendo furiose discurrunt.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARE IN LATINUM.

vv. 1-90

In precedenti nanque cantu autor incepit de falsariis pertractare, et in fine ipsius cantus ponit quod quidam ex ipsis, nomine Capochius, multas vanitates sibi de Senensibus enarravit. Nunc autem in isto cantu sic continuando procedit. Dicit enim quod, dum sibi Capochius loquebatur, quod due anime pallide atque nude ita per istam bulgiam egrotos detruncando rabiose currebant, sicut porcus quando de stabulo se excludit. Et una istarum ad Capochium perveniens, ipsum in nodo colli adeo dente perfodit, quod ille terram ventre percussit. Et ad declarandum istarum furias animarum,

inducit in principio cantus exemplum Furiarum que agitaverunt Athamantem, regem Thebarum, et Eucubam, reginam troyanam, sic inchoans istum cantum:

Illo tempore quo Iuno erat turbata propter Semelem contra sanguinem Thebanorum, sicut una vice et alia demonstravit, Athamas in tantam insaniam devenit quod videndo uxorem suam utraque manu duobus filiis oneratam, furiose clamavit: «Tendamus retia, ad hoc ut ego capiam leenam et leunculos ad transitum ad quod tendunt». Et hoc dicto, impios ungues extendit, arripiendo unum ex filiis qui vocabatur Learcus, quem rotando per aerem percussit ad saxum; et illa – subaudi regina – cum alio onere, idest filio, se submersit in mare. Et quando fortuna Troianorum altitudinem, idest Ylion, flamma comburente devolvit ad yma, ita quod rex una cum regno defecit, Eucuba tristis, misera et captiva, postquam vidit Polixenam mortuam et sui Polidori in ripa maris, dolorosa perpendit, extra memoriam facta, latravit ut canis, tantum nempe suam mentem dolore mutante. Sed nunquam Troyanorum furie vel Thebarum bestias stimulando nedum membra humana vise sunt in aliquem tantum crude, quantum ego vidi duas umbras pallidas atque nudas que mordendo currebant, illo modo quo porcus quando de stabulo se excludit. Una quarum venit ad Capochium et ipsum in nodo colli dentibus sic momordit, quod morsum ad se trahendo illum cum ventre terram fricare coegit. Et Aretinus qui tremando remansit dixit michi: «Ille follettus est Iohannes Schicchi et vadit rabiosus alios sic aptando». Ad quem ego: «Si alius non immittat in te modo simili suos dentes, queso ne tibi tedium videatur michi dicere quis est ille ante quam hinc a meis – subaudi oculis – elongetur». Et ille: «Illa esta anima antiqua Mirre scelerate, que patri suo contra amorem debitum amica devenit. Ista nempe ad peccandum cum ipso ita venit, falsificando se in alterius formam, sicut alius – subaudi socius suus – qui cum ipsa sic furiose decurrit, sustinuit, ut turme dominam lucraretur, falsificare in se Buosum Donati, testando et testamento pariter dando normam». Et postquam illi duo rabiosi ulterius processerunt, oculum quem ego super Aretinum tenueram revolvi ad videndum alios male natos. Et dum sic respicerem, vidi inter eos unum factum ad modum leiuti, sicut si habuisset inguinem protinus detruncatum, in illa scilicet parte in qua homo forcutus existit. Gravis enim ydropisis, que humore male converso ita disparia membra facit quod ventri facies non respondet, faciebat illi tenere labia sic aperta sicut ethycus facit, qui propter sitim unum labium versus mentim et aliud vertit superius versus nasum. «O vos», inquit iste ad nos, «qui in mundo doloroso sine aliqua pena estis, et, nescio ego quare, respicite et attendite ad miseriam magistri Adami, ego habui vivus satis de eo quod volui; et modo, heu miser, unam guttam aque habere non possum. Torrenticuli enim qui de viridibus collibus Casentini in Arnum ad yma descendunt, sua canalia frigida et humida faciendo, semper stant ante me, et non frustra; quia ymago ipsorum satis plus me desiccat quam malum unde sum ita in facie macilentus. Rigida enim iustitia que me stimulat, trahit causam de loco in quo peccavi, ad mittendum mea suspiria plus in cursum. Ibi est Romena, ubi ego falsavi legam sigillatam Baptiste, propter quod meum corpus superius dimisi combustum. Sed si ego viderem hic animam tristem Guidonis, seu Alexandri, seu eorum fratris, pro fonte Branda talem visionem non darem. Intus enim in ista bulgia iam est una, si rabiose umbre que vadunt in circuitu dicunt verum; sed quid michi valet, ex quo membra habeo sic ligata? Si ego tantum agilis adhuc essem quod ego possem in centum annis una uncia peragrare, iam incepissem per istam semitam iter meum, scrutando ipsam inter istam gentem turpem, quamvis ista bulgia XI miliariis in suo circuitu longa sit. Ego sum per eos inter talem familiam ut videtis; ipsi me induxerunt ad cudendum florenos qui habebant bene tria carata mondiglie, idest scorie».

vv. 91-129

Tunc ego aio ad eum: «Qui sunt illi duo miseri qui fumant sicut manus balneata in hyeme, iacendo a tuis dexteris confinibus ita stricti?» Et ille: «Hic eos inveni quando huc veni, et se postea non volverunt, et non credo quod se volvant in sempiternum. Unus quorum est illa falsa que accusavit Ioseph; alius vero est falsus Synon grecus de Troya; pro febre acuta tantam putredinem sic exalant». Tunc unus illorum duorum, habens pro malo se ita obscure ab illo forsitan nominari, ventrem illius rigidum pugillo percussit. Venter autem illius sonuit velut si timpanum extitisset. Et magister Adamus, brachio non minus duro, Synonem percussit in vultu dicendo: «Quamvis motus sit michi corporis propter membra que sunt gravia denegatus, habeo egro brachium ad tale ministerium sic solutum». Unde Synon respondit: «Quando tu ibas ad ignem, tu non habebas illud taliter expeditum, sed sic et plus habebas quando cudebas». Et ydropicus: «Tu dicis bene verum de isto; sed tu non fuisti ita verus testis quando de vero apud Troyam requisitus fuisti». Ad quem Synon: «Si ego dixi falsum, tu falsificasti conium; et sum hic ego pro uno defectu et tu pro pluri quam aliquis alius demon». «Recordare, periure, de equo», respondit ille qui ventrem habebat inflatum, «et sit tibi hoc reum, quia totus mundus hoc novit». «Et tibi sit reum», dixit Grecus, «unde lingua tibi crepat, ac etiam aqua marcida que de ventre tuis oculis facit sepem». Tunc monetarius inquit: «Ita dilatatur os tuum pro tuo malo sicut solet, quia si ego sitio, sum tamen humore repletus. Tu habes arsuram – subaudi febris – et caput dolentem, et ad lambendum speculum Narcissi iam non multa rogamina expectares».

vv. 130-148

Ad auscultandum istos eram ego totus intentus quando magister meus dixit michi: «Respice bene quod pro modico est quod tecum non irascor». Quando sensi ipsum michi loqui cum ira, versus eum cum tali verecundia me converti, quod per memoriam adhuc volvitur ipsa michi. Et qualis est ille qui somniat suum dannum, qui somniando desiderat somniare, ita quod id quod est sicut non esset optat, talem me feci non valendo loqui, quia desiderabam me excusare et me nichilominus excusabam, sed tamen hoc facere non credebam. «Maiorem defectum minor verecundia lavat», dixi[t] magister, «quam fuerit iste tuus. Ideoque ab omni tristitia exonera te metipsum. Et cogita quod ego sim tibi semper ad latus, si plus accidit quod infortunium te conducat in locum ubi gentes in simili causa sint. Quia talia velle audire est yma voluntas». Ideo ait in textu: «chè ciò voler udir è bassa vollia».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

Nel tempo che Iunon era crucciata
per Semelè contra 'l sangue tebano,
come mostrò una et altra fiata,

Iupiter, secundum fabulas poetarum, cum Semelè filia Cadmi primi regis Thebarum iacuit et ipsa ex eo concepit. Quod ut Iuno, uxor Iovis, comperit, indoluit; et se transformans in anum, formam nutricis ipsius Semeles sic assumpsit quod iam non Iuno, sed ipsa nutrix vetula videbatur, et accedens ad Semelem, sic ore profatur: «Scio, dulcis filia, quod de semine magni Iovis diceris concepisse. Sed dubito valde ne tu, sicut multe alie, sis decepta. Multi enim homines impudici, sub nomine deorum, thalamos intravere pudicos. Et idcirco quando Iupiter ad te intrat, proba eum per istum modum ut scias si est vere Iupiter, sive homo in ipsius effigiem transformatus. Postula nanque ab ipso ut in illa forma ac etiam maiestate tibi appareat, tecumque iaceat, in qua cum alta Iunone est solitus commanere». Talibus itaque persuasionibus ignara Semele informata, cum primum Iupiter ad se venit rogavit ipsum ut sibi quamcunque gratiam peteret largiretur. Cui Iupiter: «Elige», ait «quodcunque munus; nullam patiere repulsam». Illa suo leta malo ait: «Rogo ut te talem michi exhibeas qualem in amplexu amoris exhibes te Iunoni». Tunc Iupiter de illius petitione et de sua promissione ingemuit. Sed quia non poterat facere quod illa non petisset et quod ipse non promisisset, in celum ascendit, depositaque humana forma divinaque assumpta, in illo splendore fulgureo venit ad Semelem in quo erat solitus cum Iunone misceri. Illa autem, divinum fulgorem oculo mortali sufferre non valens, divino fuit igne cremata. Infans vero, qui iam erat conceptus in utero, ab alvo genitricis eripitur. Et quia imperfectus erat, patrio tener insuitur femori maternaque tempora complet. Ino autem, soror Semeles et uxor Athamantis, puerum completum Baccumque vocatum furtim primo aluit et postea ipsum Nescydis nimphis in monte Parnaso tradidit educandum. Istis igitur duabus de causis, quia scilicet Semele ex Iove concepit et quia Ino sororis filium educavit, Iuno fuit irata contra sanguinem Thebanorum. Ideo ait autor:
Nel tempo che Iunone era crucciata
per Semelè contra 'l sangue tebano,
come mostrò una et altra fiata,
Athamante divenne tanto insano,
etc.

Non contenta Iuno quod Semelem combusserat, ad Inonem sororem ipsius, quia Bachum nutrierat, ut quarto libro Meth. ponit Ovidius, se convertit. Vidensque in aula thebana Athamantem cum sua uxore in magna gloria residere, contra ipsos propter ipsam Semelem invidia odioque commota ivit ad infernum, celesti sede relicta, et advocans Furias infernales, ipsas rogat ut furorem talem immittant in pectus Athamantis, quod tota domus regia deficiat una hora. Ad cuius vocem Thesifone surgens ait: «Facta puta quecunque iubes, Saturnia Iuno». Et statim egrediens de inferno ad civitatem Thebanam accessit, et sparso infernali quodam veneno in aula regia Thebanorum, factus est ipse Athamas illico furiosus. Vidensque reginam Inonem per aulam regiam gradientem, media furibundus in aula clamat ad familiam suam dicens:
«Accedite, io, comites, his retia tendite silvis!
Hic modo cum gemina visa est michi prole leena».

Et hoc dicto, insequitur vestigia coniugis amens,
credens insequi vestigia leene fugientis.

Deque sinu matris ridentem et parva Learcum

Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras

More rotat funde, rigidoque infantia saxo

Discutit ora ferox; tunc denique concita mater,

Seu dolor hoc fecit seu sparsi causa veneni,

Exullulat, sparsisque fugis male sana capillis

Teque ferens parvum nudis, Milicerta, lacertis

Seque super pontum nullo tardata timore

Mittit onusque suum;

– idest se cum filio demersit in mare.

vv. 4-12

Ideo ait autor in textu:
Athamante divenne tanto insano,
che vegendo la mollie cho' due figli
venir carcata da ciascuna mano,
gridò: «Tendiam le reti, sì ch'i' pigli
la leonessa e' leoncini al varco»;
et poi distese i dispietati artigli,
prendendo l'un c'avea nome Learco,
et rotollo et percosselo ad un sasso:
et quella s'annegò con l'altro carco.

Sed quia predicte due ystorie, scilicet Semelis et Inonis, fabulose videntur, ideo ipsarum est veritas exquirenda. Prima enim ystoria partim est tota fabulosa et partim in aliquo vera. Fabula enim est, immo philosophica ratio, quod Iupiter cum Iunone misceatur, quod ex tali mixtione fulgur oriatur, et quod quando in illa eadem forma sive fulgore cum Semele conveniat, quod ipsa Semeles gravida efficiatur, et quod ex tale gravedine fulmine comburatur, ac etiam quod ex tali conceptu Bachus oriatur. Iupitur enim, secundum poetas, ut VIII libro Eth. scribit Ysidorus, accipitur pro igne et ethere, idest aere superiori; Iuno vero accipitur pro aqua et aere inferiori. Cum enim aer superior igne commixtus ad inferiora descendit et aer inferior commixtus cum aqua ad alta conscendit, ether ignitus cum aere aquoso, ex obviatione, miscetur, et ex tali commixtione nubes fiunt. Nubes vero, ex obviatione, ad invicem se collidunt. Ex collisione autem ista, fulgura simul et tonitrua oriuntur. Unde beatus Ieronimus, in libro De Tribus Virtutibus, ait: «Aiunt naturalium causarum scriptores quod fulgura ex nubium collisione fiunt, ad modum duarum petrarum quas, cum ad invicem percusseris, ignis ex his medius generatur». Isto itaque modo ex collisione nubium oritur fulgur, idest lumen et tonitruum.

Per Semelem vero accipimus terram et aquam. Aquosus enim humor, cum terra commixtus, cum ad alta vaporose conscendit, a Iove, idest ab igne, inflammatur, et si ibi hoc est, in illo vapore est, multum de terra generatur fulmen, quod quidem fulmen ad yma descendens urit aliquando quicquid tangit. Quod vero de Semele ex commixtione Iovis Bachus fingitur esse natus, talis etiam fictio philosophicam respicit rationem. Per Semelem enim, ut dictum, accipimus terram et aquam, ex quibus duobus elementis oritur omnis humor; per Iovem vero accipimus ignem. Cum autem ignis, idest calor, in humorem vitis agit, oritur inde Bachus, qui quia apud gentiles primum plantavit vineam, sicut apud Ebreos Noe, ideo pro deo vini philosophice ponitur a poetis. Vinum vero,

secundum philosophos, nil aliud est quam aqua putrefacta in vite, virtute solis mutata in vinum. Ideo est calidum et humidum; calidum a sole, humidum vero ab aqua. Veritas autem fuit quod ex Semele filia Cadmi natus est Bachus, qui alio nomine dicitur liber pater; et quod concepto Baccho Semeles mortua est. Quod vero ponitur ipso concepto, ipsa fuisse combusta, fabulosum et fictum est. Et hoc ideo quia vinum inordinate potatum, propter sui fervorem est causa mortis. Et ideo antiqui vinum vocabant venenum, sicut XX libro Eth. scribit Ysidorus. Ystoria vero Athamantis atque Iunonis tota vera est, nisi in eo quod Iuno ponitur ad Tesiphonem descendisse, et quod ipsa Thesiphon venena infernalia sparserit in aula regia Thebanorum. Sed hoc ideo fingitur quia ita facti sunt furiosi Athamas atque Iuno, ut in ystoria continetur.

vv. 13-21

Et quando la fortuna volse in basso
l'altezza de' Troian che tutto ardiva,
sì che insieme col regno il re fu casso,
Echuba trista, misera et cattiva,
poscia che vide Polixena morta,
et del suo Polidoro in su la riva
del mar si fu la doloros'accorta,
forsennata latrò sì come cane;
tanto le fè il dolor la mente torta.

Hic tangit autor ystoriam Hecube regine troyane, que fuit in furiam ita versa, quod latravit ut canis. Et ponit hic autor tria in textu propter que sic facta est furialiter furibunda. Primum fuit captio Troye, quando scilicet vir suus rex Priamus una nocte regnum perdidit atque vitam. Secundum fuit mors Polixene filie sue, quam Pyrrus filius Achillis de ipsius gremio matris traxit, et supra sui patris Achillis tumulum immolavit. Tertium fuit avara proditio et crudele homicidium Polinestoris regis Tracie, qui filium suum Polidorum sic crudeliter interfecit. Primam historiam sive factum tangit Virgilius secundo libro Eneydorum. Secundam tangit Ovidius XIII libro Meth. Tertiam vero tangit Virgilius tertio Eneydorum, et Ovidius XIII Meth. Prima ystoria est ista: Illa nanque nocte qua Greci Troyam ceperunt, Pyrrus filius Achillis cum multitudine militum robustorum in arcem troyanam, que Ylion dicebatur, potenter intravit, Priamumque regem tenentem altaria, coram uxore et centum nuribus interfecit; ipsumque vita regnoque privavit. Virgilius secundo Eneydorum:
Hic finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asie. Iacet ingens litore truncus.
Avulsumque humeris caput et sine nomine corpus.

Secundam istoriam, qualiter scilicet Pirrus Polixenam immolavit, quere supra cantu XII. Tertia vero istoria ista est: Narrant enim Virgilius et Ovidius quod, cum Priamus adhuc viveret, timens ne civitas caperetur, misit ad Polinestorem, regem Tracie, qui erat amicus suus, quendam filium suum parvulum, qui dicebatur Polidorus, cum multitudine thesaurorum, ut ipsum aleret, custodiret, et instrueret; et quod, si regnum Troye deficeret, thesaurum illi parvulo assignaret. Polinestor vero, audiens Troyam captam et Priamum interfectum, amicitia oblitus et auro excecatus, illum parvulum Polidorum occidit et corpus in ripa maris proecit. Virgilius tertio Eneidorum:
Hunc Polidorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Treicio regi, cum iam diffideret armis
Dardanie cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fracte Teucrum et fortuna recessit,
Res Agamenonias victriciaque arma secutus
Fas omne obrupit; Polidorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Euchuba vero, capta et incensa Troya, Priamo detruncato, Polixenaque defuncta, dum a Troya recederet, iuxta mare deambulans, invenit corpus sui filii detruncatum. Quod matrone que cum Eucuba erant vidissent, ullulare ceperunt. Eucuba vero, simillima saxo facta, ivit ad Polinestorem, tacens filium mortuum invenisse, et ait ad eum: «Sicut fortune placuit, Priamus vir meus simul cum regno defecit. Ego autem tanto viro tantisque filiis ut cernis orbata, ad te venio volens tibi thesaurum maximum revelare, ut illud pro meo filio quem tibi misit pater custodias et conserves». Quod audiens Polinestor, desiderio potiundi thesauri, Heucubam in cameram introduxit. Illa vero, ut locum vidit et tempus, in Polinestorem irruit furibunda illumque unguibus excecavit et totam faciem depilavit. Propter ista itaque tria dolorosa infortunia Heucuba in tantam furiam est conversa, quod in canem fingitur transmutata. Ovidius XIII Meth.:
Troia simul Priamusque cadunt. Priameia coniunx
Perdidit infelix hominis post omnia formam
Externasque novo latratu terruit auras.

Et Seneca VIII Tragediarum: Heucuba illa tot regum mater et regimen frigum induit vultus feros et circa ruinas suas rabida latravit ut canis. Postquam igitur autor furibundas furias Thebarum et Troye posuit in exemplum, concludit quod nulle unquam furie neque in Thebis neque in Troia ita crude vise fuerunt, sicut ipse vidit in ista bulgia duas furiosas umbras, idest animas, illos miseros crudeliter lacerare. Ideo ait in textu:

vv. 22-30

Ma nè di Tebe furie nè troiane
si vider mai in nessun tanto crude,
non punger bestie, nonchè membra humane,
Usque ibi: «grattar li fece 'l ventre al fondo sodo», lictera plana est.

vv. 31-45

E l'Aretin, che rimase, tremando,
mi disse: «Quel folletto è Gianni Schicchi;
et va rabios'altrui così conciando,
etc. Usque ibi: «testando et dando al testamento norma».

Verba sunt magistri Griffoli ad autorem; in quibus quidem verbis dicit illas umbras adeo furiosas unam esse Iohannem Schicchi de Florentia, aliam vero Mirram. Que ideo simul una societate et uno actu coniuncte ponuntur, quia utraque istarum duarum umbrarum operate sunt in lecto maximam falsitatem. Quod sic de primo patet: In Florentia enim fuit quidam nobilis miles de Donatis, nomine Symon, qui dum pater suus, qui vocabatur dominus Buosus, venisset ad mortem, timens ne testamentum faceret quod in suum periculum verteretur, nullum sibi permisit condere testamentum. Mortuo vero dicto domino Buoso, ante quam manifesta fieret mors ipsius, corpus dicti sui patris iste dominus Symon sub lecto abscondit. Et cum quodam Florentino, qui vocabatur Gianni Schicchi, composuit ut ipse domini Buosi lectum intraret et vice et nomine ipsius domini Buosi conderet testamentum. Ille vero Gianni Schicchi, ut erat homo falsarius, lectum intrare et testamentum condere ad voluntatem istius domini Symonis ista conditione spopondit, ut una pulcerrima equa que fuerat dicti domini Buosi sibi testamentaliter remaneret. Quod cum dominus Symon hoc sibi protinus annuisset, ille lectum intravit, et vice et nomine domini Buosi, qui mortuus sub eodem lecto iacebat, condidit testamentum. Ideo dicitur in textu:
per guadagnar la donna de la torma,
falsificar in sè Buoso Donati,
testando et dando al testamento norma,
– idest ut lucraret equam que turme, idest aliarum equarum domina, dicebatur, sustinuit – subaudi in lecto – in se falsificare dominum Buosum predictum.

De secunda autem, idest de Mirra, patet per Ovidium X libro Meth. Fuit enim in partibus orientis antiquitus quidam homo pulcherrimus qui Cinnara vocabatur. Hic habebat unam filiam mirabiliter speciosam que, maligno igne vexata, patris incidit in amorem. Ideo Ovidius istam ystoriam descripturus ait: *Dira canam; procul hinc nate, procul este parentes,*

Amans itaque Mirra Cinaram patrem suum, cogitavit in principio sui amoris quam turpe et abominabile erat quod filia patrem amorem polluto diligeret. Et tam fedo ut poterat amori repugnans, secum colloquens sic aiebat: «Heu misera, quo mente feror, quid facere tento?» Tandem, cum execrabiles flammas extinguere non valeret, una nocte laqueum preparavit in quod, collum immittens, sussurrando protulit istam vocem: «Care, vale Cinnara, causamque intellige mortis». Cuius sussurrum cum ad sue nutricis aures fidissimas pervenisset, surgit anus reseratque fores mortisque parate, instrumenta videns, pectora dilaniat Mirramque deponere curat. Quam cum de mortis laqueo extraxisset, causam sue desperationis sibi rogitat revelari. Cui illa verecunda tandem, facie et verbis tremulis, sic respondit: «Amo, heu misera, Ci[n]naram patrem meum». Quod cum anus audisset, ipsam suo gremio lacrimante recepit, sibique promisit operam se daturam quod ipsa in brevi in amplexus Cinnare deveniret. Et accedens ad Cinnaram sic ore ficto mentitur: «Inveni puellam virginem etatis et pulcritudinis filie tue Mirre, que in tuos amplexus venire desiderat una nocte». Cui ille mandavit ut nocte sequenti in suum thalamum illam ducat. Factis itaque tenebris, anus Mirram ad Cinnaram introduxit; cui cum in thalamum introiret, duo sibi mala auguria evenerunt. Primum fuit quod pede limen hostii ter percussit. Secundum vero, quod supra tectum camare ter cecinit unus bubo. Ovidius:
Ter pedis offensi signo est revocata, ter omen
funereus bubo letali carmine fecit.

Ipsa vero, non obstantibus istis signis, cameram introivit, lectum patris ascendit, cum patre concubuit, et ex eo, scelerata, concepit. Ideo ait autor in textu:
«Quell'è l'anim'antica
di Mirra scellerata, che divenne
al padre fuor del dricto amore amica.

Postquam vero autor in precedentibus de duobus lecti falsatoribus pertractavit, nunc intendit in sequentibus de quibusdam aliis falsariis pertractare, et specialiter de magistro Adamo, qui ad petitionem quorundam comitum de Tuscia florenos auri falsificavit; et de illa muliere egyptiaca, que viro suo falsum retulit de Ioseph. Ac etiam de Sinone greco, qui ad petitionem Grecorum, de requisitione equi falsum dixit in Troia.

vv. 49-51

De primo, hoc est de magistro Adamo, tangitur ibi:
I' vidi un, facto a guisa di leuto,
pur ch'elli avess'avuta l'anguinaia
tronca dal lato che l'uomo è forcuto.

Verba sunt autoris ad nos loquentis atque dicentis quod vidit unum in ista bulgia ad modum leiuti factum; hoc est quod habebat ventrem valde inflatum ad modum leiuti. Leiutum est illud instrumentum quod inter omnia musica instrumenta ventrem obtinet grossiorem; et vocatur pater omnium musicorum. Et propter gravem ydropisim que sic disparia membra facit, dicit autor quod iste inflatus tenebat labia sic aperta sicut facit ethycus propter sitim. Est autem ydropisis defectus virtutis digestive in epate, inflationem membrorum generans. Prima nanque digestio fit in stomaco, ubi separatur malum a bono; secunda in epate, et inde transmittitur nutrimentum ad alia membra. Et dicitur ydropisis ab *ydor*, quod est <aqua>. Sunt autem quatuor eius speties: Prima dicitur leuto flegmatica, que est totius corporis mollis inflatio, cedens digitorum impressioni. Et dicitur sic ab albo colore et humido humore. *Leuton* enim grece, latine <album>; *flegma* vero est <humor>. Secunda dicitur yposarcha, ab *ypo* quod est <sub>, et *sarchos* quod est <caro>; quasi infirmitas sub carne latens. Est enim consumptio carnium cum respiratione mali odoris. Tertia vocatur aschytes, ab *aschos* quod est <uter>, eo quod venter percussus sonat ad modum utris semipleni. Quarta dicitur tympanites, eo quod venter percussus sonat ad modum tympani; et hoc facit ventositas que est inclusa in ventre, que propter sui siccitatem generat magnam sitim. Ista ultima spetie magister laborabat Adamus. Ideo sequitur in textu: *La grave ydropisì, che sì dispaia*, etc., – idest ista ultima que dicitur tympanites, que ita disparia membra facit. *Con l'omor che mal converte*, – quia bona digestio in epate non est facta. *Che 'l viso non risponde a la ventraia*, – quia venter mala pinguedine pinguis et facies erat macra. *Faceva a lui*, idest illi ydropico, – *tenere le labra aperte / come l'etico fa, che per la sete / – l'un verso 'l mento*, – subaudi labium – *et l'altro in sù riverte*. Ethyca est febris que consumit naturalem humiditatem in corpore et totam cutem facit aridam et duram, et quasi dissolvit compages membrorum. Nascitur enim, secundum physicos, ex ipsorum distemperantia; et ideo quanto plus bibunt, plus sitiunt. Unde Ovidius, in primo libro De Faustis.
Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt pote, plus sitiuntur aque.

vv. 64-69

Li ruscelletti che de' verdi colli
del Casentin discendon giuso in Arno,
faccendo i lor canali freddi et molli,
sempre mi stanno innanzi, et non indarno,
etc.

Hic dicit magister Adamus quod *li ruscelletti*, id est torrenticuli sive aque qui vel que de viridibus collibus Casentini descendunt in fluvium Arni, faciendo suos alveos frigidos atque molles, semper stant sibi ante; et hoc non frustra, quia in illis partibus falsitatis peccata commisit. Casentinum est quidam nobilis comitatus quorundam magnorum comitum qui sunt comites in Tuscia palatini. Vulgo autem dicuntur comites Guidi.

vv. 73-75

Ivi è Romena, là dov'io falsai
la lega suggellata del Baptista;
per ch'io 'l corpo suso arso lasciai.

Romena est quoddam castrum in dictis partibus Casentini, in quo castro iste magister Adamus falsificavit florenos auri ad petitionem trium comitum de Romena, scilicet Guidonis, Alexandri, et Aghinulfi.

vv. 76-78

Ideo ait in textu ipse magister Adamus:
Ma s'i' vedesse qui l'anima trista
di Guido o d'Alexandro o di lor frate,
per Fonte Branda non darei la vista.

Fons Branda est quidam fons in civitate Senarum qui magnis aquis abundat in tantum quod totam illam civitatem abundantissime refocillat. Vult itaque dicere hic magister Adamus, quod potius vellet videre in illa pena secum istos comites, quam habere illum uberrimum fontem, licet ardeat magna siti.

vv. 79-81

Dentro c'è l'una già, se l'arrabbiate
ombre che van d'intorno dicon vero;
ma che mi val, c'ò le membra legate?

Dicit hic magister Adamus quod iam unus illorum trium comitum ibi erat, secundum quod umbre que per illam bulgiam currunt, idest Iohannes Schicchi et Mirra, sibi ferebant. Sed quid sibi hoc valebat, qui membra ligata habebat? Moraliter omnes damnati in inferno ligati dicuntur, et hoc quia nullum bonum opus possunt ibi penitus operari, licet expediti et liberi sint ad mala. Habent enim omnes potentias catenatas atque ligatas. Et primo potentiam operativam; quia, ut dictum est, nullum bonum possunt facere. Ideo dicitur Mathei XXII: Ligatis pedibus. Nam, secundum Augustinum, pedes anime sunt affectus. Tertio habent ligatam potentiam intellectivam, quia Deum nec aliquod bonum possunt ibi cognoscere; et hoc quia sunt in terra obscuritatis et oblivionis. Ideo dicitur ibidem: Mittite eum in tenebras exteriores. Et ideo, iuxta consilium Ecclesiastici VIIII: Quodcunque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec scientia, nec sapientia, erunt apud inferos quo tu properas.

Con tutto ch'ella volge undici miglia. Poetice hic autor designat quod ista decima bulgia est, in suo circuitu, undecim miliaribus; superior vero, idest nona, est viginti duobus. Et secundum istum modum, colligere possumus cuius amplitudinis sit ingressus Inferni, et cuius altitudinis sit profundum, ex quo quelibet superior linea circularis inferiorem excedit in duplo.

vv. 88-99

I' son per lor tra sì fatta familllia; Lictera plana est usque ibi: *et non credo che deno in sempiterno*. Sequitur:
L'una è la falsa c'accusò Gioseppo;
l'altr'è 'l falso Synon greco da Troia;
etc.

Hic tangit autor duorum nequitias falsatorum: Et primo pessimam et fraudulentam nequitiam illius egyptiace mulieris que falso accusavit Ioseph; secundo tangit callidam versipellemque nequitiam Synonis de Grecia, qui apud Troyam, dum fuit requisitus de vero, fraudem versipellissimam adinvenit. Primam hystoriam narrat Moyses in primo libro Genesis, XXXVIIII capitulo. Secundam vero Virgilius in secundo libro Eneydorum. Ystoria enim Iosep[h] a Moyse texitur in hunc modum: Cum enim fratres Ioseph ipsum ex invidia vendidissent, emit eum Futiphar, eunucus princeps militie Pharaonis, volens propter ipsius pulcritudinem sibi carnaliter conmisceri. Sed Deus, qui custodiebat Ioseph, illum Futipharem adeo infrigidavit ut deinceps impotens fuerit coire, tanquam eunucus esset. Ideo eunucus dictus est; non enim fuit de eunucis regie, qui parvuli castrabantur. Itaque videntes eum Ierophanti, idest templorum sacerdotes, a re factum, de more suo ipsum pontificem elyopolcos, idest domus solis creaverunt. Ioseph autem invenit gratiam in conspectu domini sui, totamque domum et universa que ipse dominus possidebat, in manus ipsius Ioseph tradidit gubernanda. Benedixitque dominus domum Egyptii, idest Futipharis, propter Ioseph, qui tamen nichil de omnibus bonis illius nisi panem quo vescebatur summebat. Factum est autem quod domina sua uxor, scilicet Futifaris, iniecit oculos in Ioseph et ait: «Dormi mecum». Qui respondit: «Omnia sua tradidit michi dominus meus preter te, que uxor illius es. Quomodo ergo hoc possum facere? Immo et peccarem in Deum meum». Accidit autem, ut ait Iosephus, ut publica festivitas instaret, cui etiam mulieres interesse debebant. Tunc illa egritudinem simulavit viro, captans ob hoc solitudinem et silentium ut posset melius exorare Ioseph. Et apprehensa lacinia palii Ioseph, ait illi: «Dormi mecum». Qui iratus, relicto pallio in manu eius, egressus est foras. Illa contemptam se dolens, inde argumentum fidei retentum pallium ostendit marito revertenti, dicens: «Ingressus est ad me servus hebreus ut illuderet michi». Ille, nimis credulus verbis coniugis, Ioseph vinctum tradidit in carcerem regis. Ista ergo de causa ista falsa mulier egyptiaca hic ponitur ab autore. Ideo dicitur in textu:
L'una è la falsa c'accusò Gioseppo;

Ystoria vero Synonis taliter ponitur a Virgilio, secundo libro Eneydorum. Dum enim Greci decem annis in obsidione troyana stetissent, et civitatem nullo modo capere possent, ad dolos et fraudes se finaliter converterunt. Fecerunt nanque fieri quendam equum mire magnitudinis ad honorem Palladis, simulantes esse votum ipsi Palladi Troyane per eorum salvo reditu persolvendum. De quo Virgilius:
Ductores Danaum tot iam labentibus annis
Instar montis equum divine Palladis arce
Edificant, sectaque intexunt abiete costas:
Votum pro reditu simulant,
etc.

In quo quidem equo posuerunt Greci milites armatos; et simulantes recedere, in insula quadam que Tenedos dicitur consederunt. Tunc Troyani, credentes Danaos recessisse, portas aperiunt, et videntes tam mirabilem equi molem consilia perquirebant. Igitur Thimetes primus ait duci equum intra muros et in arce Minerve locari. Sed Capis, qui postea Capuam condidit, prorupit in medium et ait: «Aut huic equo supponite flammas, aut terebrate cavas et uteri tentate latebras». Sed vulgus incertum scinditur in contraria studia. Tunc Lycaon, videns populum in diversa distractum, ait:
O miseri, que tanta insania cives?
Creditis avectos hostes? Aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? Sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut hec in nostros fabricata est machina muros.

Et ecce dum talia ad populum loqueretur, pastores regis quendam Grecum nomine Synonem victum et ligatum trahebant ad regem. Qui interrogatus a Priamo quis esset, ait se esse Sinonem et de vinculis fugisse Grecorum. Quam fugam in hunc modum artificiose confinxit, dicens: Dum Greci tedio fessi vellent ab obsidione troiana recedere, miserunt Euripilem ad Apollinem consulendum. Qui reversus, responsum ipsius Apolinis in hec verba reportavit amara:
Sanguine placastis ventos et virgine cesa.
Cum primum Yliacas, Danay, venistis ad horas:
Sanguine querendi reditus animaque litandum
Argolica. Vulgi que vox ut venit ad aures,
Obstupuere animi gelidusque per yma cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

Tunc de consensu Euripilis et Calcantis ego fui ad immolandum electus; sed deorum auxilio vincula rupi et de eorum manibus sic evasi.
Quod te per superos et conscia numina veri,
Per si qua est que restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.

Tunc Priamus: «His lacrimis vitam damus», inquit, «et miserescimus ultro». Ipsumque a vinculis solvens, dictis ita affatur amicis:
«Quisquis es (amissos hinc iam obliviscere Graios)
Noster eris; michique hec edissere vera roganti:
Quo molem hanc immanis equi statuere? Quis autor?
Quidve petunt? Que religio? aut que machina belli?»
Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga
Sustulit exutas vinculis ad sydera palmas.

Et ait ad Priamum: «Postquam scelerum inventor Ulixes fatale Palladium de arce troiana cruentis manibus asportavit, ipsa Pallas que prius erat spes et vita Grecorum ipsos deseruit et suo patrocinio spoliavit. Ut placarent ipsam Palladem, de Calcantis consilio, factus est iste equus ita grandis ut non possit per portas immitti troyanas; et hoc ne in antiquam defensionem in qua erat Troia sub Palladio verteretur». Talibus itaque insidiis periurique arte Synonis credita res est, captique dolo Troyani, quos non anni domuere decem, non mille carine, conclamant.
Dividimus muros et menia pandimus urbis.
Accingunt se omnes operi pedibusque rotarum
Subiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt: scandit fatalis machina muros.

Quam machinam postquam in arce troiana locassent et omnes essent somno vinoque sepulti, Synon aperuit hostium equi. Quo aperto, Greci qui intus erant foras exeunt, per civitatem discurrunt, vigiles trucidant, et signo flammarum exercitum latentem allicuint. Et sic, dolo Ulixis qui erat in equo, et falsitate Synonis qui aperuit equum, capta et incensa fuit antiquissima illa Troia. De qua Virgilius:
Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.
per febbre acuta gittan tanto leppo.

Febris acuta facit patientem, ex nimio ardore atque ex nimia debilitate, sudare, ex quo sudore vapor sive fumus putridus generatur.

vv. 100-102

Et l'un di lor, che si recò a noia
forse d'esser nomato sì obscuro

– idest aperte –

col pugno li percosse l'epa croia.

– idest ventrem durum –

Quella sonò come foss'un tamburo;

Quia ydropsis ystius Adami fuit ex quarta specie que dicitur tympanites, ideo dicit autor quod, dum fuit percussus in ventre, quod venter sonuit sicut tympanum, quod vulgo dicitur *tamburo*. Fit autem timpanum ex pelle sive carta desiccata, super lignum ex una parte extensa. Illud autem instrumentum quod vulgo dicitur *tamburello*, latine dicitur *simphonia*. Est enim simphonia, secundum Ysidorum, tertio libro Eth., lignum cavum, ex utraque parte pelle extenta, quam virgulis hinc et inde musici feriunt.

vv. 103-117

et mastro Adamo li percosse 'l volto, etc. Lictera plana est usque ibi:
et tu per più c'alcun altro dimonio.

vv. 118-120

Sequitur:
Ricorditi, spergiuro, del cavallo.
Quia hic agitur de falso iuramento et mendacio Synonis, ideo de ipsis peccatis aliqua videamus. Et primo videamus utrum iuramentum sit licitum. Et videtur quod non, quia Christus mandavit, ut habetur Mathei quinto: Dico vobis omnino non iurare neque per celum, quia tronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est, neque per Ierosolimam, quia civitas magni regis est, neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum pilum facere album vel nigrum. Sit autem sermo vester: Est, est; non, non. Contra est usus Ecclesie, que non solum permittit iurare, sed insuper iuramentum extorquet. Respondeo: Iuramentum per se non est malum, sed ne facilitate iurandi in periurium cadamus. Ideo iurare nobis in autoritate proposita prohibetur, ut dicit glosa ibidem. Aliter esset contrarium illi autoritati que habetur Deuteronomii 6: Per nomen Dei iurabis, – supple: si iurare contingat –. Sed nota quod sex sunt casus in quibus potest licite quis iurare, qui his duobus versibus continentur:
Lex et fama, fides, reverentia, cautio damni
Defectus veri tibi dant iurare libenter.
Primus itaque casus est lex, quia in lege mosaica fuit permissum, ut habetur Deuteronomii VI. Et hoc duplici de causa ad honorem, scilicet, et reverentiam Dei, ut esset iuramentum fidelis protestatio divine maiestatis, et propter ydolatriam vitandam, quia iurantes per nomen Dei ydola vilescere faciebant. Secundus casus est fama. Licite quippe iuratur pro fama purganda vel conservanda, Ecclesiastici 41: Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri magni et pretiosi. Et Ecclesiastes VII: Melius est nomen bonum quam unguenta optima. Tertius casus est fides: permittit enim fides ut iuretur ad hoc ut ipsa fides astruatur in cordibus simplicium, et ut conservetur status Ecclesie pro quibus etiam iurant religiose persone. Quartus casus est reverentia – supple Dei – ut paret supra; sed multi sunt qui nullam reverentiam exhibent divine maiestati cum impudica lingua demonica membra scindentes nunc per caput, nunc per oculos, nunc per cor, nunc per sanguinem, nunc per corpus inverecunde iurantes. Quintus casus est cautio damni; permittitur enim tibi iurare ut res tua indemnis conservetur vel amissa recuperetur. Sextus casus est defectus veri; quia enim deficit verum in proximo. Ideo propter istum defectum adiunctum est iuramentum: Est autem iuramentum assertio vel negatio alicuius rei, inducto Deo teste, vel cum attestatione rei sacre. Periurum vero est assertio falsi sive negatio veri, inducto Deo teste, vel interpositione rei sacre. Et habet iuramentum tres species: Prima est pernitiosa, ut quotiens intendat quis nocere proximo. Secunda est falsa, ut cum iurat quis falsum vel scienter vel ignoranter; si

scienter, est mortale peccatum; si ignoranter, veniale. Tertia est permutatoria, ut cum quis male iurat et illud tale iuramentum non observat; sicut David iuravit quod occideret Nabal, et tamen non occidit, ut habetur Primo Regum 29. Unde beatus Ysidorus, et habetur in Decretis: In male promissis rescinde fidem et in turpi voto muta decretum. Octo autem sunt casus sive species in quibus male iuratur. Que octo species his duobus versibus continentur:
Si male iurandi species sit cura notandi,
Per primas fato per ydonea commemorato.

Prime autem lictere huius dictionis fato sunt F et A. Per F intellige falsum iuramentum, quod semper est pernitiosum et mortiferum, ut dicit Augustinus. Per A intellige appetere iurare; quod prohibet beatus Iacobus in sua canonica 4: Nolite iurare fratres mei, idest non habeatis voluntatem iurandi nisi urgente necessitate. Et adde omnes licteras huius dictionis ydonea. Per I intellige irreverenter iurare, sicut faciunt illi qui tota die per nomen Domini et per nomina sanctorum irreverenter iurant. Per D intellige dolose; quando quis in dolo vel fraude iurat. Unde inter beatos David illum connumerat qui non iurat in dolo proximo suo. Per O intellige otiose iurare; quod prohibetur Exodi 21: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Ille nomen Dei sui in vanum assumit qui otiose, idest sine aliqua causa, iurat. Per N intellige negligenter iurare; ille negligenter iurat qui in omni iuramento nomen Domini nominat. Deuteronomii V: Non usurpabis nomen Dei tui frustra. Per E intellige erronice iurare, cum errorem vel dubium iuramento affirmat. Contra quod dicitur Ecclesiastici XI: De ea re que te non molestat, ne certes. Per ultimam licteram A intelligitur consuetudo iurandi, Ecclesiastici 23: Iuratione non assuescat os tuum; multi enim casus sunt in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo et nominibus sanctorum non ammiscearis. Istis modis si quis iurat fit periurus, et maxime si tangat Evangelium vel aliquam scripturam vice et nomine Evangelii. Et nota in quot pericula simul et semel incidit periurus cum extendit manum suam in missale; in quo quatuor estant scripta, scilicet consecratio corporis et sanguinis Christi, suffragia sanctorum, beatitudo iustorum, et damnatio reproborum. Est igitur iuramenti sui sensus: Nisi verum sit quod iuro, non iuvent me post mortem meam missarum celebrationes, nec sanctorum suffragia michi prosint; perdamque beatitudem sanctorum et incurram penam damnatorum. Et ista de iuramento sufficiant et periuro.

Mendacium autem est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, ut ait Augustinus. Mentiri vero, secundum Gregorium, est contra mentem ire. Et istud potest fieri verum dicens: Unde non omnis qui mentitur falsum dicit, sicut converso qui falsum dicit cum intentione fallendi, quia ream linguam non facit nisi rea mens. Et nota quod tria sunt genera mendacii, secundum beatum Gregorium: Primum est mendacium malignitatis, quod est cum intentione fallendi, et semper est mortale peccatum. De quo in libro Sapientie: Os qui mentitur occidit animam suam. Secundum est mendacium benignitatis, quo mentite sunt obstetrices Pharaoni, ut habetur Exodi primo. Tertium est mendacium ioci, quod in sermone solet fieri quotidie. Omne tamen mendacium est peccatum, ut dicit Augustinus. Et nota quod mendacium est valde cavendum, quia hominem assimilat dyabolo: aufert enim ei ymaginem veritatis, et imprimit ymaginem falsitatis. Primum nanque mendacium dyabolus dixit cum, Ysaie XIIII, ait: Ero similis altissimo. Secundum cum dixit Eve: Nequaquam moriemini; Genesis tertio. Inter homines vero primus mentitus est Caym, cum dixit se nescire fratrem suum quem occiderat; Genesis quinto; unde a Domino maledictus est, et vagus et profugus est super terram factus. Item Anania et Saphyra mentiti sunt Spiritui Sancto et morte percussi sunt, ut habetur Actuum quinto. Item Beatus Petrus per mendacium ad hoc pervenit ut negaret Christum. Legitur de quodam sene in Vitis Patrum quod fratribus ad se venientibus et de perfectione vite loquentibus dixit quod, ex quo conversus fuerat, nunquam mendacium de ore ipsius prodiit; et quicquid a Domino peteret consecutus est. Et infra triduum viderunt fratres animam eius ab angelis in celum portari. Sciendum tamen est quod, si non liceat mentiri, licet tamen captiose loqui, idest veritatem celare pro loco et tempore, et tamen mendacium non proferre. Exemplum Iacob qui ait ad patrem, Genesis 27: Ego sum Esau primogenitus tuus, hoc est primogenitus non natura sed gratia, idest ille cui debetur ius primogeniture, quam Exau illi vendiderat. Item Abraam dixit de Sarra uxore sua: «Soror mea est» ut patet Genesis XX. Item Tobie V dixit Raphael angelus ipsi Tobie: Ego sum Azarias, Ananie magni filius. Azaria enim interpretatur adiutor; Ananias vero gloria Dei. Et angeli sunt tanquam adiutores glorie Dei. Item de sancto Cadmundo legitur quod, occurrentibus hostibus et regem Cadmundum querentibus, respondit: «Me egrediente, egressus est rex». Et Dominus de Iohanne: Si vultis scire, Iohannes est Elyas, – subaudi officio, non persona –. Et sic pateat de iuramento, periurio, et mendacio. Propter falsum itaque mendacium Synon Grecus in ista bulgia ponitur ab autore. Ideo dicitur in textu:*Ricorditi spergiuro del cavallo*. –

vv. 127-129

Lictera plana est usque ibi:
tu ài l'arsura e 'l capo che ti dole;
et per leccar lo specchio di Narcisso,
non vorresti a 'nvitar molte parole.

Vult hic dicere Synoni Adamus: Tu habes, propter febrem quam pateris, dolorem in capite et arsuram talem in gutture, quod ad lambendum speculum Narcissi, idest fontem, invitamina multa nolles. Istoriam sive fabulam Narcissi scribit Ovidius, tertio libro Meth. Fuit enim in partibus Aonie quidam nomine Cephisus, qui ex uxore sua Linope unum filium habuit, qui in sui nativitate adeo pulcer fuit, quod etiam in illa etate poterat iam amari. Natus autem puer, Narcissus vocatur. De quo consultus vates fatidicus Tyresias utrum matura tempora senectutis videret, «Si se non noverit» inquit, idest si se non videret, «diu vivet». Puer autem in XXI anno tante pulcritudinis erat quod
Multi illum iuvenes, multe cupiere puelle:
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuvenes, nulle tetigere puelle.

Inter multas vero puellas que Narcissum amabant, fuit una nimpha que vocabatur Echo: que ut vidit Narcissum per devia rura vagantem, valido amore incaluit, eiusque vestigia furtim sequens, voluit inicere desiderato brachia collo. Cui Narcissus: «Ante», ait, «emoriar quam sit tibi copia nostri». Unde illa

Spreta latet silvis pudibundaque frondibus ora

Protegit et solum exillo vivit in antris;

Sed tamen heret amor crescitque dolore repulse;

Et tenuant vigiles corpus miserabile cure

Adducitque cutem macies et in aera sucus

Corporis omnis abit; vox tantum atque ossa supersunt.

Inde latet silvis, nulloque in monte videtur,

Omnibus auditur: sonus est qui vivit in illa.

Per istum itaque modum Narcissus deluserat plures iuvenes pluresque puellas. Unde unus iuvenis despectus ab ipso, manus ad ethera tollens ait: «Sic amet ipse licet, sic non potiatur amato», idest licitum sit ei ut aliquem amet sicut ego dilexi eum, sed talem fructum habeat de eo qualem ego habui de ipso. Quam orationem audiens Rannusia, idest fortuna, exaudivit; que Rannusia dicitur ab oppido Ranno, in quo antiquitus colebatur. Fuit autem exaudita istius deprecatio per hunc modum: erat enim in quadam silva quam Narcissus, causa venandi, sepe sepius frequentabat quidam fons aque limpidissime, ameno prato, et arboribus circumseptus.
Hic puer et studio venandi lassus et estu
Procubuit, faciemque loci fontemque secutus,
Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crevit,

Nam ut in aqua suam faciem formamque conspexit, captus est ymagine et sue umbre. Credensque illam suam umbram esse alium iuvenem, ipsum amplecti suis brachiis nitebatur. Ovidius:
Spectat humi positus geminum, sua lumina, sydus
Et digitos Bacho, dignos et Apolline crines.
Impubesque genas et eburnea colla decusque

Oris et in niveo mixtum candore ruborem,
Cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse:
Se cupit imprudens et, qui probat, ipse probatur,
Dumque petit, petitur, pariterque accendit et ardet.
Irrita fallaci quotiens dedit oscula fonti,
In medias quotiens visum captantia collum
Brachia mersit aquas nec se deprehendit in illis!
Quid videat, nescit; sed quod videt, uritur illo.

Tali itaque visione delusus, Narcissus non manducabat nec quietem aliquam capiebat, sed ibi suam vitam se ipsum videndo inaniter consumebat. Ovidius:
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahere inde potest, sed opaca fusus in herba
Spectat inexpleto mendacem lumine formam.

Et loquens ad suam umbram ita ipsam ac si esset unus iuvenis deprecatur:

Quisquis es, huc exi! quid me, puer unice, fallis

Quove petitus abis? certe nec forma nec etas

Est mea, quam fugias, et amarunt me quoque nimphe!

Spem michi nescio quam vultu promittis amico,

Dumque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro,

Cum risi arrides; lacrimas quoque sepe notavi

Me lacrimante tuas; nutu quoque signa remittis.

Cum autem illa umbra quam videbat in aquis nichil sibi breviter responderet, perpendit quod ymago sua erat illa cuius amore tam acriter urebatur. Et ait:
Iste ego sum: sensi, nec me mea fallit ymago;
Uror amore mei: flammis moveoque feroque.
Quod cupio mecum est: inopem me copia fecit.

Quasi dicat: Quod cupio habere mecum est, sed ad usum amoris habere non possum. Et ideo copia mei facit me inopem, idest sine opere mei quia michi ipsi opem ferre non possum. Istis itaque amoris stimulis agitatus, ceu matutine pruine sole liquefieri solent, ita cepit in se ipso totaliter liquefieri. Et sic deficiens, transformatus in florem cecidit inter flores. Ovidius:
Et neque iam color est mixto candore rubori,
Nec vigor et vires et que modo visa placebant,
Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo.

Cum autem corpus ipsius driades nimphe sepelire curarent, iam non corpus sed florem croceum inveniunt inter flores. Ovidius:
Iamque rogum quassasque faces feretrumque parabant,
Nusquam corpus erat; croceum pro corpore florem.
Inveniunt foliis medium cingentibus albis.

Ista fabula de Narcisso et Echo sumpta est ex quadam philosophica ratione. Echo enim nil aliud est nisi quedam resonantia, que fit in vallibus sive silvis vel in concavitatibus montium vel murorum; et formatur talis resonantia ex repercussione alicuius strepitus vel clamoris. Non tamen resonat nisi ultima sonantia verborum vel vocis. Unde Ovidius dicit quod Echo in fine loquendi,

ingeminat voces auditaque verba reportat. Accipe ergo per Narcissum, qui in silvis clamorem cum canibus faciebat, aliquem strepitum sive sonum. Per Echo vero accipe responsum ultimorum verborum sive sonorum, qui redditur ex repercussione aeris in silvis, montibus, seu saxis. Cetera vero ipsius Narcissi que poetice describuntur, excepto uno, vera sunt. Verum enim fuit quod amavit se ipsum quando se primum vidit in aquis, et quod amore sui ipsius, quia se ipso frui non poterat, periit iuxta fontem. Quod vero in florem dicitur transformatus, hoc ideo fingitur quia inter flores mortuus est inventus. Et ex hoc fabula vendicat scilicet locum. Improperando igitur dicit Synoni magister Adamus: Tu laboras adeo magna siti quod libenter speculum lamberes tu Narcissi, idest libenter biberes de aqua fontis in quo Narcissus se ipsum speculando videbat.

In isto cantu continentur quatuor comparationes et tria notabilia.

[Comparationes]

vv. 25-27

PRIMA COMPARATIO.

quant'i' vidi du' ombre smorte et nude,
che mordendo correvan di quel modo
che 'l porco quando del porcil si schiude.
Lictera plana est.

vv. 49-51

SECUNDA COMPARATIO.

I' vidi un, fatto a guisa di leuto,
purch'elli avess'avuta l'anguinaia
tronca dal lato che l'uom à forcuto.
Lictera plana est.

vv. 91-93

TERTIA COMPARATIO.

Et io a lui: «Chi son li due taupini,
che fumman come man bagnata 'l verno,
giaccendo stretti a' tuoi dextri confini?»

Circa istam comparationem, que naturalis est, potest fieri una questio; quare scilicet potius in hieme quam in estate fumat manus balneata. Respondeo: In hieme enim pori corporis ratione exterioris frigoris constringuntur, idcirco calor interius adunatur. In lotione vero, quantumcumque aqua sit frigida, propter fricationem manuum pori aperiuntur, ex qua apertura calor egrediens aquam calefacit intantum quod manus fumare facit. In estate autem propter exteriorem calorem pori stant aperti; et ideo cum homo balneat sibi manus, ipsa manus fumare non potest, quia calor interior non est unitus, sed extra vaporabiliter est egressus. Et ista est causa quare potius in estate quam in hieme homo infrigidatur, quia in estate pori sunt aperti. Istud idem videmus in elemento terre. Terra enim in estate est tota aperta; ideo pullulat. In hieme vero constringitur propter frigus; unde calor interius in terre visceribus adunatur. Et idcirco nichil pullulat, terram exteriore frigore constringente, sed per puteos fumum emittit: quod in estate non accidit, ut videmus.

vv. 136-141

QUARTA COMPARATIO.

Et qual'è que' che su' dannagio sogna,
che sognando disidera sognare,
sì che quel ch'è, come non fosse agogna,
tal mi fec'io, non potendo parlare,
che disiava scusarmi, et scusava

me tuttavia, et nol mi credea fare.

Ista est una pulcerrima comparatio que talis est: Multotiens accidit quod homo somniat turpe aliquod vel damnosum. – Et in tali somnio dicit: «Utinam istud esset somnium et non verum». Et sic id quod est, idest, somnium desiderat velut si somnium non fuisset. Ideo ait:
sì che quel ch'è, come non fosse agogna,

Inducta comparatione istius somnii, dicit autor talem nempe me feci loqui non valens: nam desiderabam me excusare, et excusabam, sed de hoc non advertebam. Excusabat enim se autor cum verecundia quam in facie pretendebat. Ideo dixit sibi Virgilius, ut ait autor in textu:
«Magior difecto men vergogna lava»
disse 'l maestro, «che 'l tuo non è stato,
però d'ogni tristitia ti disgrava».

[Notabilia]

vv. 61-63

PRIMUM NOTABILE.

i' ebbi vivo assai di quel ch'i' volli
et ora, lasso! un gocciol d'aqua bramo.

In hoc notabili evidenter apparet quod qui in hac vita consolatur, in alia tribulatur. Impossibile est enim, secundum sanctos, quod hic et ibi consolatio habeatur. Unde beatus Ieronimus ad Elyodorum De Contemptu Mundi: Delicatus, inquit, es frater carissime, si et hic vis gaudere cum seculo et postea regnare cum Christo.

vv. 70-72

SECUNDUM NOTABILE.

La rigida iustitia che mi fruga
trage cagion del loco ov'i' peccai
per metter più li mie' sospiri in fuga.

In hoc notabili notare debemus quod non solum peccatum est causa pene, sed etiam locus ubi peccatum committitur. Ideo ait divina iustitia peccatori: «Ubi te invenero, ibi te iudicabo»; hoc est: propter locum enim in quo peccasti, te etiam iudicabo. Ideo ait magister Adamus: Rigida iustitia que me cruciat, sive pungit, causam trahit de loco in quo peccavi; idest ille locus amenus et aquis abundans, quia ibi peccavi, sua continua recordatione me cruciat et tormentat.

vv. 145-148

TERTIUM NOTABILE.

«chè voler ciò udire è bassa vollia».

Dum homo delectatur audire ista infima, sicut sunt altercationes mulierum et clamores rusticos vulgi, ostendit se habere infimum appetitum. Ideo Dantes in hoc notabili reprehenditur a magistro.

Et sic patet XXX cantus prime cantice.

XXXI

INCIPIT XXXI CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

vv. 1-66

In isto XXXI cantu autor cum precedenti trigesimo sic concordat. In fine enim superioris cantus ipsum Virgilius reprehenderat eo quod altercationes illorum duorum altercantium auscultabat; sed mox ut vidit ipsum in facie rubicundum, ipsum dulciter confortavit. Ideo continuando, sic incipit istum cantum: Una et eadem lingua primitus me momordit, ita quod ex utraque parte michi faciem

coloravit, sed statim michi obtulit medicinam. Taliter nempe audio quod lancea Achillis suique patris solita erat esse primo tristis postea boni signi. Inducta ista comparatione, dicit autor quod a decima bulgia, que est in fine octavi circuli, recederunt et versus nonum et ultimum circulum processerunt, dicens: Nos dedimus dorsum misero valloni, et super ripam que ipsum circumdat, recta via, sine aliquo sermone, arripuimus iter nostrum. Ibi enim erat minus quam nox et minus quam dies, ita quod oculus meus ibi modicum penetrabat. Sed ego sensi unius cornu tam altum sonum, quod fecisset omnem tonitruum certe raucum. Ad cuius sonitum versus unum locum pedes et oculos mox direxi. Post dolorosum nempe conflictum, quando Carolus Magnus perdidit sanctam gestam, non sonuit terribiliter sic Orlandus. Modicum vero portavi faciem versus illac, quod michi fuit visum multum altas turres videre, propter quod dixi Virgilio: «Magister, que terra est ista?» Et ille michi: «Quia per tenebras nimis a longe tu transcurris, ideo evenit quod postea tua ymaginatio errare te facit. Tu videbis bene, si illuc coniunges te ipsum, quantum sensus decipitur de longinquo. Et ideo aliquantulum punge te ipsum». Postea care me cepit per manum et ait: «Prius quam nos simus ibi plus prope, ad hoc ut factum istud tibi minus extraneum videatur, scias quod non sunt turres, immo gigantes, et sunt in puteo in circuitu ripe ab umbilico deorsum». Et sicut quando nebula diradatur, et visus oculi paulatim recipit figuram illius rei quam vapor, qui stipat aerem, celat, ita quod ego penetrando auram grossam et obscuram magis et magis versus spondam putei propinquando, fugiit a me error et crevit michi timor. Quia sicut Monsreggione per circuitum quorum murorum turribus coronatur, ita prodam que puteum circumcingit turritabant cum media persona horribiles gigantes, quibus de celo adhuc quando tonat Iupiter comminatur. Et ego alicuius faciem, spatulas, pectus, ventrisque magnam partem et per tybias inferius amba brachia iam videbam. Natura certe, quando dimisit artem talium animalium, satis bene fecit, ad hoc ut tolleret tales executores Marti. Et si ipsam elefantorum et balenarum non penitet, qui subtiliter respicit plus iustam ipsam retinet et discretam. Quia ubi vel quando argumentum sive subtilitas mentis cum mala voluntate coniungitur atque posse, nullam reparationem potest facere ibi gens. Facies enim sua videbatur michi ita longa et grossa sicut est pinea Sancti Petri de Roma, et ad suam proportionem alia membra erant; ita quod ripa, que erat perizoma a medietate inferius, ostendebat bene tantum superius, quod tres frisones se male iactassent pertingere ad locum – subaudi perizomatis – usque ad caput. Quia ego videbam bene triginta magnos palmos ab illo loco inferius ubi homo fibulat clamidem seu vestem.

vv. 67-145

Iste itaque tam magnus et ferus, ut vidit autorem, cepit ignota lingua clamare: «Raphèl maì amèc zumbrì almi». Ad quem Virgilius: «O anima stulta, tene te cum cornu, et cum illo rabiem tuam satia, quando ira seu alia passio te tormentat. Scrutare etiam tibi collum, et invenies ibi funem qui tenet illum ligatum, o anima confusa, et respice illum qui tuum magnum litiat tibi pectus». Postea dixit ad Dantem: «Iste se ipsum accusat. Iste nempe est Nembroth, propter cuius malum cogitatum solummodo uno linguagio homines non utuntur. Dimitte illum et non loquamur in vanum, quia ita est sibi quodlibet linguagium sicut suum alteri, quod nulli est notum». Post hec, ait autor, nos volvimus a sinistris et ad tractum unius baliste invenimus alium satis plus ferum atque maiorem; ad cingendum ipsum nescio dicere quis esset ille magister, sed ipse tenebat succintum anterius levum et posterius brachium dextrum cum una catena, que ipsum tenebat vinctum a collo inferius, ita quod a discoperto superius se revolvebat usque ad girum quintum. «Iste superbus voluit esse expertus sue potentie contra summum Iovem», dixit michi dux, «propter quod taliter muneratur. Fialtes est suum nomen, qui operatus est maximas probitates quando gigantes timorem diis superis ingesserunt. Ideo manus quas tunc movit nunquam de cetero sibi licere movebit». Et ego ad eum: «Si esse potest, ego vellem quod de immenso Briareo experientiam haberent oculi mei». Unde ille respondit: «Tu videbis Antheum hic prope qui loquitur et est solutus, et qui nos in fundo omnis mali deponet. Ille enim, quem tu vis videre, est multum plus illac, et est ligatus et factus sicut iste, excepto quod plus ferox apparet in vultu». Non fuit unquam terremotus horribilis tantum, qui excuteret unam turrim ita fortiter, sicut Fialtes ad se excutiendum fuit solicitus et attentus. Tunc timui ego plus quam timuerim unquam mortem, et non erat opus plus quam dubitatio, si non vidissem catenas quibus est tam fortiter colligatus. Post hec processimus magis ultra et venimus ad Antheum, qui bene quinque allis exibat, excepto capite, de caverna. Ad quem Virgilius: «O tu qui in fortunata valle que fecit heredem glorie Scipionem, quando Anibal cum suis spatulas illi volvit, reportasti iam mille leones pro preda, quia si tu interfuisses alteri guerre tuorum fratrum, adhuc creditur quod vicissent filii terre; non te tedeat mittere nos deorsum, ubi Cocitum frigiditas coadunat et stringit. Non facias nos ire ad Titium nec ad Tyfum. Iste potest dare de eo quod hic optatur; ideo te inclina. Adhuc potest in mundo reddere tibi famam, quia vivit, longamque famam adhuc expectat, si ante tempus a gratia non vocatur». Ad ista itaque verba ille manus cum festinantia mox extendit, a quibus Hercules iam sentiit penosos amplexus, cepitque cum ipsis ducem meum. Virgilius vero, quando se capi perpendit, dixit michi: «Veni huc, ita quod te capiam». Post hec ita fecit quod ipse et ego eramus protinus unus fascius. Et qualis videtur Carisenda cum ex parte qua pendet respicitur, quando una nubes vadit super ipsam, ita quod ipsa pendeat in contrarium, talis michi videbatur Antheus cum ipsum inclinari respiciebam. Et fuit talis hora quod ego voluissem per aliam stratam ire. Sed leviter in fundo qui devorat Luciferum cum Iuda nos deposuit, nec sic inclinatus ibi fecit

moram, sed sicut malum elevatur in navi, ita se inde celeriter elevavit. Unde dicitur in textu: «et com'arbor in nave si levò».

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-6

Una medesma lingua pria mi morse,
sì che mi tinse l'una et l'altra guancia,
et poi la medicina mi riporse;
così od'io che soleva la lancia
d'Achille et del su' padre esser cagione
prima di trista et poi di buona mancia.

Dicit hic autor quod una et eadem lingua – subaudi Virgilii – ipsum autorem pupugit atque unxit; quia ipsum de suo defectu primitus reprehendit, postea vero, videns ipsum correctum, ipsum dulciter confortavit: Et adducit hic similitudinem lancee Achillis, que istas duas naturas diversas habebat: Nam lancea Achillis suique patris in principio pugne mala omina ostendebat, in processu vero victoriam obtinebat. Sed ista verba premissa, moraliter exponendo, denotant et ostendunt quod lingua hominis sapientis scit vulnerare pariter et mederi; vulnerare dico hominem quando peccat, et vulnerando mederi, hoc est moderata et ordinata uti correctione. Dicit enim Seneca quod leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti; nimia vero asperitas castigationem nec recipit nec salutem.

vv. 7-9

Noi demo il dosso al misero vallone Hic incipit autor tractare de puteo abyssi. Lictera plana est usque ibi: *ma io senti' sonar un alto corno*. Volens autor de superba gigantum arrogantia pertractare, incipit ab illo superbo gigante per cuius superbiam una lingua in LXXII linguas fuit adeo divisa. Et ad narrandum de ipso poetice sic procedit: Ego sensi a longe in illa obscuritate abyssi pulsari tam alte unum cornu, quod omne tonitruum istius comparatione iudicaretur protinus esse raucum; et tam alte sonuit qui sonabat, quod non sic terribiliter Orlandus sonuit quando Karolus Magnus perdidit sanctam gestam. Ego vero dum solicite versus illam partem respicerem unde ille sonitus veniebat, fuit michi visum videre a longe magnas turres, unde ad Virgilium me convertens: «Dic», inquio, «mi magister, que terra est ista?» Et ille michi: «Scias quod non sunt turres, immo gigantes». Tunc ego errore vacuatus et timore repletus, cepi illos gigantes qui michi turres primitus videbantur subtilius intueri. Et ecce, dum sic respicio, vidi illum qui ore tanquam cum cornu sonuerat, quod caput habebat tante magnitudinis quante est pinea enea Sancti Petri de Urbe, et ad proportionem capitis cetera membra erant. Corporis vero illa pars que ab umbilico superius extra puteum videbatur, erat tante longitudinis quod tres frisones unus super alium ad illius verticem minime attigissent. Nam ego vidi quod a collo seu gula usque ad umbilicum bene XXX magnos palmos in longitudine possidebat. Qui quando fuimus ante eum cepit clamare dicens: «Raphèl maì amèch zambrì almi». Tunc Virgilius dixit michi: «Iste est Nembroth, pro cuius opere lingue antiquitus sunt divise». Istoria vero ipsius scribit Moyses in libro Genesis, que a magistro Petro Manducatore taliter compilatur. Nembroth fuit filius Chus, filii Cham, qui fuit filius Noe. Hic itaque Nembroth cepit primus esse in terra potens, et robustus venator in terra hominum coram domino, idest extinctor et oppressor, amore dominandi. Et cogebat homines ignem adorare. Hunc secuti, Caldei ignem adorabant et ad idem alios cogebant, alia ydola comburentes. Sacerdotes vero Canopey hoc audientes, eo quod magnum ydolum in honorem Beli formaverant, removentes coronam auream, apposuerunt vas fictile ad modum corone factum, undique perforatum, plenum aqua, foraminibus cera obturatis. Caldei vero apposuerunt ignem; sed liquefacta cera, aqua defluens que erat in corona ignem extinxit. Nembroth itaque, amore dominandi succensus, omnes filios Noe, hoc est universum genus humanum, in campo Sennaar congregavit in unum, et ceperunt edificare turrim que pertingeret usque ad celos, habentes lateres pro saxis et bitumen pro cemento. Descendit autem Dominus ut videret turrim, idest animadvertit ut puniret, et ait ad angelos: «Venite, confundamus linguam eorum, ut non intelligat unusquisque vocem proximi sui».

De hac turri dicit Iosephus quod latitudo per quadrum erat ita amplissima, ut prope eam aspicientibus longitudo videretur in minus. Dii vero, idest angeli, ventos immittentes, everterunt turrim et vocem propriam unicuique sunt partiti. Propterea Babiloniam contigit vocari civitatem. *Babilon* enim ebrayce, <confusio> latine. De hac turri meminit Sibilla dicens: «Cum omnes homines unius vocis existerent, quidam turrim edificaverunt excelsam tanquam per eam ascensuri ad celum». De campo vero Sennaar in regione Babillonis meminit Esitius ystoriographus dicens: «Qui de sacerdotibus sunt egressi, Iovis sacra summentes, in Sennaar Babillonis venerunt». Divisique sunt post hec diversitate linguarum migrationes agentes. De isto Nembroth descendit Belus, pater Nini, qui Ninivem condidit. Fuit et alius Belus rex Grecie, pater Didonis, regine

Cartaginensis urbis atque fundatricis. Sed ad turrim barbaricam redeamus. Nembrot autem non dimisit propter turris destructionem civitatem edificare, quam postea Semiramis cocto latere circumdedit, idest muravit. Fuit autem ista civitas que Babillonia dicta est tante fortitudinis quod muri ipsius erant ita ampli, secundum quod dicit Orosius, quod XX quadrige super eum simul esse possent. Ieronimus etiam *Super Ysaiam*de ea sic ait: Babilon fuit potentissima et in campestribus per quadrum sita, habens muros ab angolo usque ad angulum XVIm passuum, idest simul in circuitu LXIIIIor milium. Theodorus autem, et alii multi qui grecas ystorias conscripserunt, dicunt quod arx, idest capitolium Babillonie, fuit illa turris que fuit post diluvium edificata. Que in altitudine tria milia passuum habuisse describitur, paulatim de lato in angustum coartata, ut pondus imminens posset facilius sustentari. Describunt etiam ibi fuisse templa marmorea, statuas aureas, plateas lapidibus auroque fulgentes, et multa alia que pene videntur incredibilia. Igitur Nembroth, quia sua superbia confuse sunt lingue, ideo sua lingua est ita confusa, quod nec sua est alicui nota, nec aliene note sunt sibi. Unde illa verba que protulit: «Raphèl maì amèc zambrì almi» nichil significationis important. Si autem queris quante longitudinis fuit iste Nembroth , dico quod fuit X cubitorum, ut ait quedam glosa super Genesin. Si vero queris quomodo stant gigantes in circuitu putei, dico, secundum textum, quod ab umbilico supra extant extra puteum; ab umbilico vero deorsum stant in puteo, ita quod ipse puteus est eis velamen quasi bracarum. Ideo ait autor: *sì che la ripa, ch'era perizoma*.

Ripa enim putei est illis perizoma, idest braca. Nam *perizoma*, *perizomatis*, et in plurali *perizomata*, sunt succinctoria quasi brace. Unde in libro Genesis dicitur quod Adam et Eva post peccatum cognoscentes se nudos, fecerunt sibi perizomata de foliis ficuum, idest ad modum bracarum sua pudenda velarunt. Et nota quod Semiramis regina Assiriorum primo bracas adinvenit, ut dicit Magister ystoriarum. Sed hic nota quod licet superius, cantu scilicet VII, actum sit de superbia in generali, in isto tamen cantu agitur de superbia in speciali. Nam ibi tractatum est de ipsa superbia, prout est capitale peccatum, et prout est appetitus proprie excellentie, et prout ab incontinentia prodire videtur. Hic vero tractatur de ipsa, prout est perverse celsitudinis appetitus, et prout a malitia et a bestialitate procedit. Circa quam materiam est sciendum quod, ut ait Philosophus in Ethicis et superius est expressum, omnia peccata in tria breviter distinguuntur, scilicet in incontinentiam, malitiam, et bestialitatem. Et est incontinentia omnis actus sive operatio in quo vel qua homo continentiam habere vel servare non vult, et aliquando propter passiones quibus resistere non valet, habere vel servare non potest. Et sub nomine incontinentie autor in isto libro comprehendit VII peccata capitalia, que quidem videre possumus in hunc modum: Humano enim generi, ad conservationem sui ipsius, a suo conditore VII sui status conservantia conceduntur. Et primo conceditur sibi immo et precipitur sui multiplicatio iuxta illud: «Crescite et multiplicamini, et replete terram». Sed ad hoc indiget homo copula carnis; qua copula, si quis matrimonialiter bene usus fuerit, non peccabit. Si autem ista copula in aliena uxore vel etiam in sua quis male usus fuerit, quia continentiam sibi datam non tenuit, sed extra ipsam continentiam exivit, ideo peccare dicitur; quod quidem peccatum incontinentia vocitatur. Si vero quis in carnali copula querit solummodo delectationem carnis, non multiplicationem prolis, querit vias et modos quibus uxorem rapiat alienam, et invenire satagit novitates quibus vel ad luxuriam provocetur, vel quibus magis in ipsa luxuria delectetur, talis non incontinentiam sed in malitiam cadere iudicatur. Nam talia facere et adinvenire non procedit ab incontinentia, sed a malitia dyabolica vel humana. Si vero quis, nec incontinentia nec malitia satiatus, adhuc peiora operari conatur, puta coire cum sorore, matre, vel filia, masculo vel iumento, non dicitur simpliciter incontinens vel malitiosus, sed protinus bestialis. Unde peccatum contra naturam, de quo superius actum est, cantu scilicet XV et XVI, et peccatum Mirre, que de patre concepit, de qua actum est supra in cantu precedenti, inter peccata bestialitatis annumerantur. Secundo conceditur humano generi restauratio deperditi, sed ad hoc indiget homo cibo et potu, ut per cibum et potum restauretur quod per calorem naturalem de humore deperditur radicali. Si quis itaque cibo et potu ad hoc utatur, ut scilicet vivat, non peccabit. Si vero vivit ut comedat, hoc est quod modos et terminos bene vivendi excedat, tunc incontinens est; de qua incontinentia actum est supra, cantu V. Si autem furatur ut comedat, incidit in malitiam. Si vero appetat sanguinem humanum propter odium bibere, vel carnes humanas, vel propter odium vel propter explendam gulam, comedere, tunc bestialitatis incidit in peccatum.

Tertio conceditur humano generi bonorum temporalium preparatio, quia si non preparentur, homo vivere non valeret. Indiget enim humanum genus ad sui conservationem victu, vestitu, ornatu et famulatu. Et idcirco oportet quod ista omnia preparentur. Si vero cum ordinato appetitu appetantur et cum iusto opere procurentur et preparentur, peccatum non erit, immo secundum Scripturam maxima merces est. Unde Psalmista: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit. Sed si homo ultra suam necessitatem bona temporalia appetat et ipsa inordinate procuret, quia vult ea non ad necessitatem sullevandam sed ad mundanam gloriam consequendam, tunc incontinens est, quia infra terminos sibi concessos stare non vult. Si vero ipsa bona temporalia cum fraude, dolo, usura, rapina, vel furto procurat, vel ipsa bona procurata in totum dispergit, vel in totum sepelit ut nullus inde gaudere queat, peccatum malitie et bestialitatis incurrit. Nam ad malitiam hominis spectat fraus, dolus, usura, rapina et furtum. Ad bestias vero spectat et fraus et dolus, rapina, et furtum et bona dispergere et vastare. Ideo dicuntur bestie quasi <vastie>, quia omnia vastant. Spectant etiam ad quasdam bestias bona ipsa temporalia ab hominibus occultare; sicut griphes custodiunt in India montes aureos et gemmatos, et ab hominibus ipsa tolli non sinunt; et sicut serpentes et formice, que custodiunt aurum in multis partibus et ipsum homini tangere non

permittunt. Legitur etiam in libro De Animalibus quod ex urina lincis generatur quedam gemma homini valde grata. Lynx autem sciens, suam urinam operit pulvere vel arena, ne valeat ab homine inveniri. Quarto conceditur homini, quia ipsum multum laborare oportet, certa requies post laborem. Idcirco creator omnium Deus humano labori compatiens, tempus in diem noctemque divisit; diem labori, noctem vero dedicans requiei. Si igitur homo post laborem debita requie utatur, non peccabit; si vero laborem renuerit et otium sectatus fuerit, incontinens est. Et ex tali incontinentia orietur accidia, que facit hominem non solum similem bestiis, que bonum operari nesciunt, sed etiam demonibus, qui nolunt bonum aliquod operari. Quinto conceditur homini ac etiam precipitur ut malefacta et inordinata tam in se quam in suis inferioribus corrigat et emendet. Et ad hoc indiget quadam passione que vocatur ira, quia si homo contra malum non irascatur, ipsum corrigere vel emendare non poterit. Ideo invenitur ira bona et mala. De bona enim habetur in Psalmo: Irascimini et nolite peccare. De mala vero ait Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram, quasi dicat ratio, que est sol in anima, non obscuretur tenebris vel nebulis ire. Si igitur homo, dum deliquerit contra se, vel contra suos inferiores cum offenderint, ordinata ira processerit, non peccabit. Si vero modum vindicte aliquantulum excesserit, tunc incontinens est. Si vero materiam dederit subditis ut peccent, ad hoc ut habeat inde materiam puniendi, incidit in malitiam. Si autem filium vel subditum pro modico defectu voluerit vel mutilare, vel occidere, vel se ipsum interficere, peccatum bestialitatis incurrit. Ergo conceditur homini, immo etiam ab ipsa sibi natura infunditur, ut de bono gaudeat et de contrario contristetur. Quia, ut ait Tullius: «Proprium est animi bene dispositi et gaudere bonis rebus et dolere contrariis». Et ad hoc inducit Apostolus fideles dicens: Gaudere – subaudi oportet, decet, vel convenit – cum gaudentibus; flere cum flentibus. Sed ad hoc indiget homo quadam passione que appellatur zelus, secundum Philosophum in sua Politica. Si itaque homo utatur isto zelo, videlicet ut de prosperis gaudeat, et de contrariis contristetur, non peccabit, immo bene faciet. Si vero contrarium fuerit operatus, videlicet ut contristetur de prosperis et gaudeat de adversis, incontinens erit. Et talis incontinentia vocatur invidia, que dolet de bono alterius et gaudet de malo, licet inveniatur et bona et mala invidia, sicut superius est ostensum. Si autem ex tali zelo sive invidia quis velit offendere proximum, vel bestiales offensiones expetere, in peccatum malitie et bestialitatis incurrit. Sexto conceditur homini appetere bonum quod non habet, puta scientiam, gratiam, peccatorum remissionem, gloriam et honorem secundum statum suum. Et ad hoc indiget quodam singulari appetitu quo tendat in ipsum appetibile. Si itaque quis appetit bonum quod non habet, et hoc appetat bono modo et ad bonum finem, non peccabit, sicut Moyses, qui dixit Deo: Ostende michi faciem tuam. Nam hoc quod petebat erat bonum; et illud tale bonum petebat ad bonum finem. Si vero quis appetat bonum quod non habet, et illud appetat non bono modo nec ad bonum finem, tunc incontinens est; quia intra continentie terminos non continet se metipsum. Et ideo beatus Ieronimus ponit quod est superbia bona et superbia mala. Superbia enim bona est quando quis appetit bonum quod non habet, puta esse bonus; et tunc talis superbia dicitur quasi <superius ire>. Superbia vero mala est quando quis appetit bonum ad malum vel vanum finem, puta pecuniam et honores propter excellentiam. Et tunc talis superbia dicitur <appetitus proprie excellentie>. Et de ista tali superbia que est radix omnium peccatorum actum est superius. Si vero quis appetat aliquod bonum quod non habet, puta pulcritudinem ad lasciviam, pecuniam, et excellentiam ad malum statum aliorum, tunc talis superbia diffinitur <perverse celsitudinis appetitus>. Et ista est proprie superbia gigantea, et omnium illorum qui arroganter contra proximum se erigunt, sive Deum. Et de ista superbia agitur in isto cantu, que triplex est, videlicet: minorum contemnere parvitatem; parium dedignari equalitatem; et maiorum emulari sublimitatem. De prima specie ait Statius primo Thebaydos: «Hic imperat, ille minatur». De secunda et tertia ait Lucanus in primo:
Nec quemquam iam ferre valet Cesarue priorem.
Pompeiusque parem.

Gigantes itaque et minores despexerunt et equales dedignaverunt, et contra Deum se erexerunt. In quorum persona ait Plautus, poeta comicus: Minores despicimus, maioribus invidemus, ab equalibus dissentimus.

vv. 94-96

Fialte à nome; et fece le gran prove.

Postquam autor fecit memoriam de Nembroth, cuius ystoria in Biblia continetur, ad alios gigantes enarrandos, quorum ystorie in poetis inveniuntur, accedit. Et volens loqui de ipsis, solummodo de quinque facit breviter mentionem; et primo de Fialte, secundo de Briareo, tertio de Antheo, quarto de Titio, quinto vero de Typheo. Primo dico facit mentionem de Fialte, ibi:
Fialte à nome; et fece le gran prove,
quando i giganti fer paura ai dèi;
le braccia ch'ei menò già mai non move.

Legitur enim quod, tempore Iovis, quedam gens fuit in Grecia robustissima, que propter magnitudinem corporum et feritatem animorum gigantes dicti sunt. Isti itaque apud Iovem adversus Flegram in armis convenerunt, et quia multa potentia pugnabant, ideo dicti sunt montes montibus cumulasse. Iupiter autem illos astutia sua vicit; sed quia illos debellavit arcubus et balistis, ideo

fingunt poete quod ipse Iupiter eos fulminibus fulminavit. Et hoc est quod ait Ovidius, primo libro Meth.:
Neve foret terris securior arduus ether,
Affectasse ferunt regnum celeste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tunc pater omnipotens misso perfregit Olimpum
Fulmine et excussit subiectum Pelion Osse.

Et in V libro Faustorum de ista eadem materia ait ipse Ovidius:

Terra feros partus immania monstra gigantes

Edidit ausuros in Iovis ire domos,

Extruere hii montes ad sydera summa parabant,

Et magnum bello solicitare Iovem;

Fulmina de celi iaculatus Iupiter arce,

Vertit in actores pondera vasta suos.

In ista vero pugna Fialtes mirabilia fecit in armis. Ideo propter suam superbiam, quam operatus est in deos, ideo ligatus hic ponitur ab autore. Unde sequitur in textu:
le braccia ch'e' menò già mai non move.

vv. 97-99

Sequitur:
Et io a lui: «S'esser puote, i' vorrei
che de lo smisurato Briareo
experientia avesser li occhi miei».

In isto loco facit autor mentionem de Briareo, qui inter omnes gigantes immense magnitudinis fuit ac etiam feritatis. De ipsius enim magnitudine ait autor hic in textu: «io vorrei / che de lo smisurato Briareo / experientia avesser li occhi miei». De feritate vero ipsius dicit Ovidius in tertio libro Faustorum quod in bellis homines immolabat, facta ex adamante securi. At tamen in pugna apud Flegram socium suum Antheum nullatenus venire permisit, unde Lucanus in quarto:
Briareusque ferox; celo pepercit,
Quod non Flegreis Antheum substulit arvis.

Ond'ei rispose: «Tu vedrai Anteo». In tertio loco facit autor mentionem de Anteo. Fuit autem Antheus quidam maximus gygas, et fuit rex Libie: qui, ut fabule tradunt, tante fortitudinis fuit quod leones in Libia venabatur. Unde Lucanus in quarto, loquens de sua spelunca in qua in nemoribus habitabat, et de venatione leonum ait:
Hec illi spelunca domus; latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.

Et hoc est quod infra ait ad eum Virgilius:

recasti già mille leon per preda,

Tanta autem fuit sua probitas quod contra eum venit Hercules pugnaturus, qui quotiens terram tangebat vires resummebat; quod Hercules perpendens ipsum elevavit in aera, et tantum ibi ipsum tenuit quosque spiritum exalaret. Sed quia hic fit mentio de Hercule et Antheo, et facta Herculis sunt valde notabilia et specialiter XII que fecit, ideo hic ipsa coniuncta ponamus, sicut ipsa coniuncta ponit Boetius quarto libro De Consolatione in hec verba:

Herculem duri celebrant labores.
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sevo spolium leoni.
Fixit et certis volucres sagiptis,
Poma cernenti rapuit draconi
Cerberum traxit triplici catena,
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sevis dominum quadrigis.
Hydra combusta periit veneno,
Fronte turbatus Achelous amnis,
Ora dimersit pudibunda ripis
Stravit Antheum Libicis arenis.
Cacus Evandri satiavit iras
Setiger spumis humeros notavit.
Ultimus celum labor inreflexo
Substulit collo, pretiumque rursus
Ultimi celum meruit laboris.

Primus enim labor fuit domare centauros. Ideo dicit: Ille centauros domuit superbos. Centauri quedam monstra sunt, ex medietate homines et ex medietate equi, quos genitos ex nube fingunt poete. Dicitur enim in fabulis quod Ysyon voluit concumbere cum Iunone. Iuno opposuit nubem in qua, recepto semine, nati sunt centauri, cuius integumentum est quod Iuno significat vitam activam, que consistit in curis temporalium. Unde dicitur quod est noverca Herculis, quia talis vita inimica est sapienti et virtuoso. Cum hac vult Ysion, qui interpretatur audax, concumbere, quando aliquis in vita activa querit summam felicitatem, sicut faciunt cupidi et avari. Sed Iuno, idest vita activa, interponit nubem, quia per hanc vitam incurrit homo obscuritatem rationis. Ideo Dominus ait Marthe, que vitam prefigurabat activam: «Marta, Marta solicita es, et turbaris erga plurima». Unde nascuntur centauri, qui in parte sunt homines et in parte sunt equi, quia in parte illi qui vite active deserviunt sunt rationales, et in parte sunt irrationales. Utrum autem ista monstra sint solum fictione poetica introducta, aut natura talia etiam monstra gignat, videtur beatus Ieronimus hesitare, ut patet in vita beati Pauli Primi heremite. Hos igitur centauros Hercules dicitur domuisse; dum enim centauri ad ludum palestre venissent, Hercules ipsos vicit. Qui cum vulnerati se in Anagro fluvio lavissent, aquam eius amaram et impotabilem propter sagittarum toxicum reddiderunt. Unde Ovidius, libro XV Meth.

Ante bibebatur, nunc, quas contingere nobis,
fundat Anagrus aquas, postquam, ibi vatibus omnis
Eripienda fides, illic lavere bimembres
Vulnera, clavigeri que fecerat Herculis arcus.

Sic ergo domuit centauros in palestra. Domuit etiam Chironem centaurum, ut habetur supra, cantu XII. Domuit etiam Nexum, ut habetur eodem cantu. Quod autem centauri fuerint semibestie, totum est breviter fabulosum. Secundum autem veritatem istorie, Ysion primus in Grecia C milites adunavit, quibus Greciam infestabat; qui equites cum primum ab indoctis visi sunt insidere, equis unum animal ex equo et homine reputati sunt, et dicti sunt centauri quasi <centum armati>, vel quia, ut aura velocissime currentes, totam Greciam devastabant. Quos Hercules domuit in palestra. Potest etiam esse quod natura, que diversa animalia gignit, aliquos centauros produxit. Nam beatus Antonius unum vidit et in historia Daretis habetur, quod Menno rex duxit secum ad Troyam unum hominem equo mixtum; de quo habetur supra cantu quarto, circulo primo, in hystoria Pantasilee. In libris etiam animalium legitur quod sunt quedam animalia que composita sunt ex asino et homine.

Secundus labor fuit quando cum leone pugnavit. Ideo dicit: «Abstulit sevo spolium leoni». Fuit enim in quadam silva quidam leo immanissimus, cuius terror homines totius regionis invasit, quem aggressus Hercules pro liberatione patrie interemit, et ipsum excorians, pellem pro spolio reportavit. Et hinc est quod statua ipsius Herculis semper leonis spolium representat. Et nota quod iste labor fuit ystoricus et non fabulosus, nam verissimum fuit quod cum leone pugnaverit et ipsum vincens excoriaverit.

Tertius labor fuit quando arpias sagittis devicit. Ideo ait: «Fixit et certis volucres sagittis». Cuius pugne fabula talis est: Fineus enim filios suos, qui novercam de strupro accusaverant, excecavit, propter quod deorum iudicio et ipse Fineus dicitur excecatus. Et apposite sunt arpie, idest volucres quedam, virgineum vultus habentes, de quibus habitum est supra, cantu XIII, que mensam ipsius Finei fedabant et cibum eius auferebant; quas Hercules sagittando fugavit usque in insulas Strophadas. In quibus insulis Eneas, destructa et incensa Troya, reperit istas aves, ut ponit Virgilius tertio libro Eneydorum. Sed quia istud totum est fabulosum et ponitur figurative, ideo eius figuram breviter videamus. Hercules tenet figuram hominis sapientis. Dicitur enim Hercules ab *her*, quod est

<lis>, et *cleos*, <gloria>, inde Hercules, <vir lite gloriosus>, quia vir sapiens pro adipiscenda gloria debet semper habere litem cum vitiis et peccatis. Fineus autem cecus figurat cupidum et avarum, quia avaritia habet hominem excecare. Arpie vero figurant rapacitatem, nam *arpia*grece, ut ait Fulgentius, dicitur <rapina> latine. Apponuntur itaque arpie Fineo ceco, quia rapina semper est in conspectu avari et semper fedat victum ipsius, quia rapacitas reddit victum immundum. Hercules autem, idest vir sapiens, sagittis, idest monumentis sue doctrine, fugat ab avaro rapacitatem, dum sua doctrina vitiosum hominem revocat ad virtutes.

Quartus labor fuit quando rapuit aurea poma draconi cernenti, idest vigilanti vel custodienti, ideo dicit: «Poma cernenti rapuit draconi». Hanc autem fabulam tangit Lucanus, libro nono, que talis est: Athlas enim habuit VII filias, que habebant ortum aureum, idest arbores poma aurea deferentes, quorum pomorum custodia commissa erat draconi insomni. Superveniens autem Hercules, sopito dracone, poma aurea abstulit et ea Euristeo, regi Argolicorum, attulit. Cuius fabule integumentum est tale: Hercules, ut dictum est, sapientem hominem prefigurat, qui sopito dracone, idest sensualitate, aufert poma aurea, idest acquirit delectationem sapientie, que est possessio filiarum Athlantis, idest virtutum quas gignit Athlas astrologus, idest celestium contemplator.

Quintus labor fuit quod traxit ab inferis Cerberum, canem infernalem. Ideo dicit: «Cerberum traxit triplici catena». Cuius fabula sic texitur a poetis: Pyritous, volens Proserpinam reginam inferni accipere in uxorem, Herculem et Theseum et alios viros fortes assumpsit. Descendentibus autem illis ad inferos, ne Cerberus, qui ianitor inferni dicitur, latratu suo eos impediret, foras Hercules ipsum traxit et catena adamantina ligavit, quam propter tria capita oportuit triplicari. Qui provocatus, ira latratu implevit auras superas, et sparsit illud venenum, quod dicitur acconta. Unde Ovidius, VII libro Meth.

Nexis adamante catenis
Cerberon attraxit, rabida qui concitus ira
Implevit pariter ternis latratibus auras
Et sparsit virides spumis albentibus agros;

Comestor vero, in Ystoria scolastica, super libro *Iudicum*, dicit quod Orcus, rex Molosorum, habuit ingentem canem nomine Cerberum, qui Pyrothoum volentem rapere Proserpinam uxorem dicti Orci, devoravit, et Theseum devorasset nisi Hercules ipsum superveniens liberasset. Et sic patet ystoria quam poete nube poetica tegunt. Officium enim poetarum est ut ea que vere gesta sunt, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa transducant, ut ait Ysidorus, VIII libro.

Sextus labor fuit quando Dyomedem, regem Tracie, equis tradidit devorandum. Ideo dicit:

Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sevis dominum quadrigis.

Fingitur enim quod Diomedes equos suos humana carne pascebat; unde in pabulum suorum equorum hospites suos necabat. Ad quem veniens Hercules ipsum occidit, et dictis equis ipsum prebuit; et tandem dictos equos necavit. Unde Ovidius, libro VIIII, in persona Herculis:

Quid, cum Tracis equos humano sanguine pingues
Plenaque corporibus laceris presepia vidi,
Visaque deiecti, dominumque ipsosque peremi?

Secundum autem ystorie veritatem, Dyomedes fuit quidam crudelis tyrannus, habens multos equites et nutriens multas equas, que secundum Plinium pernitiores sunt in currendo quam equi. Qui tyrannus pro equorum pabulo et equitum sustentatione bona hominum rapiebat, et per rapinam ipsos depauperabat; propter quod dicitur dedisse homines in pabulum equis suis. Per Herculem vero coactus est rapinam dimittere, et de propriis bonis equitibus providere. Unde fingitur quod ipse fuerit in pabulum equis datum.

Septimus labor fuit quando Ydram, serpentem multorum capitum, interfecit. Ideo dicit: «Ydra combusta periit veneno». Fabula talis est: Fingitur in Lerna palude fuisse quidam serpens habens multa capita, quorum uno succiso, tria capita excrescebant. Quem aggressus Hercules sagittando cum nichil proficere se videret, adunata lignorum congerie, ipsum serpentem combussit. Ysidorus autem, XI libro Eth., dicit Ydram fuisse locum evomentem aquas, vastantem vicinam civitatem; in quo uno meatu clauso, sicut moris est, aque dum clauditur multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa obstruxit et sic aquarum clausit meatus.

Octavus labor fuit quando Acheloo fluvio abstulit unum cornu. Ideo ait:

Fronte turbatus Achelous amnis
Ora dimersit pudibunda ripis.

Cuius fabulam ponit Ovidius, libro nono Meth., dicens quod fuit quedam virgo nomine Deianira, pro qua certaverunt ad invicem Hercules et Achelous; qui diu luctantes, tandem Hercules Acheloum vincere cepit. Sentiens autem Achelous se non posse resistere tanto viro, se convertit ad artes per quas consueverat in diversas transformari naturas. Et primo mutatus est in serpentem. Unde Ovidius in persona ipsius Acheloi:

Inferior virtute meas divertor ad artes,
elaborque viro longum firmatus in anguem.

Quem Hercules arripiens cum fere strangulasset eum, subita mutatione factus est thaurus. Unde Ovidius in persona ipsius Acheloi, sic:

Sic quoque devicto restabat tertia tauri

Forma trucis; tauro mutatus membra rebello.

Cum quo congrediens Hercules ipsum ad terram deiecit et unum cornu sibi auferens, illud copie dedicavit. Ovidius in persona Acheloi:

Cornua figit humo, meque alta sternit arena.
Nec satis hoc fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque a fronte revellit.
Naiades hoc, pomis et odore flore repletum,
Sacrarunt, divesque meo bona copia cornu est.

Huius fabule veritas talis est: Achelous est fluvius quidam, positus inter Greciam et Calidoniam. In qua Calidonia regnavit Oeneus, cuius filiam Deianiram cum vellet Hercules transportare, non potuit, propter fluvium quem transvadare non poterat. Fingitur autem in serpentem fluvius transformatus, quia quilibet fluvius de sui natura est flexuosus ut anguis. Quod autem in thaurum dicitur permutatus, hoc fingitur propter impetum quem habet fluvius in labendo. Huic autem fluvio Hercules abstulit unum ramum, ut posset levius pertransire; ideo fingitur unum cornu sibi abstulisse. Quod autem dictum cornu dicitur copie consecratum, hoc fingitur quia ille fluvius propter aquarum nimiam abundantiam totam Calidoniam devastabat. Sed postquam Hercules diminuit aquas illas, terra produxit in magna copia omne bonum. Ideo fingitur illud cornu copie consecratum. De qua copia, idest rerum abundantia, ait Ovidius:

Autumnum et immensas felicia poma fecundans.

Nonus labor fuit quando Antheum gigantem, qui regnabat in Libia, superavit. Ideo ait: «Stravit Antheum Libicis arenis». Hanc fabulam ponit Lucanus: Fuit, inquit, in Libia quidam gigas qui vocabatur Antheus, terra progenitus, cuius talis erat virtus quod si quando ex fatigatione pugne debilitaretur, terram tangebat et statim vires pristinas rehabebat. Hic cum in Libia tyrannidem exerceret, advenit cum eo Hercules pugnaturus. Cum autem ambo duello pugnarent et Hercules prevaleret, Antheus se sponte deiciebat ad terram, ex cuius contactu semper vires in melius resummebat. Quod percipiens Hercules, ipsum a terra levavit et tam diu ipsum in aere tenuit quousque debilitatus inde totum spiritum exalaret. In ista fabula quedam sunt ficta et quedam sunt vera. Verum fuit quod iste Antheus fuit rex in Libia, et quod fuit gygas, et quod ipsum Hercules interfecit. Fictum vero est illud quod dicitur fuisse filius terre, et quod quotiens terram tangebat vires resummebat. Fuit enim valde dives; ideo fingitur fuisse filius terre. Et quia carnalis erat et lubricus, ideo fingitur quod ex contactu terre vires resummebat; nam vires corporis ex abundantia terrenorum et crescunt et oriuntur. Unde dicitur anime peccatrici per Prophetam: Hec fuit iniquitas Sodome sororis tue: saturitas panis et otium.

Moraliter autem in ista pugna que fuit inter Herculem et Anteum prefigurat pugnam que est inter carnem et spiritum. Hercules enim, ut dictum est, interpretatur lite gloriosus et signat spiritum, qui gloriosus efficitur quando de lite carnis victoriam portat. Antheus autem dicitur contra Deum ab *anthi*, quod <est contra>, et *theos*, quod est <deus>, et signat carnem, que est contraria Deo et spiritui, qui vult servire Deo. Unde Apostolus: Caro concupiscit adversus spiritum. Antheus dicitur filium esse terre, quia caro gignitur de terrenis, et quotienscunque Antheus terram tangebat, fortior resurgebat; quia caro quotienscunque terrenis pascitur vel letatur, ad operandum mala fortior reparatur. Quod videns Hercules, idest spiritus, carnem elevat a terrenis, subtrahendo sibi ea que sunt fomenta peccati. Nam secundum Terrentium, ut dicit Tullius in secundo libro De Natura Deorum: «Sine Cerere et Libero friget Venus», idest sine cibo et potu. Quanto ergo magis cum cibo et potu contra spiritum audacter exurget. Sed spiritus aufert sibi terrena et in aere ipsam necat, dum peccato mortuam ipsam reddit. Ita, ut talibus dicat Apostolus: Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo, qui scilicet in aere extitit crucifixus. Allegorice vero, per Herculem accipe Christum, per Antheum vero dyabolum, cum quo Christus pugnavit in monte et in cruce, et finaliter expugnavit.

Decimus labor fuit quando Cachum in monte Aventino clava percussit, cuius fabulam ponit Ovidius in libro Faustorum et Virgilius in libro Eneydorum. Fuit autem Cachus quidam homo monstruosus, qui per os ignem evomebat. Manebat autem in Aventino monte, cunctos transeuntes spolians et occidens; cuius pater fingebatur esse Vulcanus. Cum autem Hercules rediret de Yspania, victo Gerione, ducens armenta boum, iste Caccus quatuor pulcerrimos boves totidemque iuvencas Herculi furatus est. Et ne furtum suum pateret, traxit illos boves per caudas in antrum suum, ut

potius viderentur exisse quam intrasse. Hercules autem, querens armentum, per mugitum unius bovis deprehendit furtum. Accedensque ad speluncam Cacchi, ipsum extraxit et interfecit; per cuius mortem placata est ira Evandri et tota patria quietata. Ideo ait: Cachus Evandri satiavit iras. Ad licteram, iste Cachus fuit pessimus latro qui in monte habitans Aventino totam contratam rapinis et incendiis devastabat. Ideo fingitur filius fuisse Vulcani, et quod ignem ore evomeret; quem tandem Hercules, quia furatus fuerat sibi boves, sue clave ictibus interfecit. Hec ystoria habetur plenius supra, cantu XXV.

Undecimus labor fuit quando aprum setigerum, qui totam Caledoniam devastabat, post multos labores corporis et anxietatem animi interfecit. Ideo ait: «Setiger spumis humeros notavit». Cuius fabulam sive ystoriam narrat Ovidius VIII libro Meth. quam habebis infra in secunda cantica cantu [XXV] in istoria Meleagri.

Duodecimus et ultimus labor Herculis est quod fingitur substentare celum. Ideo ait:
Ultimus celum labor irreflexo
Substulit collo pretiumque rursus
Ultimi celum meruit laboris.

Fabula talis est: Quidam gigas qui vocabatur Athlas portare celum fingitur a poetis. Qui in giganthomantia, idest in pugna gigantum contra deos, de qua pugna fit mentio primo et quinto libro Meth., fatigatus rogavit Herculem, qui post alios labores ad eum venit, ut celum supportaret, dum ipse aliqualiter respiraret. Qui Hercules tanto oneri se supponens, illud inflexibiliter supportavit; unde et propter hoc meruit deificari. Huius autem fabule veritas talis est: Athlas fuit quidam magnus astrologus, qui supportare celum dicitur, quia celestium scientia plenus fuit. Quo respirante, Hercules celum portat, quia post mortem Athlantis, que est respiratio et requies philosophie a laboribus huius vite, Hercules celestium contemplationi vacavit. Et hic fuit ultimus labor quia theorica, etsi dignitatem precedat praticam, tempore tamen est posterior. Quia prius domanda sunt vitia que per monstra figurantur, qua quieti theorice possit homo vacare. Sed hic est notandum, positis Herculis laboribus universis, quod non debemus credere quod Hercules fuerit unus solus homo, qui omnes istos labores subiverit universos. Nam, ut vult beatus Augustinus in libro De Civitate Dei, multi fuerunt Hercules. Potest etiam esse quod istud nomen Hercules erat cognomen virorum fortium et magnorum, qui virtute et audacia ceteros excellebant. Nam sicut Egyptii vocant dominos suos Pharaones, et Romani vocant suos dominos Cesares, et Greci sapientes viros vocant philosophos, ita homines fortes et audaces vocant Hercules. Et hoc patet per undecimum laborem, qui fuit interfectio apri. Nam illa interfectio facta fuit a Meleagro, ut patet per Ovidium, VIII libro Meth. Boetius autem illud factum attribuit Herculi. Patet ergo quod istud nomen Hercules est cognomen viri fortis; et sic vocat Meleagrum Herculem. Beatus etiam Augustinus dicit, eodem libro, quod Sanson, qui fuit duodecimus iudex in Israel, propter suam mirabilem fortitudinem putatus est Hercules. Putabant itaque antiqui quod illi singulares homines qui singularia faciebant, sicut est pugnare cum feris et debellare tyrannos, essent Hercules, idest ipsos putabant mirabiliter virtuosos. Seneca vero, ultimo libro suarum tragediarum, videtur ponere quod facta Herculis sint figure divine, idest teneant figuram de deo. Unde deum sub nomine Herculis invocat, dicens:
Sed tu domitor magne ferarum
Orbis simul placator ades
Nunc quoque nostras respice terras,
Et si qua nova bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange trisulcis.

vv. 112-114

Noi procedemo più avanti allotta,
et venimmo ad Anteo, che ben cinqu'alle,
senza la testa, uscia fuor de la grotta.

Alla est quedam mensura apud Gallicos mensurandi pannos, que continet duas ulnas, sive duo brachia.

vv. 115-123

«O tu che ne la fortunata valle
che fece Scipion di gloria hereda,
quand'Anibal co' suo' diede le spalle,
recasti già mille leon per preda»,

Verba sunt Virgilii ad Antheum; in quibus verbis ipsum taliter deprecatur: O tu qui in fortunata valle, idest in planitie Libie, que fecit Scipionem heredem glorie, quando Anibal fugit ab ipso prostratus et debellatus, iam duxisti mille leones pro preda, etc. Ystoriam istam de Scipione et Anibale plene tractat Titus Livius in decada De Secundo Bello Punico, sed quia longissima materia

est, ideo ipsam abbreviabimus iuxta posse. Anibal enim, propter odium Romanorum, sedecim annis Ytaliam bello pressit. Et in isto annorum spatio vires romanas adeo debellavit, et specialiter apud Cannas, quod Roma fuit in articulo quasi mortis. Sed magna probitate et industri prudentia Scipionis, qui suam patriam in cineres redigi non est passus, Roma non solum manus ipsius hostis evasit, sed insuper de ipso hoste et sua civitate Cartagine victoriosissime triumphavit. Nam dictus Scipio quartum et vigesimum annum agens contra Cartaginensium potentiam se potenter opposuit, exercitum ytalicum congregavit, in Affricam transmeavit et prope Cartaginem romana castra locavit. Cartaginenses vero, quando romanas aquilas ex eorum menibus conspexerunt, pro Anibale mittunt, ut cum exercitu quem habebat in Ytalia ad patriam remearet; qui, cum ad affricana litora e navibus descendisset, ad colloquium cum Scipione convenit, volens sine periculo gladii pacem componere cum Romanis. At Scipio, vir prudentissimus, considerans et attendens quanta mala in Ytalia Anibal fuerat operatus, et quod fides aliqua ab ipsis affricanis non fuerat observata, eius verba exaudire contempsit. Sed ait: Crastina die scietur in mundo que civitatum istarum duarum, Cartaginis sive Rome, debet universis gentibus iura dare. Dehinc alio die ante menia Cartaginensium est pugnatum; in qua pugna Cartaginenses ipsi totaliter defecerunt. Anibal vero cum paucis equitibus inter tumultum elapsus fugit. Cesa sunt eo die de Cartaginensibus supra viginti milia; par fere numerus captus est. Ex qua victoria Romani facti sunt, duce Scipione, domini orbis terre; Scipio vero ad laudem et gloriam suam dictus ex illa victoria affricana Affricanus. Ideo in textu hic ponitur heres glorie esse factus; nam secundum Tullium, gloria est frequens fama cum laude. Et iste Scipio, qui dicitur superior Affricanus, super omnes Romanos fama et gloria frequentatur. Fuit et alius Scipio nepos suus, qui dictus est etiam posterior Affricanus, quia Cartaginem ipsam caput affricani imperii omnino delevit. Nam primus ipsam domuit, sed posterior ipsam delevit.

recasti già mille leon per preda;
che, se tu fossi stato a l'altra guerra
de' tuo' fratelli, ancor par che si creda
c'avreber vinto i figli de la terra:

Verba sunt Virgilii ad Antheum in quibus verbis, ut suam benevolentiam captet, in duobus ipsum commendat. Et primo in pugna leonum, quia leones in vita sua, sicut dictum est superius, venabatur. Secundo, quod si interfuisset in pugna Flegre cum suis fratribus, idest gygantibus, contra Iovem, quod ipsi filii terre Iovem protinus devicissent. Dicuntur autem gigantes filii esse terre quia, secundum fabulas, geniti sunt a terra contra deos irata. Secundum vero veritatem, filii sunt terre quia omnis carnalis potentia de terra oritur et de terra vires summit, ut in ystoria ipsius Anthei superius est expressum: ideo *gigantes*, idest a terra *geniti*, appellantur. Nam *geos* grece <terra> latine. Sed circa istam partem oritur questio, utrum scilicet sit verum quod gigantes fuerint; quia multi credunt quod quicquid dicitur de gigantibus sit protinus fabulosum. Et dicendum quod sine aliquo ambiguo gigantes multis et diversis temporibus fuerunt in mundo. Et primo invenimus in Sacra Scriptura quod gigantes fuerunt ante diluvium. Dicit enim Moyses in libro Genesis, ubi tractat de diluvio et causis ipsius, quod cum cepissent homines multiplicari super terram, viderunt filii dei, idest filii Seth, filias hominum, de stirpe Cayn, et victi concupiscentia acceperunt eas uxores, et nati sunt inde gigantes. Iosephus autem dicit quod multi angeli, cum mulieribus coeuntes, iniuriosos filios genuerunt; qui propter confidentiam sue fortitudinis, gigantes a Grecis dicti sunt. Methodius etiam, tractans de causa diluvii, dicit quod filii Seth concupierunt filias Cayn, ex quibus nati sunt gigantes. Magister vero in ystoria scolastica dicit: Potuit etiam esse ut incubi demones genuerunt gigantes a magnitudine corporum denominatos; sic dictos a *geos* quod est <terra>, sed et immanitati corporum respondebat immanitas animorum. Incubi vero sunt demones qui de nocte solent opprimere mulieres. Succubi autem sunt demones qui in specie mulierum se in somnio subiciunt viris. Post diluvium vero nati sunt alii gigantes in Ebron. Et post fuerunt in Thannis, civitate Egypti, a qua civitate et titanes dicti sunt. De quorum stirpe fuit Enachim, cuius filii habitaverunt in Ebron, de quibus ortus est Golias, quem David occidit dum esset puer in funda et lapide, ut habetur in primo libro Regum. Legimus etiam, in libro Numerorum, quod Moyses ex precepto Dei misit de deserto Pharan XII exploratores in terram promissionis; qui ascendentes exploraverunt terram, et venientes in Ebron, viderunt tres viros de genere Enach, vel Enachim, idest de genere giganteo, quales etiam viderant in Thannis, civitate Egypti.

Fuit autem Ebron, ut dicit Magister ystoriarum, VII annis edificata ante urbem Thannis. Unde et ab Ebron semen giganteum in Egiptum creditur descendisse. Reversi autem exploratores ad Moysen, dixerunt ad populum: Terra quam lustravimus habet cultores fortissimos, urbes grandes et muratas. Stirpem quoque Enach vidimus ibi, quibus nos comparati quasi locuste videbamur. In ystoriis etiam Grecorum legitur quod, tempore Iovis, regis Cretensis, multi gigantes contra ipsum Iovem, ut dictum est, apud Flegram convenerunt. Tempore etiam gratie, idest postquam Christus venit in mundum, in sacris libris reperimus sanctum Christoforum gygantem fuisse; ubi nota, Lucane, quod nullum gigantem sanctum invenimus nisi istum. Et ad hoc accipe unum versum, quem ad pedes unius picture ipsius sancti Christofori vidi Rome:

Solus de sanctis formam tenet iste gigantis.

Et sic patet quod multis et diversis temporibus fuerunt vere gigantes. Sed quia malitia hominum nimium crevit in terris, ad hoc ut ipsa malitia, si cum fortitudine gigantea coniuncta fuisset,

mundo ultra modum nequiter nocuisset, ideo divina pietas providens ipsi mundo tale semen de terra protinus extirpavit.

vv. 49-57

Ideo bene autor in superioribus ait:
Natura certo, quando lasciò l'arte
di sì fatti animali, assai fè bene
per torre tali executori a Marte.
Et s'ella d'elefanti et di balene
non si pente, chi guarda sottilmente,
più giusta et più discreta la ne tene;
chè dove l'argomento de la mente
si giunge al mal volere et a la possa,
nessun riparo vi po' far la gente.

Lictera plana et aperta existit. Sed quia hic de elephantis et balenis fit mentio ab autore, ideo de ipsorum animalium naturis aliqua videamus.

Elephas, elephantis, vel *elephantus, elephanti*, est animal tante magnitudinis apud Indos quod montis similitudinem representat. Unde quidam:
Corpore tam grandes apud Indos sunt elephantes;
Si bene firmares, montibus esse pares.

Est autem animal bellicis rebus valde aptum. In eis enim Indi medi et perse ligneis turribus collocatis, tanquam de muro iaculis dimicant et sagittis. Intellectu et memoria pre ceteris animalibus vigent; gregatim incedunt, aversi coeunt, in aquis vel insulis pariunt. Biennio fetus portant, nec amplius quam semel gignunt, nec plures quam unum pariunt. Vivunt autem trecentis annis, ut dicit Ysidorus. Plinius autem dicit quod elephantes in nova luna conveniunt congregati et in flumine se abluunt, et sic loti novo syderi se inclinant. Iuvenes vero suos, quos diligenti cura custodiunt, instruunt ad simile faciendum. Item, quando egrotant, quasdam herbas sibi salubres querunt; sed ante quam ipsis utantur, supino capite eas ad celum levant, et quadam religione a numinibus sibi adiutorum postulant et requirunt. Item sunt animalia ita docilia, quod regem cognoscere et quasi adorare docentur. Item dicit Plinius quod elephas, si viderit hominem in deserto errare, primo ne ipsum terreat aliquantulum de via se subtrahit, et postea ipsum precedens viam ei ostendit. Et si draco homini nocere voluerit, pugnat pro homine, defendendo et pro liberando ipsum viriliter se opponit. Est enim elephas animal naturaliter benignum, et hoc quia caret felle, ut dicit Aristoteles. Accidentaliter tamen efficitur sevum, quando scilicet nimis provocatur ad iram; vel quando nimis inebriatur vino, provocatur ad bellum. Dicit autem Solinus quod elephantes servant syderum disciplinam, et luna crescente petunt flumina, et sparsi aqua solis ortum salutant, motibus quibus possunt. Duos dentes magnos habet elephas, quos quando a venatoribus insequitur, frangit ut ebore ipsis dato ab eorum infestationibus liberetur, hanc enim periculi sibi sentiunt esse causam. Pro feminis nunquam pugnant, nulla enim noscunt adulteria. Quando vero casu aliquo dimicant, fessos et vulneratos in medio sui recipiunt, et ipsos plus quam se protegunt et defendunt. Quando capiuntur haustu ordei, mansuescunt. Capiuntur autem isto modo; fit enim fovea subterranea in quam elephans incidit ignoranter; ad quam veniens unus ex venatoribus, ipsum elephantem percutit atque pungit; alter autem venatorum veniens, primum percutit venatorem et admonet eum ne percutiat elephantem, et dat ei comedere ordeum. Quod cum ter vel quater fecerit, diligit se liberantem et ei deinceps obediens mansuescit.

Balena vero est quidam piscis qui est ita magnus, quod montibus et insulis videtur equalis, qualis fuit cetus qui excepit Ionam, cuius alvus tante fuit magnitudinis ut instar inferni obtineret, dicente propheta: De ventre inferni exaudivit me. Et est cetus idem quod balena. Declinatur autem in singulari *hic cetus, ceti*, in plurali vero *hec cete*. Iuxta illud Genesis: Creavit autem Deus cete grandia. Dicitur autem *cetus* vel *cete* a corporis immanitate, quia magni corporis est. Balena vero dicitur ab emittendo et fundendo aquas. Plus enim omnibus aliis marinis belvis altius iacit aquas. Dicitur autem in libro Ionath quod quando balena multum esurit, vaporem odoriferum ad modum ambre ex ore suo emittit, in quo pisces delectantur, et propter ipsius vaporis redolentiam orificium eius intrant, et sic ab ipso capiuntur et devorantur. In hoc pisce, ut ibidem dicitur, terrestris materia dominatur plus quam aque, et ideo multe est corpulentie et pinguedinis. Unde in senectute, pre magnitudine corporis, in eius dorso coadunatur pulvis et condempsatur in tantum quod erbe et fructices ibi crescunt, ita ut balena similis insule videatur; ad quam si navigantes incaute appropinquaverint, sine periculo vix evadunt; nam aquam in tanta quantitate ex ore eicit super navem, quod ipsam aliquando horruit et submergit. Tante etiam est pinguedinis, quod cum piscatorum percutit venabulis sive telis, vulnus non sentit nisi prius pinguedo sua totaliter perforetur. Sed quando caro interior leditur, tunc facillime capitur, quia amaritudinem aque salse non sufferens, litus petit; tante autem est quantitatis, quod quando capitur, tota patria ex sua captura repletur. Catulos suos balena miro amore diligit, et eos in pelago longo tempore circumducit, quod si eos ab

arenarum cumulis impediri contigerit, multitudinem aque in ore collectam super ipsos fundit, et sic eos a periculis liberans, ad profundum pelagi revocat et reducit. Contra omnes occursus nocivos pro filiorum defensione se opponit, et semper inter se et mare ipsos in parte tutiori reponit. Et quando invalescit tempestas, fetus suos adhuc iuvenes et teneros in ventrem suum contrahit; quos, tranquillitate facta, vivos evomit iterum et emittit. Dicit etiam Ionath quod contra balenam pugnat quidam piscis serpentinus et venenosus sicut corcodrillus. Pisces autem fugiunt ad caudam ceti, qui si devictus fuerit, pisces predicti moriuntur. Quod si non poterit ille piscis pestifer devincere, cetum fumosum et fetidissimum odorem ex ore eicit in aquam. Cetus vero fumo odorifero de ore suo emisso, fetidum odorem illius repellit, et sic se et suos protegit et defendit.

vv. 124-126

Non ci far ire a Titio nè a Tifo. In isto loco facit autor mentionem de duobus gigantibus valde summis, quorum primus vocatus est Titius, qui fuit adeo magnus, quod novem iugera terre in longitudine sui corporis occupabat. Unde Virgilius, VI libro Eneydorum:
Nec non et Tition, Terre omniparentis alumnum,
Cernere erat, per novem cui iugera corpus
porrigitur.

Alter vero vocatus est Thifeus, sed propter rimam dicitur hic Tyfus, figura interveniente que dicitur *sincopa* –. Fuit autem iste Thifeus inter omnes gygantes mirabilis fortitudinis et audacie contra Iovem. De quo narrant poete quod in pugna apud Flegram, quia contra deos fortiter egit, sub insula Trinacrie, idest Sicilie, sit vivus sepultus. Et dicunt quod est tante longitudinis, quod iacendo resupinus totam insulam occupat suis membris. Iacet enim resupinus, tenens caput ad orientem, pedes ad occidentem, manum dextram extensam ad aquilonem sive tramontanam, sinistram vero ad austrum sive meridiem. Et hoc secundum descriptionem dicte insule, que est triangulata ad modum unius scuti; et in quolibet angulo habet unum promuntorium, idest montem. Ex parte enim aquilonis, ut ait beatus Ysidorus, XIIII libro Eth., et Ovidius, V Meth. habet quoddam promuntorium quod dicitur Pelorus, dictum, secundum Salustium, a quodam gubernatore Anibalis nomine Peloro, in monte illo sepulto. Ex parte vero australi habet promuntorium quod dicitur Pachinus, sive Pachinum, ab aeris crassitudine sic vocatum; nam pinguis et crassus est, et perflatur austro. Ex parte autem occidentis habet promuntorium nomine Lilibeum, denominatum a quadam civitate eiusdem nominis antiquitus sic vocata. In medio vero Pachini et Pelori, ex parte scilicet orientis, est Mons Ethne, qui vulgo dicitur Mongibello. Thypheus ibi sepultus, secundum fictionem poetarum, tenet caput ad orientem sub Ethna, manum dexteram ad Pelorum, sinistram ad Pachinum, et pedes et crura extensa ad Lilibeum. Unde Ovidius, V libro Methamorfoseos.

Vasta giganteis iniecta est insula membris

Trinacris et magnis subiectum molibus urget

Etherias ausum sperare Thyphoea sedes.

Nititur ille quidem pugnatque resurgere sepe,

Dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro,

Leva, Pachine, tibi, Lilibeo crura premuntur,

Degravat Ethna caput, sub qua resupinus arenas

Eiectat, flammamque fero vomit ore Typheus.

Adhuc volo quod attente tu notes quod poete sive vere cognoverunt, sive enigmatice somniarunt, multa cum fide catholica persenserunt, ut superius etiam dictum est. Nam Sacra Pagina ponit quod gigantes, seu genus humanum, sub ducatu gyganteo turrem edificaverit ut ascendere possent in celum, et quod eorum superbia fuit a Deo punita. Unde Iob: Gigantes gemunt sub aquis, idest in profundo inferni, ubi est magnum gelu, quia quanto locus magis distat a celo, tanto frigidior iudicatur. Simili modo poete ponunt gygantes in talem superbiam exarsisse, quod in celum ascendere voluerunt, et quod a Iove sint fulminati et in profundum inferni deiecti. Unde Virgilius, VI Eneydorum, ubi tractat de pena gigantum ait:
Hoc genus antiquum Terre, Thitania proles,
Fulmine deiecti fundo volvuntur in ymo.

questi può dar di quel che qui si brama;

Moraliter omnes superbi nominari appetunt et laudari. Ideo Virgilius ait ad Antheum, ut ipsius patrocinium valeat impetrare: «Iste, qui vivus est, te poterit superius collaudare, et de te nova portare, quod scilicet inter omnes alios gigantes catenis ligatos tu solus solutus existis». Sed si queris quare solus Antheus est solutus et non ligatus ut alii, duplex potest ratio assignari. Prima est licteralis; secunda vero allegorica vel moralis. Licteralis ratio ista est, ut scilicet sit qui possit proditorum animas deponere in profundum. Alia ratio est quia Antheus in pugna Flegre non affuit: et ideo brachia que contra deos non movit, ligata non habet. Cetera plana sunt usque ibi:

Qual pare a riguardar la Carisenda. Carisenda est quedam turris in Bononia, que ex una parte mirabiliter pendet, in tantum quod quando nubes aliqua super ipsam e contrario vadit, videtur desubter aspicientibus quod ipsa corruat Carisenda. Exemplificat hic autor et dicit quod talis fuit sibi visus Antheus quando se inclinavit ad Virgilium capiendum. Cetera plana sunt.

In isto cantu continentur VIII comparationes et unum notabile.

[Comparationes]

vv. 4-6

PRIMA COMPARATIO.

così od'io che soleva la lancia
d'Achille et del su' padre esser cagione
prima di trista et poi di buona mancia.

Fabulose dicitur quod Peleus, rex Thesalie, qui fuit pater Achillis, habebat quandam lanceam cum qua quicunque fuisset in prelio vulneratus, sanari non poterat nisi iterato in illud vulnus ista lancea mitteretur. Sed rei veritas ista fuit, quod Peleus et filius eius Achilles in principio belli male pugnabant, sed in progressu eis melius succedebat. Erant enim in principio infortunati, sed in processu optime fortunati. Nec deviat hoc a vero, quia multi sunt qui, secundum sententiam sapientum, a celestibus influentiis fortunati et infortunati existunt. Exemplum de Anibale qui

multotiens vicit, sed ultimo victus fuit. Et quidam sunt qui semper victores existunt, ut patet in Iulio Cesare, qui semper victorias reportabat. Quidam vero sunt qui nunquam pugnant quin eis male succedat, ut patuit nostris temporibus de principe Tarentino. Unde Sanctus Thomas de Aquino in libro Contra Gentiles> de hac materia ait: «Videmus quod inanimata corpora quasdam vires et efficacias a corporibus celestibus consequuntur, sicut magnes attrahit ferrum, et lapides quidem et herbe occultas virtutes habent, que similiter a celestibus corporibus consequuntur. Unde nichil prohibet quod etiam aliquis homo habeat, ex impressione corporis celestis, aliquam efficaciam in aliquibus corporalibus faciendis, quam alius non habet: puta medicus in sanando, agricola in plantando et miles in pugnando». Comparatio vero ad quid inducatur clare apparet in textu.

vv. 16-18

SECUNDA COMPARATIO.

Dopo la dolorosa rotta, quando
Karlo Magno perdè la santa gesta,
non sonò sì terribilmente Orlando.

Orlandus fuit quidam strenuissimus miles Christi, qui tempore Karoli Magni contra Sarracenos strenue multa fecit. Erat autem solitus semper in bello unum cornu gessare ad collum. Cum itaque tota gens Karoli quedam sancta gesta a Sarracenis undique esset pressa, Orlandus multum in illo prelio laboravit. Et tantum sonuit cum suo cornu ut Karolus subveniret, quod labore et siti defecit. Vult itaque dicere autor quod iste Orlandus non sic terribiliter sonuit, sicut sonuit Nembroth quando vivum hominem vidit descendere per infernum.

vv. 34-39

TERTIA COMPARATIO.

Come quando la nebia si dissipa,
lo sguardo a poc'a poco rafigura
ciò che cela 'l vapor che l'aere stipa;
così forando l'aura grossa et scura,
più et più appressando inver la sponda,
fugìmi errore et crescèmi paura;

Ista comparatio est naturalis et est talis: quando enim aliqua nebula grossa et spissa aerem obnubilat vel constipat, potentia visiva impeditur, quia talem aerem spissum et grossum penetrare non potest. Sed quando talis nebula incipit dissipari et diradari, tunc oculus paulatim videre incipit id quod prius sibi nebula abscondebat. Isto itaque modo, dum autor iret per tenebras infernales, visum fuit sibi videre a longe magnas turres. Sed postquam cepit paulatim appropinquare ad oram putei, visiva potentia illam auram grossam et obscuram potuit melius penetrare. Et ideo dicit quod fugit error ab eo et crevit sibi timor, quia illas quas prius credidit esse turres, vidit esse gigantes.

vv. 40-45

QUARTA COMPARATIO.

però che come 'n su la cerchia tonda
Monte region di torri si corona,
così la proda che 'l pozzo circonda,
torregiavan di mezza la persona
li orribili giganti, cui minaccia
Giove del cielo ancora quando tona.

In ista comparatione designat autor quomodo stant gigantes in circuitu putei infernalis, dicens quod sicut muri montis Reggionis turribus coronantur, ita spondam putei horribiles gigantes per circuitum turritabant, idest admodum turrium stant distincti. Mons Regionis est quoddam castrum in Tuscia in districtu scilicet Senaram, cuius muri sunt rotundi et spisse turribus coronati. Isto itaque modo murus putei, qui est rotundus, gigantibus coronatur. Quod autem sequitur: «cui minaccia / Giove del cielo ancora quando tona» – sic est intelligendum: Iupiter, idest ether sive superior aer, quando tonat, adhuc gigantibus comminatur, quia secundum fabulam, postquam ipsi gigantes

fuerunt in inferno detrusi, Iupiter, ut ipsis timorem incuteret, sepe postea desuper intonuit. Sed re vera omnes debent timere tonitrua, quia ut ait Philosophus: «Qui tonitruum non timet, stultus est».

vv. 58-60

QUINTA COMPARATIO.

La faccia sua mi parea lunga et grossa
come la pina di san Piero a Roma,
et a sua proportione eran l'altr'ossa;

Hic intendit ostendere figuraliter autor magnitudinem forme gigantum, dicens quod caput istius gigantis erat longum et grossum sicut pinea sancti Petri de Roma, et ad proportionem capitis cetera membra erant. Rome enim ante basilicam beati Petri est quedam pinea enea, magne magnitudinis, quam quicunque videt vel vidit, ymaginari potest formam quam habuerunt gigantes, et adhuc, ad maiorem demonstrationem et declarationem, subiungit autor dicens quod tres Frisones, unus super alium positi, a loco serrabularum unius ex istis gigantibus non pertigissent ad caput. Adhuc aliam nobis mensuram designat dicens quod, a gula usque ad femur, perpendit istum gigantem triginta fuisse palmorum. Et ne alicui hoc incredibile videatur, quod scilicet gigantes tante altitudinis fuerint, legant in primo libro Regum, ubi ponitur quod Golias, qui fuit de semine giganteo, fuit altitudinis sex cubitorum et palmo, et intellige cubitum geometricum. Legant etiam in legenda beati Christofori et invenient ipsum stature XII cubitorum. Frisones autem sunt quidam homines de Frisia. Frisia, vero, provinciola est in finibus inferioribus Germanie, super litus occeani constituta, cuius incole Frisones a Germanicis nuncupantur. In habitu autem et moribus plurimum differunt a Germanis, nam viri fere omnes in coma circulariter sunt attonsi, qui quanto sunt nobiliores tanto altius circumtondiri gloriosius arbitrantur. Est autem gens viribus fortis, magni corporis, severi animi et ferocis, corpore agilis, lanceis utens ferreis pro sagittis. Est insuper gens valde libera extra gentem suam alterius dominio vix subiecta. Nam morti se exponunt gratia libertatis, et potius mortem diligunt quam iugo opprimi servitutis. Ideo militares dignitates renuunt et aliquos inter se in sublime erigi sub militie titulo non permittunt. Subsunt tamen iudicibus quos annuatim de se ipsis eligunt, qui rem publicam inter ipsos ordinant et disponunt. Castitatem multum zelant; impudicitiam severius punientes; filios suos et filias usque ad completum fere adolescentie terminum castos castasque conservant. Ex quo contingit quod tunc temporis data nuptui ipsorum soboles prolem completam generant et robustam.

vv. 106-108

SEXTA COMPARATIO.

Non fu tremuot'alcun tanto rubesto,
che scotesse una torre così forte,
come Fialte a scuotersi fu presto.
Lictera plana est.

vv. 136-141

SEPTIMA COMPARATIO.

Qual par a riguardar la Carisenda
sotto 'l chinato, quand'un nuvol vada
sovr'essa sì, che d'ella incontro penda;
tal parve a me Antheo,
etc. Lictera plana est.

vv. 142-145

OCTAVA COMPARATIO.

et com'arbore in nave si levò.
Postquam Antheus deposuit in profundum putei Virgilium et autorem, se in altum erexit, sicut malum navis elevatur in navi.

[Notabile]

vv. 49-51

NOTABILE.

Natura certo, quando lasciò l'arte
di sì fatti animali, assai fè bene
per torre tali executori a Marte.

In hoc sententioso notabili demonstratur quod quando natura dimisit artem talia animalia producendi, quod bene fecit, quia gigantes erant executores Martis, idest mortis. Nam Mars dicitur a <morte>, quia sua operatio sive ars nil aliud est nisi effusio sanguinis, unde sequitur ipsa mors. Executores vero huius operis sive artis erant gygantes, in quibus erant duo quibus contradici non poterat, scilicet immanitas corporum et feritas animorum; habebant enim corpora magna et animos bestiales. Et quia posset aliquis querere et dicere: Ex quo natura dimisit artem producendi gigantes, quare non desistit etiam producere elephantes atque balenas? Statim immediate autor respondit dicens: Quod si producit elephantes et cete grandia, bene facit, quia licet habeant corpora magna, non tamen correspondet talibus corporibus ingenium et feritas animorum. Ideo sequitur in textu:

Et s'ella d'elefanti et di balene

non si pente, chi guarda sottilmente,

più giusta et più discreta la ne tene;

chè dove l'argomento de la mente

s'agiunge al mal voler et a la possa,

nessun riparo vi po' far la gente.

Et sic patet XXXI cantus prime cantice.

XXXII

INCIPIT XXXII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXXII cantu et in sequentibus autor tractat de nono et ultimo circulo inferni, qui grece vocatur *Kochiton*, latine vero *Cocitus*; quem quidem circulum in quatuor partes dividit et distinguit: prima pars dicitur Cayna; secunda Anthenora; tertia Tholomea; quarta vero Iudeca. Prima denominatur a Caym, filio Ade, et in ista ponit proditores sui sanguinis sive domus. Secunda denominatur ab Anthenore troyano, et in ista ponit proditores sue patrie sive partis. Tertia

denominatur a Tholomeo, rege Egypti, vel a Tholomeo, duce Ierico; et in ista ponit proditores carorum amicorum et consanguineorum. Quarta vero denominatur a Iuda Scarioth; et in ista ponit proditores beneficorum dominorum. In isto vero cantu tractat de prima parte et aliquantulum de secunda. Et incipit prima pars Cociti, que dicitur Cayna, ibi: «Come noi fumo giù nel pozzo scuro», et finit ibi: «Poscia vid'i' più di mille visi cagnazzi». Secunda vero pars, que dicitur Anthenora, incipit ibi: «Et mentre c'andavamo inver lo mezzo», et finit in sequenti cantu, ibi: «et li altri due che suso 'l canto appella».

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-39

Deveniens Dantes ad nonum et ultimum circulum infernalem, qui est positus in profundo, volensque nobis situm et modum dicti circuli designare, facit in principio istius cantus trigesimi secundi quoddam prohemium in hunc modum: si ego haberem rimas asperas, duras, et fractas, sicut tristi foramini, idest puteo, conveniret, super quem puteum vel foramen circuli alii omnes premunt, ego exprimerem de meo conceptu plenius suum sucum. Sed quia non habeo illas rimas, non absque timore ad narrandum ea que debeo me conduco. Quia non est hoc opus quod fieri debeat sine multa providentia et cautela, describere scilicet vel designare fundum toti universo, nec etiam est hoc opus summendum vel narrandum a lingua que matrem nominet seu patrem. Sed ille domine adiuvent meum versum, que adiuverunt Amphionem ad claudendum Thebas, ita quod a facto mea narratio non sit diversa. O super omnes male creata plebs, que stas in loco de quo loqui est durum, melius fuisset vobis quod hic fuissetis pecudes sive capre. Facto vero prohemio, ad narrandum accedit dicens: Quomodo sive quando nos fuimus inferius in puteo obscuro sub pedibus, scilicet gyganteis, plus satis in ymo, et ego respiciebam adhuc ad altum murum – subaudi putei – michi audivi dici: «Respice quomodo transis; vade sic quod tu non calces cum plantis capita fratrum miserorum atque lassorum». Ad quas voces ego me revolvi, et vidi ante me et subtus pedes meos unum lacum qui, propter gelu, habebat vitri similitudinem et non aque. Et inducit hic autor quandam comparationem, ut congelationem illius lacus melius intelligere valeamus, dicens: Nunquam fecit suo cursui tam grossum velum in hieme Danubium in Austria, nec Thanais sub frigido celo, sicut erat ibi. Quia si Tambernich seu Petrapana super illum congelatum lacum cecidisset, solummodo in ora eius alicuius crepitationis sonitum non fecisset. Et sicut ad cloassandum stat rana, cum ore extra aquam, quando femina rusticana somniat spicas colligere in estate, ita vidi ibi umbras dolentes confictas in illa glacie usque ad partem verendam, mittendo dentes in notam ciconie, sive cantum. Quelibet autem ipsarum umbrarum tenebat inferius faciem revolutam, ab ore quarum frigus et ab oculis cor triste – subaudi videtur – et inter ipsas testimonium procuratur.

vv. 40-72

Postquam vero autor generalem conditionem istarum animarum narravit, ad singularia et specialia sic procedit dicens: Quando in circuitu aliquantulum ego vidi, revolvi me ad pedes et vidi duos ita strictos, quod habebant pilos capitis simul mixtos. Ad quos ego inquiens: «Dicatis michi, o vos qui sic pectora constringitis, qui vos estis». Tunc illi ad autorem capita erexerunt, quorum oculi, qui primo interius molles erant, usque ad ora lacrimas profunderunt. Sed propter gelu ita lacrime in oculis congelarunt, quod glacies oculos eis clausit. Modum autem quo istorum oculi clausi sunt, comparando declarat, dicens quod nunquam duo ligna, sive due tubule, ita una linea sunt unite, sicut illorum palpebre cum illa glacie clause sunt. Tunc illi habentes oculos ita clausos, quia autorem respicere nequiverunt, iracundia victi, more duorum hyrcorum se ad invicem cum frontibus percusserunt. Et unus, qui propter frigus perdiderat ambas aures, non elevando faciem, sed potius ipsam tenendo depressam, ait ad Dantem: «Quare tantum specularis in nos? Si vis scire qui sunt isti duo, scias quod vallis unde fluvius Bisentii ad yma descendit patris eorum Alberti et ipsorum fuit. De uno enim corpore exiverunt, totamque Caynam poteris perscrutari, et non invenies umbram que magis sit digna in glacie ista figi. Certe non illa cui fuit fractum pectus et umbra cum uno ictu per manum regis Arthu; non Focacia; non iste qui me suo capite ita premit quod ultra videre non possum; et fuit nomatus Sassolus Mascheroni: si tuscus es, bene scis admodo quis fuit – subaudi in vita –. Et ad hoc ut me non plus teneas in sermone, scias quod ego fui Camiscione de Pazzis, et expecto Karlinum qui me – subaudi cum tempus venerit – excusabit». Post hec, dicit autor, vidi mille visus propter frigora factos nigros, unde irruit in me rigor, et irruet semper cum recordatus – subaudi fuero – de gelidis illis aquis. Et hic finit prima pars Cociti.

vv. 73-139

Interim vero quod Dantes ibat versus medium ad quod omnis gravedo undique adunatur, et ipse propter frigus eternum tremabat; si voluntas, inquit – supple divina – fuit, seu predestinatio, vel fortuna, nescio; sed transeundo inter capita proditorum fortiter pede impegi in faciem unius. Ille

autem plorando clamavit, dicens: «Quare me calcas? Si tu non venis ad crescendum vindictam Montis Aperti, quare me molestas?» Et tunc ego dixi magistro: «Magister mi, hic modicum me expecta, ita quod ego de uno dubio exeam nunc per istum; postea facies quantumcunque volueris michi festinantiam in eundo». Tunc dux stetit, et ego dixi illi qui adhuc duris imprecationibus blasphemabat: «Quis es tu, qui taliter alii imprecaris?» Et ille: «Sed tu quis es, qui vadis per Anthenoram percutiendo facies alienas, ita quod si vivus esses, nimium adhuc esset?» «Vivus sum ego, et carum tibi esse potest», fuit mea responsio, «si famam queris, ut nomen tuum ponam inter alias notas». Et ille michi: «Totum», inquit, «contrarium concupisco. Idcirco recede hinc et noli me amplius molestare, quia male scis per istam gelidam foveam adulari». Tunc per capillos capitis cepi eum et dixi: «Necesse erit omnino ut aut te nomines, aut capillus hic non remaneat tibi ullus». Unde ille michi: «Quantumcunque tu mea coma me prives, non dicam tibi quis ego sim, nec etiam demonstrabo, si super caput meum millesies tu tomabis». Ego autem iam habebam suos capillos in manibus advolutos, et iam sibi extraxeram plus quam unum crinem, ipso latrante, cum oculis inferius revolutis, quando unus alius exclamavit: «Quid habes tu», inquit, «Bocca? Non sufficit tibi cum mandibulis personare, nisi tu latres? Qualis autem te diabolus tangit modo?» Tunc ego: «Admodo nolo quod tu loquaris, nequam proditor, quia, malis gratibus tuis, de te vera nova portabo». Et ille: «Vade hinc, et quicquid vis ad libitum tuum narra; sed noli tacere, si tibi liceat hinc exire, de illo qui ita nunc habuit linguam promptam. Ipse enim plangit hic argentum Francorum. Poteris ergo dicere: <Ego vidi illum de Duera, in illo certe loco ubi stant madidi peccatores>. Et si interrogatus fueris <Nunquit alius erat ibi?> Tu habes iuxta te illum de Beccheria, cuius caput Florentia amputavit. Iohannes de Soldaneriis credo quod sit magis ultra cum Ganellone et etiam Tribaldellus, qui aperuit Faventiam tempore quo alii dormiebant». Hiis autem sic per ordinem contemplatis, dicit autor quod dum inde recessissent, quod vidit duos in quodam foramine congelatos, et ita stricte sibi invicem adherentes, quod caput unius erat galerium socio cum quo erat. Et, quemadmodum panis causa famis famelice manducatur, ita dentes super illum posuit, in illa scilicet parte in qua cerebrum cum nuca coniungitur. Et inducit hic autor, comparative loquendo, ystoriam Tydei et Menalippi, dicens: Non enim aliter Tydeus Menalippi per indignationem tympora corrosit, quam ille corrodebat caput illius et collum. Ad quem ego: «O tu qui ostendis per tam bestiale signum odium super illum quem tu rodis, dic michi quare, per talem conventionem; quod si tu rationabiliter erga illum te habes, sciendo ego qui vos estis et suam offensam, ego vicem in mundo superius tibi reddam, si illa cum qua loquor non siccetur». Unde ait in textu:
se quella con ch'i' parlo non si secca.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

S'i' avesse le rime aspre et chiocce,
come si converreb'al tristo buco
sovra 'l qual pontan tutte l'altre rocce,
usque ibi: «Che come noi fumo giù nel pozzo oscuro». In hiis XVI rithimis quinque per ordinem facit autor: Nam primo quandam excusationem facit, ut hic. Secundo, causam istius excusationis reddit, ibi *ma per ch'i' non l'abbo*, etc. Tertio, supernas virtutes invocat, ibi: *Ma quelle donne aiutino 'l mi' verso*, etc. Quarto, contra inventos in isto puteo invehit, ibi: *O sopra tutte mal creata plebe*, etc. Et sic quinto, ad narrandum ea que vidit accedit, ibi: *Che come noi fumo giù nel pozzo scuro*, etc., usque ad finem cantus. Circa primum taliter se excusat: Si ego haberem rimas asperas atque fractas, sicut tristi foramini conveniret, super quod omnia alia onera premunt, ego de meo conceptu sucum exprimerem: quasi dicat: de meis conceptionibus convenientia verba formarem, quia alia verba conveniunt uni rei et alia alii. Secundum enim materiam exquirendi sunt sermones, ut ait Philosophus. Sed quia autor in hoc loco vel passu tractare intendit de profundo inferni, ubi est centrum totius universi, et ille locus sit asper et horridus super omnia alia loca totius inferni, desiderabat tali loco verba convenientia invenire, ut verba secundum materiam consonarent. Facta excusatione, reddit causam huius excusationis dicens: Sed quia ego non habeo – subaudi verba convenientia tali loco – idcirco non sine timore ad narrandum – subaudi profundum inferni – me ipsum conduco. Quia non est hoc opus improvide assumendum, describere scilicet fundum toti universo, nec a lingua enarrandum que *matrem* vocitet seu *patrem*; quasi dicat: propter duo enim est valde arduum et difficile quod intendo: Et primo, ratione loci distantis, qui est ita remotus ab orbe; secundo, ratione persone narrantis, quia homo male corporis [sarcina] oneratus. Nam ista veridice enarrare non bene conveniunt hominibus carnis sarcina pregravatis, sed substantiis separatis vel sanctis viris, a terrenis ad Deum totaliter elevatis. Reddita causa sue insufficientie, supernas virtutes more poetico in suum adiutorium invocat, dicens: Sed ille domine adiuvent meum versum que ad claudendum, idest ad murandum, Thebas Amphyonem iuverunt, ita quod mea narratio a facto, idest ad opere ipsis dominabus iuvantibus, non discrepet vel recedat.

Ystoria enim Amphionis est ista: Fuit enim Amphyon rex Thebarum; non conditor quidem urbis, quia Cadmus ipsam condidit, sed ipsam muro circumdedit et munivit. Cuius murationis istoria sic fabulose componitur a poetis. Dicunt enim quod auxilio Musarum et sono cythare dictus Amphyon

lapides de montibus advocabat; qui lapides ad suum sonitum veniebant, et se ipsos in muro ad invicem componebant. Sed veritas ista est: Amphyon, qui fuit vir Niobe, de qua habetur in secunda cantica, cantu [XXII], fuit optimus cytarista et optimus prolocutor, qui sua affabilitate et dulci loquela homines lapideos et petrosos ad civiles mores et leges induxit; quibus hominibus civitatem Thebanam replevit; et ista est vera et stabilis muratio civitatis. Nam, ut ait Seneca: «Non est opus regi altam sedem construere nec muris et turribus se sepire». Inexpugnabile enim munimentum est amor civium. Muravit etiam materiali et lapideo muro Thebas, et ut solaretur labores murantium, ipsos dulci colloquio et sono cythare demulcebat. Ideo fingitur lapides advocasse. Et de hac materia ait Seneca, primo libro Tragediarum:
Thebanos muros natus Amphyon Iove
Struxit canoro saxa modulatu trahens.

Et in quinto eodem libro:

Saxa dulci traxit Amphyon sono.

Horatius etiam in sua poetria hoc idem asserit, ita dicens:

Dictus est Amphyon thebane conditor urbis

Saxa movere sono testudinis et prece blanda.

Et Statius, primo Thebaydos, ubi promittit dicere facta Thebarum, ait:

Expediam penitusque sequar quo carmine muneris

Iusserit Amphyon tyrios accedere montes.

vv. 13-15

Facta invocatione, tanquam si exauditus esset, autor in animas proditorum secundo invehit, ipse dicens: «O plebs, que super omnes alias plebes, idest congregationes vel gentes, male creata es; non quod a Deo male creata sit, quia Dei perfecta sunt opera – et vidit Deus cuncta que fecerat, et erant valde bona – sed quia suis malis operibus sit damnata, que stas in loco de quo loqui est valde durum, melius fuisset vobis quod in hoc mundo fuissetis pecudes sive capre». Unde in textu:
mei foste state qui pecore o zebe!

Zebe enim [in] lingua florentina <capram> sonat. Postquam vero autor quarto loco in istos proditores invexit, nunc in isto et ultimo ad narrandum ipsorum penas, que in sequentibus continentur, accedit. Et circa hoc breviter tria facit: Nam primo describit qualitatem et situm noni et ultimi circuli infernalis; secundo, quia iste circulus in quatuor partes dividitur, tractat de prima parte ipsius, que appellatur Cayna; tertio, postquam tractavit de prima parte, tangit aliquantulum de secunda, que dicitur Anthenora. Quantum ad primum, describendo nonum circulum, sic procedit: Dicit enim quod, postquam Antheus ipsum in fundo deposuit, quod ipse audivit unam vocem dicentem sibi: «Respice quomodo transis: vade ita quod cum pedibus non conculces capita fratrum miserorum atque lassorum». Tunc Dantes oculos ad yma deiecit, et vidit sub pedibus suis unum lacum adeo congelatum, quod potius vitreus quam aqueus videbatur.

vv. 25-27

Et ad duritiem istius lacus taliter congelati clarius declarandum, inducit duas partes mundi in quibus, propter maximum frigus, cristallus congelatur ab aqua, dicens:
Non fece mai al corso su' sì grosso velo,
di verno la Danoia in Isterlicchi,
nè Tanaì là sotto 'l freddo celo,

Danubium est quidam maximus fluvius in partibus septentrionalibus, qui dividit Ungariam a Theotonia. Hic itaque fluvius, tempore hyemali, aliquando taliter congelatur quod homines transeunt super illum, cum equis et curribus oneratis. In superiori vero parte istius fluvii, hoc est in ducatu Austrie, propter magna et intensa frigora fit cristallus. Tanais vero est unum aliud magnum flumen Cilicie, quod descendit de montibus frigidissimis qui sub artico polo sunt. De quo flumine ait Virgilius in Georgicis: «Tanaymque nivalem». – Et hoc dicit quia nunquam nivibus viduatur. Unde subiungit:
Arvaque Ripheis nunquam viduata pruinis.

Et, descendens in mare Mediterraneum, dividit Asiam ab Europa. Ex opposito autem est Nilus, qui similiter in Mediterraneum mare descendens, dividit Asyam a Libia. In superiori vero parte ipsius Tanays sunt perpetue nives et perpetue glacies. Vult itaque dicere autor, quod nunquam tam grossam glaciem atque duram fecit Danubium vel Tanays, tempore scilicet hyemis, qualis erat illa que ad puniendum proditores in nono circulo congelatur. Et, ad ostendendum suam duritiam, dicit quod si super illam glaciem infernalem caderent duo montes, Tambernich scilicet et Pietra Pana, quod nullum ibi etiam a lateribus facerent crepitationis sonitum vel scissuram. Tambernic est quidam maximus mons et valde acutus, in partibus Ungarie. Petrapana vero est unus alius mons magnus et valde acutus, in partibus scilicet Tuscie.

vv. 31-36

Designata conditione istius lacus, designat autor modum per quem in eo anime stant infixe, dicens:
Et com'a gracidar si sta la rana
col muso fuor de l'acqua, quando sogna
di spigolar sovente la villana;
livid'insin là dov'appar vergogna
l'ombre dolenti fitte ne la ghiaccia,
mettendo denti in nota di cicogna.

Volens autor de proditoribus et proditionibus pertractare, in hac particula duo facit: Nam primo ponit modum et formam quomodo ipsi proditores in ista eterna glacie stant infixi, dicens quod, quemadmodum rana stat ad cloassandum cum capite extra aquam, illo scilicet tempore quando mulier rusticana somniat spicas colligere, ita proditores in illa glacie corporibus stant infixi, capitibus vero extra, ululando deplorant. Et circa istam primam partem, nota pulcerrimam comparationem quam inducit de femina rusticana. Femina enim ruris, tempore scilicet messis, tota die laborat spicas recolligere post metentes. In sero vero, vadens lassa dormitum, tota nocte somniat spicas colligere, sicut vigilando collegit. Ubi nota quod homo illud quod vigilando solicite facit vel cogitat, in somno se somniat operari. Sicut ille qui tota die equitat vel navigat, in somnio videtur sibi equitare vel navigare; et sicut ille qui cum magno terrore suorum inimicorum vadit dormitum, tota nocte somniat gladios vel rumores. Idcirco beatus Bernardus monet, in quodam libello, quendam monacum ut cum sanctis cogitationibus et actibus vadat ipse dormitum, dicens: «Ruminantem psalmos somnus te occupet, ut in somno somnies dicere psalmos». Inducit igitur autor istam comparationem, dicens quod sicut rana cloassat, capite extra aquam, illo scilicet tempore quo femina ruris somniat colligere spicas, quia illo maxime tempore cloassant rane, propter magnam scilicet siccitatem, pluviam suo more petentes, quia fastidiunt aquam siccitate corruptam, ita ille anime in glacie stant infixe, capitibus vero extra deplorant clamoribus dolorosis.

Secundo vero ponit formam et modum istius dolorosi clamoris, dicens quod iste anime in glacie sic defixe, propter frigus intolerabile quo laborant, dentibus ita strident quod videntur notas, idest cantus, ciconie imitari. Et hoc est quod ait Dominus in Evangelio: Ibi erit fletus et stridor dentium. Nam dentium stridor causatur ex frigore, sicut videmus in febricitantibus, qui in accessu frigoris dentibus strident. Ideo bene ait autor in textu: *mettendo i denti in nota di cicogna*. Ciconia enim, que <ibis> alio nomine nominatur, est avis fluvialis que se ipsam purgat rostro suo; quia quando ex ciborum multitudine sentit se gravatam, aquam marinam intra rostrum recolligit, quam per anum ad interiora infundit; que aqua remolliendo cibi compacti duritiem et mordicando intestina superflua eicit et expellit. Et isto modo medici clisteria invenerunt. Hec avis serpentum vescitur ovis, et ex eis escam gratissimam deferens, pullos nutrit. Dicitur autem cicoria quasi <canna canens> quia concutiente rostro quasi cum canna per longum fracta sive divisa, sonum facit, ut dicit Ysidorus. Veris est nuntia, et in suo adventu predicit novitatem. Serpentibus autem est inimica; rostro enim eos percutit et interficit, et quandoque devorat et deglutit. Humanam societatem ac frequentiam diligit: et ideo super domos ab hominibus inhabitatas nidificare consuevit. Et nidum suum primum, nisi fuerit coacta, de facili non dimittit, sed in suo recessu contra hiemem replet nidum suum terra, et cum luto virgulas nidi et spinas compaginat, ne ventus tempestuosus ipsum in hieme deiciat vel

dissolvat. In reditu autem suo eundem occupat et renovat, et ab aliis avibus ipsum nidum occupare volentes protegit et defensat. Vivente femina, masculus causa coitus cum alia se non sociat nec miscet; sed quo modo ad generationis officium, femine fidem servat. Sed si aliquo casu adulterinum concubitum presenserit, ultra secum non habitat, sed rostro si potest eam transverberat atque necat. Alias quam in nido masculus feminam nunquam calcat, et incubando super ova, masculus cum femina vices mutat. Pullos suos miro affectu diligit ac custodit, et ex assiduo cubitu super eos plumas perdit. Quando vero pater est in pascuis, mater in nido residet; et e converso quando masculus revertitur, femina evolat, et masculus, ut dicit Ambrosius, nidum fovet. Ciconie maria transvolant, et collecto agmine ad regiones calidas simul volant. In suo autem discessu habent cornices que ipsas precedunt et, quasi ciconiis ducatum prebentes, contra aves eis infestas pro viribus se opponunt, ut dicit Ambrosius in Exameron. Quamvis autem venenosa comedant, ut ranas et serpentes et huius venenum, tamen ipsarum naturam non superat nec immutat, immo eis est refectio et nutrimentum quod hominibus et multis animalibus est venenum. Vi enim caloris in earum interioribus dominantis virus veneni extinguitur ac etiam superatur. A pullis suis in senectute pascuntur, nam eximiam habent erga filios pietatem; et ideo quantum tempus impendunt in suis fetibus educandis, tantum ipse a suis pullis vice reciproca nutriuntur, ut dicit Ambrosius in Exameron, et Maximus Valerius, libro V, capitulo de pietate.

vv. 37-39

Ognuna in giù tenea volta la faccia;
da bocca 'l freddo, et da li occhi 'l cor tristo
tra lor testimonianza si procaccia.

Ista clausula sic exponi debet. Omnis enim anima que in ista prima parte Cociti punitur tenebat faciem versus yma, a quarum animarum ore procedebat frigus, et hoc apparebat in concussione dentium; et ab oculis cor triste, hoc est tristitia cordis, per oculorum gemitum videbatur. Quod autem sequitur: *tra lor testimonianza si procaccia*, hic est sensus: Os quod dentes concutit, et oculus qui lacrimas expandit, testimonium perhibent de pena qua habent in ista glacie congelata.

vv. 40-42

Quand'io ebi d'intorno alquanto visto,
volsim'a' pie, et vidi due sì stretti,
che 'l pel del capo aveno insieme misto,

Hic incipit autor de proditoribus exemplariter pertractare, et incipit a duobus germanis comitibus, scilicet Albertis de Tuscia, quorum unus vocatus fuit Alexander et alter Neapoleo; qui semper unus prodidit alium quoad vixit. Sed ante quam ulterius procedamus, distinguenda sunt genera et species proditorum. Est enim sciendum quod autor distinguit in ista glacie, que Cocitus vocatur, proditorum quatuor species sive genera. Nam primum genus est prodere suam consanguinitatem; secundum, prodere suam civitatem, patriam, sive partem; tertium, prodere amicos; quartum, vero prodere dominos. Primum genus est malum; secundum peius; tertium pessimum; quartum vero, ultra quam pessimum. Que quidem genera sive species taliter possunt accipi vel videri. Sicut enim superius dictum est, fraus dupliciter operatur: vel contra naturam, vel contra fidem; hoc est vel contra amorem generalem et naturalem, vel contra amorem naturalem et spiritualem. Sunt enim, vel esse possunt, duo amores in homine: primus qui dicitur et est naturaliter generalis; secundus autem dicitur et est vel naturaliter vel voluntarie spiritualis. Primus nanque amor, qui dicitur et est naturaliter generalis, est ille amor qui in tota humana natura est naturaliter seminatus; spiritualem fidem vel confidentiam non requirit. Et iste amor dictat quod illud quod tibi non vis fieri, alteri non facias, et e contra. Nullus enim vult decipi, et sic neminem debet decipere. Et quilibet vult ut omnis suus proximus sit sibi legalis, et sic circa omnem suum proximum debet legalis existere. Qui igitur contra istum amorem facit, dicitur dolosus et fraudulentus. Et iste talis dolus et talis fraus, quia X modis committitur, idcirco in X bulgiis superius collocatur. Secundus autem amor, qui dicitur et est vel naturalis vel voluntarie spiritualis, est ille amor in quo includitur et a quo requiritur quedam fides et confidentia spiritualis, que a natura vel ab aliquo accidenti elective procedit. Et qui contra talem amorem dolum vel fraudem operatur, dicitur proditor. Iste autem amor, qui dicitur spiritualis, qui fidem et confidentiam in se habet, a duplici fonte oriri videtur. Primus fons est ipsa natura; secundus vero, quedam singularis hominis electio. A primo fonte procedunt duo rivuli naturales: primus est consanguinitas; secundus vero civitas, patria, sive pars. Primus rivulus homines naturaliter amoris vinculo conglutinat atque ligat. Et ideo unus in alium, natura docente, confidit, et hoc quia sunt unus sanguis et una caro; inde consanguinitas dicitur <communis sanguinis unitas>. Qui igitur contra carnem et sanguinem suum dolose aliquid machinatur, proditor appellatur. Secundus rivulus, qui dicitur civitas, patria, sive pars, etiam homines multum ligat. Inde civitas dicitur <civium unitas>, quia civium est unum velle et unum

nolle. Patria vero dicitur a <patre>, quia, qualis amor et fides est inter patrem et filium, talis debet esse inter patriotas et patriam, secundum sententiam Tullianam. Pars autem idem est quod sors. Itaque, sicut illam sortem que cadit super sortilegum tenet sortilegus, ita illam partem debet partialis tenere in qua nascitur, vel quam postea profitetur. Homines igitur qui sunt unius civitatis, unius patrie, vel unius professionis, naturaliter ad unum tenent. Et ideo, qui contra talem amorem facit, proditor iudicatur. Et sic patent duo rivuli qui a fonte procedunt naturalis amoris.

Secundus vero fons est quedam singularis hominis electio, cum scilicet quis eligit aliquod placibile cum quo conglutinatur vinculo caritatis. Et ab isto tali fonte procedunt etiam duo rivi: Primus est amor quo quis eligit quid amandum; inde dicitur dilectio, quasi <ex multis electio>, cum scilicet quis in una magna multitudine eligit unum vel duos cum quibus suus animus delectatur, et tunc diligit id quod eligit quasi se ipsum; et sicut confidit in se ipso, ita confidit similiter in amico, et hoc quia amicus est alter ipse, ut ait Philosophus. Sed nota quod non omnis qui diligitur diligit vice reciproca diligentem, quia multi sunt amici mense qui non stant cum amico in die necessitatis, ut ait Salomon; immo, quem fortuna fecit amicum, infortunium facit aliquando inimicum, ut ait Boetius in libro De Consolatione. Et quod peius est, multi se dolose ostendunt amicorum amicos, et celant viscera pravitatis usque ad tempus, idest quousque possint secure suam ostendere pravitatem. Et ad hoc ut possint melius suam nequitiam occultare, cum amicis faciunt parentelas, ut illi magis confidant in ipsis, sicut patebit exemplariter infra de fratre Alberigo, Branca de Auria, et Tholomeo, duce Iericho. Sed quicunque contra amicum suum in se confidentem fuerit dolose aliquid operatus, proditor est censendus.

Sed quia superius dictum est quod prodere amicos est gravius peccatum quam prodere civitatem, patriam, seu partem, ideo ante quam ulterius vadamus, est videndum si hoc est verum, vel verum esse potest. Secundum enim omnes philosophos, tam paganos quam Christianos, quanto bonum est maius, tanto malum quod fit vel opponitur illi bono est gravius iudicandum; contrarium vero hic ponitur ab autore. Nam proditores amicorum ponit magis in profundo quam proditores patrie; et quanto magis ponuntur in ymo, tanto eorum nequitia gravior indicatur. Respondeo: Autor iste, in ista parte, habet respectum ad duo: videlicet ad amorem contra quem facit talis proditio. Amor enim, qui amatum coniungit amato, est amor singulariter electivus, qui tantam fortitudinem in se habet, quod facit aliquando hominem oblivisci duorum superiorum amorum; sicut exemplum habemus in primo libro Regum, ubi Divina Pagina dicit quod Ionathas, filius regis Saulis, tantum dilexit David quod anima eius conglutinata est cum anima David, et dilexit eum sicut animam suam. Orta vero guerra inter Saulem et David, semper eum fovit Ionathas, coram patre semper eum excusavit, secreta et consilia patris semper sibi revelavit. Et licet post patrem ipse Ionathas regnare deberet, tantum ipsum diligebat quod dicebat: «Tu regnabis post patrem meum et ego post te». Quasi diceret: Mortuo rege patre meo, tu eris rex, ego autem primus in regno. Cicero etiam, in libro De Amicitia ponit quod Graccus, tempore sue seditionis, habuit quendam amicum qui vocabatur Bissius Cumanus, qui tanto amore ligatus erat cum Gracco, quod cum ipso contra patriam coniuravit. Cum autem redargueretur a quodam romano principe quod in omnibus malis Graccum secutus fuisset, ait: «Tanto enim amore eram Gracco coniunctus, quod quicquid ille vellet, protinus adimplessem». Ad quem ille: «Si Graccus tibi mandasset ut ignem in Capitolium immitteres, nunquid id fecisses?» Cui Byssius Cumanus: «Nunquam», inquit, «voluisset. Sed si voluisset, paruissem». Hic exclamat Cicero: «Videtis quam nefaria vox; et certe ita fecit et plus etiam quam dixit. Non enim ille paruit Tyberii Gracchi temeritati, sed prefuit; nec se comitem sui furoris, sed ducem prebuit». Et in hac parte damnat Tullius amicitias illorum qui, causa amicorum, contra patriam faciunt, dicens: «Nulla est excusatio peccati si amici causa peccaveris; nam cum conciliatrix amicitie virtus sit, difficile est amicitiam manere si a virtute defeceris». Ista igitur de causa, quia amor amicorum facit oblivisci sue consanguinitatis et patrie, ponit autor offensam in istum amorem maiorem esse, quam sit illa que fit in amorem patrie seu partis. Narrat Iustinus, libro primo, unam mirabilem et inauditam dilectionem quam habuit quidam princeps Persarum ad Darium regem. Darius enim Babiloniam obsidebat. Sed cum sibi videretur difficilis expugnatio civitatis, et ob hoc eius animus extuaret, quidam princeps, nomine Cophyrus, secreto quosdam de sua familia advocavit; a quibus se fecit multis verberibus toto corpore lacerari, ambasque aures ac etiam nasum cum toto labio amputari, et sic se laceratum et detruncatum regi, ex inopinato, se obtulit. Cumque rex esset totus factus attonitus, et quereret quisnam eum tam crudeliter lacerasset, ait ad regem: «Vidi tuum animum extuare quia difficilis est captio civitatis. Ideoque viam et modum inveni per quem tibi potero Babilloniam subiugare. Fugiam nanque in Babiloniam, civibusque dicam quod a te sim tam crudeliter laceratus. Cumque illi vulneribus fidem dabunt, meis consiliis adherebunt michique fideliter tradent custodiam civitatis. Quam cum adeptus fuero, ipsius civitatis dominio potieris». Quod ita factum est.

Patet ergo quantam vim habet dilectio amicorum. Et ista est una ex causis, sive unus respectus, qui movit autorem. Secundus vero respectus quem habuit fuit iste, quod multotiens unus homo valet plus quam una civitas. Et ideo, secundum istum respectum, prodere talem amicum est maius malum quam unam prodere civitatem. Sed considera quod, quamvis amor amicitie magnus sit, non tamen debet aliquis ad petitionem amici aliquod enorme committere, quia tunc talis amicitia tale nomen indebite possideret: amicitia enim vera sine virtute stare non potest. Idcirco dicit Tullius, in libro ut supra: «Hec lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati». Secundus vero rivus qui a fonte electionis procedit est caritas, per quam non solum maior diligit

minorem, sed etiam quilibet bene dispositus diligit inimicum. Prima enim dilectio, que dicitur amicorum, est inter pares vel equales; unde beatus Ieronimus dicit quod amicitia aut pares recipit aut facit. Non enim potest esse amicitia inter multum distantes. Ideo ait Ovidius: «Non bene conveniunt nec in una sede morantur maiestas et amor». Nec etiam talis amicitia extenditur ad inimicos. Caritas vero et maiorem ad minorem inclinat, et usque ad inimicos brachia sua tendit; sicut exemplum habemus in fine istius cantice ab autore, ubi loquitur de illis summis proditoribus qui in oris Luciferi lacerantur, scilicet Iude, Cassii atque Bruti. Iulius enim Cesar, dum esset summus monarcha mundi, Brutum et Cassium, licet essent sui inferiores et iam contra eum fuissent, tanta ad se dilectione attraxit quod ipsos summos principes in imperio suo fecit; sua secreta eis revelabat, et ad ipsorum consilium atque nutum imperium gubernabat. Talis nanque dilectio maioris ad minorem caritas quodammodo est censenda, licet non sit propter Deum. Christus autem, filius Dei vivi, Iudam discipulum suum fecit, quem fratrem et amicum vocabat, cum ipso in una scutella manducabat, sibi pacis osculum prebebat; et nichilominus ipsum sciebat suum inimicum et pessimum proditorem. Et ista talis dilectio est proprie a sanctis caritas appellata. Qui igitur suos beneficos dominos prodit, proditor est pessimus iudicandus. Et sic patet de duobus rivis qui a fonte electionis procedunt.

Itaque primi proditores puniuntur in prima parte Cociti, que dicitur Cayna; secundi in secunda, que dicitur Anthenora; tertii in tertia, que dicitur Ptolomea; quarti vero in quarta, que appellatur Iudeca; de quibus suis locis dicetur. In ista itaque parte prima, que dicitur Cayna, facit autor exemplariter mentionem de VII summis proditoribus; et primo de duobus comitibus, quorum comitatus est in montibus Tuscie, inter ipsam scilicet Tusciam et Lombardiam.

vv. 55-57

Unde in textu dicitur autori:
Se vuoi saper chi son cotesti due,
la valle onde Bisentio si dichina
del padre lor Alberto et di lor fue.

Bisentium enim est quidam fluvius qui de Alpibus que sunt inter Tusciam et Lombardiam in Arnum descendit; et facit quandam vallem que dicitur vallis Bisentii; que quidem vallis est illorum comitum qui Comites dicuntur. Fuit autem inter ipsos comites quidam nomine Albertus, qui habuit duos filios, unus vocatus est Alexander et alter Neapoleo; qui duo germani toto tempore quo vixerunt se ad invicem prodiderunt.

vv. 58-60

Unde dicitur in textu:
D'un corpo usciro; et tutta la Cayna
potrai cercare; et non troverai ombra
degna più d'esser fitta in gelatina:

Secundo facit mentionem de quodam milite qui fuit nepos regis Arthu, nomine Mordreth, quem Mordreth uno ictu manu propria interfecit; quia ipsum invenit in crimen sue lese maiestatis proditorie incidisse.

vv. 61-66

Ideo dicitur in textu:
non quella a cui fu rotto 'l petto et l'ombra
con ess'un colpo per la man d'Artù;
non Focaccia; non questi che m'ingombra

– Supple: «Est digna in glacie magis figi». – Tertio facit mentionem de quodam cive pistoriensi, qui vocabatur Focaccia. Iste nanque quendam suum patruum, qui sibi pro patre remanserat, proditorie interfecit. Ideo dicitur in textu: *non Focaccia* – subaudi: dignior est in glacie ista figi. – Quarto, facit mentionem de quodam Florentino nomine Sassolus Mascheroni. Iste remanserat tutor filii fratris sui, qui, avaritia ductus, dictum puerum, qui erat suus nepos carnalis, ut sua bona possideret, nequiter interfecit. Ideo dicitur in textu:
non questi che m'ingombra
col capo sì, ch'i' non veggio oltre più,
et fu nomato Sassol Mascheroni:
se tosco se', ben sai omai chi fu.

Quinto facit mentionem de quodam nobili viro qui propter frigus perdiderat ambas aures; et iste est ille qui in ista parte Cociti loquitur cum autore, et sibi proditores qui stant in Cayna nominat ac etiam manifestat. Iste nanque fuit dominus Ubertus Camiscione de' Pazzis, vallis Arni de Tuscia, qui quendam suum consortem proditorie interfecit.

vv. 67-69

Ideo dicit in textu autori:
Et perchè non mi metti in più sermoni,
sappi ch'i' fu' il Camiscion de Pazzi;

Sexto facit mentionem de quodam consorte istius Camiscionis qui adhuc vivit, nomine Karlinus, qui quoddam castrum quod vocatur Planum, ad cuius castri custodiam per consortes suos fuerat deputatus, prodidit per pecuniam Florentinis. Ideo consors suus, qui loquebatur autori, yronice inquit:
et aspetto Karlin che mi scagioni.

Postquam vero autor mentionem fecit de istis septem summis proditoribus qui omnes suam carnem et sanguinem prodiderunt, dicit quod vidit in eadem Cayna mille facies nigras propter frigus, et ponit hic numerum determinatum pro indeterminato, sicut nos est etiam Sacre Scripture.

vv. 70-72

Unde ait in textu:
Poscia vid'i' mille visi cagnazzi
facti per freddo; onde mi vien riprezzo,
et verrà sempre, de' gelati guazzi.

Et hic finit prima pars Cociti, que dicitur Cayna.

Ista prima pars Cociti, que appellatur Cayna, denominatur ab illo primo proditore Caym, qui primo contra sanguinem suum fecit. Cuius istoriam scribit Moyses in libro *Genesis*: Adam enim habuit duos filios inter alios: primus fuit Caym; secundus vero Abel. Fuit autem Abel pastor ovium et Caym agricola. Nam quia malignissimus erat, ut avaritie sue consuleret, terram primus incoluit, sicut ait Magister ystoriarum. Factum est autem quod ambo Deo munera obtulerunt, Caym de frugibus et Abel de ovibus. Creditur Adam in spiritu docuisse filios ut offerrent Deo decimas et primitias. Unde Abel offerebat Deo lac ovium et primogenita eorum, ut ait Iosephus. Moyses vero dicit quod offerebat de adipibus eorum, idest de pinguioribus gregis. Caym autem spicas attritas secus viam vel corrosas ab avibus et bestiis offerebat. Deus autem respexit ad Abel et ad munera eius; ad Caym vero et ad munera eius non respexit. Qualiter autem respexerit ad Abel et ad munera eius, sic est intelligendum: Respexit Deus ad Abel et placuit Deo Abel. Ad munera autem eius respexit, idest super ea inflammavit. Ignis enim de celo descendens, oblationem eius incendebat. Munera vero Caym, ex avaritia nata, minime placuerunt Deo; unde iratus Caym concidit vultus eius pre verecundia, minorem sibi prelatum videns. Dominus vero ipsum increpans ait ei: «Quare iratus es, et quare concidit vultus tuus? Nonne si bene egeris recipies – supple a me – premium?» Caym vero de correctione Domini factus peior, avaritia maculatus, ira inflammatus, et invidia excecatus, ait dolose fratri suo: «Egrediamur in agrum». Cumque ambo ivissent in agrum, surrexit Caym adversus Abel et interfecit eum. Cui Dominus ait: «Ubi est Abel frater tuus?» Nec fuit istud verbum ignorantis, sed increpantis et improperantis fratricidium. Qui cum vellet occultare factum ait: «Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego?» Ad quem Deus: «Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; clamat, idest vindictam petit. Et vindicans tale fratricidium inde presenti ipsum fratricidam multo tempore in hac vita in multa miseria detinuit maledictum; et tandem ipsum pena eterna punivit. Unde creditur quod nullus unquam proditor habuerit paradisum. Maledicens vero Deus Caym, ait ad eum: «Nunc ergo maledictus eris, vagus et profugus». Timens ergo Caym ne vel bestie eum devorarent si egrederetur ab hominibus, vel si maneret cum eis, pro peccato suo, occiderent eum, damnans se et desperans ait: «Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear. Omnis qui invenerit me, occidet me». Ex timore enim hoc dixit, vel optando dixit quasi dicat: «Utinam omnis qui me invenerit me occidat». Dixitque ei Deus: «Nequaquam ita fiet; non cito, scilicet morieris. Sed omnis qui occiderit Caym – supplendum est – liberabit eum a labore et miseria». Et tunc additur impersonaliter: «Septuplum punietur, idest punitio fiet de eo dum vivet in pena, usque ad septimum Lamech qui occidit eum». Tradunt quidam penam ipsius Caym durasse usque ad VIIam eius generationem, quia VII peccata commisit. Non enim recte divisit quia vilia deo, se vero quierat melior oblatione obtulit dyabolo: Fratri invidit; dolose egit; vocans in agrum occidit; procaciter negavit; desperavit; penitentiam damnatus non egit. Et posuit Deus signum in Cayn tremorem, scilicet capitis, ut omnes scirent ipsum a Domino maledictum, punitum, et excomunicatum, et indignum Dei misericordia. Postquam vero suum peccatum per VII generationes

in miseria deploravit, occisus fuit a Lameth. Et sic in suo peccato, de Dei misericordia diffidens, ad inferos properavit.

vv. 73-78

Postquam vero in superiori de Cayna tractatum est, ad secundam partem Cociti, que dicitur Anthenora, dirigit autor gressum dicens:
E mentre c'andavamo in ver lo mezzo
al qual ogni gravezza si rauna,
et io tremava ne l'eterno rezzo;
se voler fu, o destino, o fortuna,
non so; ma passegiando tra le teste,
forte percossi 'l piè nel viso ad una.

In ista parte autor tractat de secunda parte Cociti, que dicitur Anthenora, in qua ponit proditores sue patrie seu partis; et denominatur ab illo proditore troyano qui, secundum ystorias, suam Grecis prodidit civitatem. Hic enim fuit Anthenor, qui operante dolosa et versipelli astutia, Dyomedis et Ulixis et multo auro recepto a Grecis, Palladium, quod erat presidium Troyanorum, extra Troyam transduxit ad Grecos. Quo presidio civitas spoliata, ipso proditore agente, in manus devenit obsidentium Arginorum. Ipse vero capta et incensa sua urbe, cum multitudine Troyanorum ad partem illam applicuit, que tunc dicebatur Gallia Cisalpina; ibique civitates duas fecit, Paduam scilicet et Venetias. Unde in suo sepulcro tale epytaphium, ut dicitur, extat scriptum:
Hic iacet Anthenor, paduane conditor urbis;
Proditor ille fuit, quique sequuntur illum.

In ista itaque Anthenora autor ponit octo eorum patrie, vel eorum partis, sceleratissimos proditores. Et primo ponit dominum Boccam de Abbatis de Florentia, qui apud Montem Apertum, in quodam exercitu, prodidit Florentinos.

vv. 79-111

Unde dicitur in textu:
Piangendo mi sgridò: «Perchè mi peste?
se tu non vieni a crescer la vendetta
di Montaperti, perchè mi moleste?»

etc. Usque ibi:

«Omai» diss'io «non vo' che tu favelle,

malvagio traditor; c'a la tua onta

i' porterò di te vere novelle».

Secundo ponit quendam lombardum qui vocatus fuit dominus Buosus de Duera, qui, pecunia recepta a Francis, prodidit partem suam. Nam prebuit iter militibus regis Karoli per terram suam, quia aliter contra imperium et partem imperii in Ytaliam intrare non poterant. Unde rex Manfredus primo, et postea Corradinus, fuerunt ab ipso Karolo debellati.

vv. 112-117

Unde dominus Bocca de isto proditore ait autori:
«Va via, et ciò che tu vuoi, conta;
ma non tacer, se tu di qua entro eschi,
di quei ch'ebe or così la lingua pronta.
E' piange qui l'argento de' Franceschi:

<I' vidi> potrai dir <quel da Duera
là dove i peccatori stanno freschi> ».

Tertio ponit quendam abbatem Vallis Umbrose, qui fuit de illa nobili domo de Papia que dicitur Beccheria. Iste itaque abbas inventus est proditor illius patrie in qua sua monasteria possidebat. Unde a Florentinis fuit capite detruncatus.

vv. 118-120

Ideo dominus Bocca ait autori de ipso:
Se fossi dimandato altri chi v'era,
tu ài da lato quel di Beccaria,
di cui segò Fiorenza la gorgiera.

Quarto ponit quendam nobilem militem florentinum, scilicet dominum Iohannem de Soldaneriis, qui cum esset factus dominus in Florentia per nobiles dicte terre, tanquam proditor pessimus nobiles ad yma deiecit et populum elevavit. Unde semper postea habuerunt nobiles in Florentia malum statum. Ideo associatus est in inferno cum Ganellone, qui proditionem commisit contra nobilem gestam antiquorum palatinorum, de quorum consortio ipse erat.

vv. 121-123

Ideo ait dominus Bocca autori:
Gianni de' Soldanieri credo che sia
più là con Ganellone

Et sic quinto ponit ipsum Ganellonem. Sexto ponit quendam romandiolum de Faventia, nomine Tribaldellum, qui per pecuniam quam accepit a Bononiensibus, media nocte aperuit Faventiam et ipsos Bononienses dormientibus civibus interius introduxit. Ideo de ipso ait dominus Bocca:

et Tribaldello,

c'aprì Faenza quando si dormia.

Septimo ponit, in fine istius cantus, duos maximos principes, unum ecclesiasticum, alterum vero civilem: videlicet archiepiscopum pisanum et comitem Ugolinum, qui ambo fuerunt maximi proditores, quorum pena ponitur in isto cantu, sed eorum culpa ponitur in secundo. Pena enim ipsorum taliter fingitur ab autore: Dicit enim quod postquam dominus Bocca finem posuit suis verbis, quod ipse recessit ab eo, et invenit in quadam cavea, sive cripta, duos ita insimul glaciatos, quod caput unius capiti alterius galerium videbatur. Et sicut panis per famem manducatur, ita ille qui erat desuper dentes super alium posuit, in illa scilicet parte in qua cum nuca cerebrum counitur. Et inducit hic autor comparationem de Tydeo et Menalippo, quorum istoriam scribit Statius in libro Thebaydos, que breviter ista est: In bello nempe thebano Tydeus, qui fuit unus ex VII regibus qui obsederunt Thebas, cum uno ex intrinsecis Thebanorum qui vocabatur Menalippus fuit in campo duris et diris ictibus ac etiam vulneribus preliatus. Cum autem a dicto Menalippo fuisset idem Tydeus gravi et alto vulnere lancee perforatus, et liber dictus Menalippus reverteretur ad suos, indignatus Tydeus quod ille evaderet, invocavit magna voce auxilium Capanei; cuius auxilio captus est Menalippus, quem Tydeus arripiens, ne moreretur inultus, ei caput et tympora dentibus laceravit.

vv. 124-132

Ideo autor, tam de pena illorum duorum quam de comparatione, ait in textu:
Noi eravam partiti già da ello,
ch'i' vidi due ghiacciati in una buca,

sì che l'un capo a l'altro era cappello;
et come 'l pan per fame si manduca,
così l'un sovra l'altro i denti pose
là 've 'l cervel si giunge con la nuca;
non altrimenti Tydeo si rose
le tempie a Menalippo per disdegno,
che quei faceva 'l teschio et l'altre cose.

Isti enim duo fuerunt unus archiepiscopus pisanus et alter comes Ugolinus, de quibus tractatur in cantu sequenti. Sed quia de nuca facit autor mentionem, sciendum quod nuca est medulla spine dorsi, que descendens a cerebro per spinam dorsi dat sensum et motum nervis, operante spiritu animali, qui a cerebro per nucam diffunditur ad ceteros nervos. Nam spiritus animalis a posteriori parte cerebri, que puppis capitis appellatur, procedit et per nucam penetrat ad omnes nervos, quibus tribuit motum et sensum. Inde pars posterior colli dicitur cervix, eo quod per illam partem cerebrum ad medullam spine dirigitur, que dicitur nuca; unde cervix, quasi via cerebri dictu, quia de sui natura est. Videns vero Dantes quod unus alium comedebat, ait ad illum qui bestialem violentiam alteri inferebat: «O tu, qui demonstras per tam bestiale signum odium super illum quem tu comedis, dicas michi quare hoc facis. Et ego promitto tibi quod, si tu rationabiliter erga illum te habes, et ego scivero qui vos estis et offensam illius, quod ego vicem superius tibi reddam»; quasi dicat: De vobis nova superius reportabo, si illa cum qua loquor penitus non siccetur.

In isto XXXII cantu continentur sex comparationes et unum notabile.

[Comparationes]

vv. 25-27

PRIMA COMPARATIO.

Non fece mai al corso suo sì grosso velo
di verno là Danoia in Isterlicchi,
nè Tanay là sotto 'l freddo celo,

Ista comparatio dicit quod nunquam Danubium, quod est quoddam maximum flumen in Germania, dividens Theotoniam ab Ungaria, fecit suo cursui, idest sue aque, que semper currit, ita grossum velum, idest glaciem, in Austria per quam transit, nec Tanays, qui est unus alius magnus fluvius sub polo artico, dividens Asyam ab Europa, fecit etiam tam grossum velum, idest glaciem, sicut est illa que est in ultimo circulo infernali, in qua proditores velut festuca in glacie stant infixi.

vv. 31-33

SECUNDA COMPARATIO.

Et com'a gracidar si sta la rana
col muso fuor de l'aqua, quando sogna
di spigolar sovente la villana,

vv. 49-51

TERTIA COMPARATIO SIMUL ET QUARTA.

Con legno [legno] spranga mai non cinse
forte così; ond'ei come due becchi
cozzaro insieme, tant'ira li vinse.
Omnes iste comparationes plane sunt et nichilominus superius exarate.

vv. 127-129

QUINTA COMPARATIO.

et come 'l pan per fame si manduca,

così li denti sovra l'altro pose,
la 've 'l cervel si giunge con la nuca:

Ista comparatio, licet per se sit aperta et superius etiam explanata, tamen circa ipsam oritur una questio: quare potius comes Ugolinus corrodit archiepiscopum pisanum in illa parte cervicis, idest colli, in qua cerebrum cum nuca coniungitur, quam in alia parte. Respondeo: Nuca enim, sicut dictum est, est quedam medulla spine dorsi per quam cerebrum, idest spiritus animalis qui ab eo procedit, ad ceteros nervos vadit. Et ideo nuca est quasi via vite, sive causa omnium nervorum. Simili modo archiepiscopus pisanus fuit via, causa, atque canale, per quam et quod rabies Pisanorum exarsit atque fluxit contra comitem memoratum. Nam rabies et crudelitas Pisanorum fuit quasi cerebrum sive caput, archiepiscopus autem fuit nuca, idest via ipsius rabiei ad nervos, idest ad comitem et filios atque nepotes videlicet destruendos. Et bene per nervos dicti comites figurantur, quia sicut nervi sunt ligamenta corporis, et sicut ipsis dissolutis omnis iunctura dissolvitur, ita nobiles homines sunt ligamenta corporis civitatis, quibus dissolutis atque destructis, tota compago civilis dissolvitur unitatis. Merito ergo, comes in illa parte suum inimicum corrodit, que suum opus prefigurat atque designat. Sed circa istam solutionem oritur quoddam dubium, quod est tale: Cum enim nuca se extendat per totam spinam a cerebro usque ad nates, quare comes Ugolinus magis apprehendit emulum suum in principio ipsius nuce quam in aliqua alia parte sui[?] Et dicendum quod duplex potest esse ratio: Prima est quia cerebrum, statim quod cum nuca coniungitur, erga nervos suas operationes incipit operari. Et idcirco in illa parte comes emulum suum cepit. Secunda ratio est ad insinuandum deliberatam pravitatem et nequitiam ispius archiepiscopi. Nam dictus archiepiscopus se amicum comitis ostendebat, et vulpinum animum infra tegens prodere comitem in prima cerebri cellula, que dicitur fantastica sive ymaginaria, ymaginatus fuit. Deinde dictam proditionem in secunda cellula, que dicitur rationalis seu discretiva, deliberavit facere ac etiam iudicavit. Ultimo ipsam proditionem deliberatam, stabilitam, ac firmatam in tertia cellula, que memorialis dicitur, firmiter connidavit. Et sic, dum tempus et locus sibi congrui occurrerunt, suam pravam nequitiam executioni mandavit. Igitur, ad demonstrandum quod archiepiscopus per longum ante tempus comitem prodere cogitavit, et quod cogitavit deliberavit, et quod deliberavit in memoria diu tenuit, ideo comes eum in illa parte corrodit in qua nuca cum cerebro tertie cellule, ubi est memoria, coniungitur vel unitur.

vv. 130-132

SEXTA COMPARATIO.

non altrimenti Tydeo si rose
le tempie a Menalippo per disdegno,
che que' faceva 'l teschio et l'altre cose.
Lictera plana est.

[Notabile]

vv. 133-135

NOTABILE.

«O tu che mostri per sì bestial segno»,
etc.

In isto notabili demonstratur quod omnis actus in quo bestias imitamur est bestialis protinus iudicandus: nam rodere hominem dentibus, vel unguibus lacerare, non est actus humanus, immo protinus bestialis. Ulterius nota quod iste actus bestialis quem comes Ugolinus contra archiepiscopum facit, tenet figuram sue bestialitatis, qua usus fuit in suo dominio et quam operatus fuit contra Pisanos. Nam dum esset dominus civitatis pisane, frumentum occultabat ut fame populi morirentur. Et in hoc imitatus est bestias, que filios vel non nutriunt, sicut corvi, vel ipsos occidunt, sicut multotiens facit musipula sive canis. De vipera etiam legitur quod femina, dum concipit, marem occidit; filii autem concepti, ventrem matris rodunt, et sic inde exeunt. De multis etiam animalibus legitur quod erga suos filios sunt impii et crudeles. Fuit etiam crudelis et impius erga partem suam et contra nepotem suum ex filia, contra quos coniuravit ad mortem. Sed mentita est iniquitas sibi, nam in foveam cecidit quam alii preparavit, ut in sequenti cantu de his omnibus clarius apparebit.

Et sic patet XXXII cantus prime cantice.

XXXIII

INCIPIT XXXIII CANTUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXXIII cantu autor tractat de duabus partibus Cociti, videlicet de Anthenora, de qua etiam in precedenti cantu tractavit, et de Ptolomea, que post Anthenoram sequitur immediate. Incipit autem Ptholomea ibi:
Noi passam'oltre, là 've la gelata,

etc. et finit ibi:

et in corpo par vivo ancor di sopra.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-42

Autor in fine superioris cantus descripsit quomodo invenit duos peccatores in quodam foramine Anthenore insimul congelatos, et quomodo unus illorum alterum dentibus lacerabat. Quorum conditionem et nomina scire volens, ait illi qui socio inferre iniuriam videbatur: «O tu, qui demonstras per tam bestiale signum odium super illum quem manducas, dic michi causam, et ego promitto tibi quod si scivero qui vos estis, et peccatum illius propter quod tu illum corrodis, quod ego de vobis in mundo nova portabo, si illa cum qua loquor non siccetur». Ad que verba ille qui socium corrodebat caput elevavit ad Dantem, et sic ipse Dantes cum precedenti continuat istum cantum. Os removit a fero pastu ille peccator, tergendo illud ad capillos capitis quod ex parte posteriori devastaverat, et postea sic incepit: «Tu vis quod ego renovem desperatum dolorem qui cor meum premit, iam solummodo cogitando, prius quam eloquar inde. Sed si verba mea debent esse semen quod producant infamiam proditori quem rodo, loqui et lacrimari insimul me videbis. Ego certe nescio quis tu sis, neque per quem modum huc inferius veneris; sed michi videris vere, quando te audio, florentinus. Tu debes scire – ex quo subaudi es florentinus – quod ego fui comes Ugolinus, et iste est archiepiscopus Rogerius. Nunc ergo tibi dicam quare sibi talis vicinus existo. Verum tamen non est necesse tibi dicere quomodo et qualiter, per effectum suarum malarum cogitationum, ego confidendo in eum fuerim captus et morti postea adiudicatus; quia ista – subaudi duo, captio scilicet et mors – manifesta existunt. Et ideo illud quod audire non potuisti, hoc est quomodo mors mea fuit crudelis, audies illam, et postea scies si me iste offendit. Breve pertusium quod est intra mutatorium, quod per me titulum habet famis, et quod convenit quod adhuc alteri recludatur, monstraverat michi per suum foramen magis leve iam quando feci malum somnium quod de futuro michi scripsit velamen. Iste videbatur michi magister et dominus, venando lupum et lupicinos ad montem propter quod Pisani Lucam videre non valent. Cum canibus macris, studiosis, et comptis, Gualandos cum Sismondis et cum Lafranchis sibi miserat ante frontem. In modico cursu michi videbantur fessi pater et filii, et cum acutis dentibus videbatur michi ipsorum latera, seu ylia, lacerari. Quando fui excitatus a somno ante mane, plorare sentii in somnio filios meos, qui erant mecum, et petere panem. Bene es crudelis si iam inde non doles, cogitando quicquid cor meum sibi annuntiabat; et si non plangis, de quo plangere soles?

vv. 43-75

Iam erant excitati, et hora appropinquabat in qua solitum erat quod cibi nobis apportabantur, et per suum somnium quilibet dubitabat. Et ego sentii clavari inferius hostium horribilis turris; et tunc respexi sine loquela in faciem filiorum meorum. Ego certe non plangebam, ita interius induravi. Plangebant ipsi, et Anselmuccius meus dixit: «Tu respicis ita, pater. Quid habes?» Nec propter hoc fui lacrimatus, nec respondidi ego tota illa die, et nocte sequenti, quosque alius sol in mundum exivit. Sed statim quod unus modicus radius in dolorosum carcerem introivit, ego vidi per quatuor facies qualis meus erat aspectus. Tunc ambas manus pre dolore momordi. Et illi, cogitantes quod hoc facerem pre voluntate sive desiderio comedendi, subito surrexerunt atque dixerunt: «Pater, satis inferes nobis minorem dolorem si tu nos manducas. Tu nos induisti istas miseras carnes, et tu nos ipsis, si placet, expolia». Quievi tunc, ne ipsos facerem tristiores. Illo die et alio stetimus omnes muti: Ha dura terra, quare non te aperuisti? Postquam vero ad quartum diem devenimus, Gaddus michi se proiecit ad pedes dicendo: «Pater mi, ut quid me non adiuvas?» Ibi obiit, et quomodo tu me vides, ita vidi ego cadere alios tres, unum post alium. Unde inter quintum diem et sextum ego

me dedi, iam cecum et pronum, manibus et pedibus super ipsos, et duobus diebus eos vocavi postquam fuerunt mortui. Ex quo plus quam dolor potuit ieiunium.

vv. 76-90

Quando vero sua verba complevit, cum oculis tortuosis iterum dentibus cepit caput; qui quidem dentes fuerunt illi capiti, sive osso, sicut unius canis fortes. Et in ista parte invehit autor contra civitates ytalicas, que tam generosum sanguinem tali morte damnatum tanquam tepide vindicare hucusque non curant. Invehit etiam contra civitatem Pisanam, que innocentes filios pro peccato patris tam crudeli morte damnavit. De primo sic ait: Ha Pisa, vituperium gentium, pulcre patrie in qua – subaudi patria – tale facinus insonuit, ex quo vicini ad te puniendum tepidi cognoscuntur. De secundo vero: Moveant se Capraria et Gorgona et faciant in faucibus Arni sepem, ita quod in te – subaudi civitate Pisana – persona quelibet demergatur. Quia si comes Ugolinus habebat vocem, idest famam, te prodendi, tua castra inimicis tuis largiendo, non debebas tu propter hoc ponere suos filios ad talem crucem. Innocentes enim faciebat, o nova Thebe, nova etas Uguicionem, et Brigatam, et alios duos – subaudi Anselmuccium et Gaddum – quos iste cantus superius nominavit. Et hic finitur secunda pars Cociti, que dicitur Anthenora.

vv. 91-150

Sequitur de tertia, de qua sic procedit: Nos transivimus ultra ad quendam, scilicet locum, ubi congelata glacies unam aliam gentem frigidissime fasciat, vel involvit; non quidem inferius revolutam, sed totaliter resupinam. Plantus autem eos plorare non sinit, quia dolor qui invenit super oculos oppositum se revolvit interius, et facit crescere anxietatem, quia lacrime in oculis congelantur, et sicut visiere cristalli, rumpunt sub cilio in circuitu totam pellem. Postquam vero posuit autor conditionem proditorum tertie partis Cociti, dicit quod licet nichil quasi, pre nimia frigiditate, sentiret, sicut non solet sentire caro callosa, tamen aliquantulum venti sibi videbatur sentire. Unde ait ad Virgilium: «Magister mi, istud quis movet? Non est huc inferius omnis vapor extinctus?» Et Virgilius ad eum: «Cito eris ubi de hoc tibi facies oculus responsivam, videndo causam que flatum movet». Et unus tristium proditorum clamavit ad eos: «O anime», inquit, «crudeles, quibus interim dabitur ultima pena, elevate a facie mea dura vela, ita quod dolor qui cor michi gravat aliquantulum exaletur, prius quam planctus, sicut est solitus, congeletur». Cui Dantes ait: «Si vis quod tibi subveniam, dic michi quis es. Et si hoc non fecero, ad fundum glaciei michi ire contingat». Ille autem respondens ait: «Ego sum frater Albericus. Ego sum ille de fructibus mali orti, qui hic recipio dactilum pro ficu». Tunc ait Dantes: «Es tunc adhuc mortuus?» Et ille ad eum: «Quomodo corpus meum stet in mundo superius, nullam scientiam vere porto. Tale nanque habet ista preconium, sive privilegium, Tholomea, quod multotiens anima cadit in ipsam antequam Antropos ipsam moveat more suo. Et ad hoc ut tu libentius radas vitreas lacrimas ab oculis meis, scias quod statim quod anima tradit, idest proditionem aliquam facit, sicut feci ego, corpus suum sibi aufertur ab uno demone, qui postea illud corpus gubernat, interim quod totum suum tempus volvatur, sive decurrat. Ipsa vero anima ruit in sic factam cisternam et forte videtur adhuc corpus superius umbre, que post me hyemat. Tu debes scire, si tu venis modo inferius, quod ipse est Ser Branca Aurie, et sunt plures anni postea transacti quod ipse fuit ita reclusus». Tunc Dantes ait ad illum: «Ego credo quod tu me decipis, quia Branca Aurie non est mortuus adhuc, et comedit, et bibit, et dormit, et vestibus operitur». Ad quem ille: «In fossato», inquit, «Malebranche, in quo bullit tenax pix, nondum venerat Micheri Zanche, quod iste dimisit unum demonem in corpore suo, et etiam unus suus propinquus qui proditionem cum ipso similiter fecit. Sed extende versus me admodo tuam manum et aperi michi oculos». Sed Dantes sibi oculos aperire contempsit, immo dicit quod curialitas fuit se erga illum rusticum extitisse.

vv. 151-157

In hac autem parte invehit ipse Dantes contra Ianuenses; et sic Cociti tertiam partem finit. «Ha», inquit, «Ianuenses, homines diversi ab omni more, et pleni omni nequitia, quare non estis vos de mundo submoti?» Et hoc dico quia cum peiori spiritu Romandiole inveni de vobis unum talem qui, suo opere, in Cocito iam in anima balneatur, et in corpore videtur superius adhuc vivus. Ideo ait in textu:
Chè col pegiore spirto di Romagna
trova' di voi un tal, che per su' opra,
in anima in Cocito già si bagna,
et in corpo par vivo ancor di sopra.

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

La bocca si levò dal fiero pasto, etc.

Iste peccator, de quo hic loquitur autor, fuit quidam maximus baro pisanus, Ugolinus videlicet, comes de Domnoratico, et tempore sue mortis dominus civitatis Pisane. Hic itaque comes ideo inter proditores in Anthenora poetice collocatur quia fuit proditor sue patrie ac partis. Quod sic patet: Iste namque comes Ugolinus erat natione Pisanus, animo vero Guelfus. Cum autem esset capitaneus Pisanorum et suus nepos ex filia, Ninus scilicet, iudex galluritanus, esset eorundem Pisanorum potestas, iste comes cum Rogerio archiepiscopo pisano, qui erat natione florentinus, germanus scilicet cardinalis Octaviani, de quo habitum est supra, cantu X, sed animo Gibellinus, et cum quibusdam aliis Gibellinis coniuravit ad destructionem et mortem sui nepotis et sue partis. Nam dictum iudicem galluritanum cum multitudine magna Guelforum fecit per manus archiepiscopi et aliorum Ghibellinorum, cum quibus coniuraverat, expelli de Pisis nobilem comitem Anselmum, magnum principem inter Guelfos, veneno extinxit, dominum Ganum de Scornigianis, militem strenuum nobilem et innocentem, gladio interfici iussit. Et de isto habetur infra in secunda scilicet cantica, cantu [VI 17-18], ibi: «et quel da Pisa, / che fè parer lo buon Marzucco forte». Multa etiam castra et terras Pisanorum prodidit inimicis. Sed sicut ipse fuit proditor sue partis et patrie, ita fuit proditus ab illo in quem principiliter confidebat, videlicet ab archiepiscopo supradicto. Nam dictus archiepiscopus promiserat isti comiti quod, expulso iudice galluritano, cum suis ipse comes esset solus dominus civitatis. Sed cum ipsum debebat una cum Gibellinis in dominio confirmare, ab ipsis fuit captus et diro carceri cum duobus filiis et duobus nepotibus mancipatus, et tandem crudeli fame peremptus. Idcirco exemplariter autor ponit quod iste comes ipsi archiepiscopo rodat caput. Sed, quia sua captio atque mors manifesta fuerunt, modus autem mortis non, ideo de captione et morte breviter transit autor.

vv. 22-36

Circa vero modum mortis, poetice se extendit. Et circa hoc principaliter duo facit: Nam primo fingit quoddam somnium quod fuit vaticinium, sive presagium, sue mortis. Secundo ponit modum et ordinem quomodo isti quinque comites defecerunt. De primo ibi:
Breve pertugio dentro da la muda
la qual per me à il titol de la fame,
et che convien ancor ch'altrui si chiuda,

etc. usque ibi:

mi parea lor veder fender li fianchi.

In hiis enim XV rithimis texitur unum somnium quod removit ipsi comiti velamina que occultant futura. Ideo dicitur in textu:
che del futuro mi squarciò 'l velame.

Somniavit enim una nocte predictus comes Ugolinus quod archiepiscopus pisanus in quem, tanquam in singulare refugium, confidebat, venabatur versos illos montes qui sunt medii inter Pisanos et Lucanos, unum lupum et suos lupicinos, cum quibusdam canibus macilentis, studiosis, et comptis. Ipse autem lupus et lupicini in modico cursu efficiebantur lassi, et sic in manus deveniebant venatoris et canum. Iste itaque lupus erat ipse comes, lupicini erant filii et nepotes; canes vero cum quibus archiepiscopus venabatur erant tres nobiles domini Pisarum, videlicet Gualandi, Sismundi, et Lanfranchi. Nam iste tres familie dictos comites ceperunt, et in quadam turri, que hodie titulum habet <famis>, recluserunt et fame finaliter occiderunt.

vv. 37-75

De secundo vero ibi:
Quando fu' desto innanzi la dimane,

etc. usque ibi:

Poscia, più che 'l dolor, potè 'l digiuno.

In his XXXVIIII rithimis texitur modus et ordo crudelis mortis comitis Ugolini ac etiam filiorum. Quando vero comes fuit excitatus a somno, audivit filios qui in somno panem petebant. In illa vero hora in qua erat solitum ipsis comitibus ciba portari, Pisani hostium carceris clavis ferreis clavaverunt et claves in fluvium proiecerunt. Et sic illa die sine cibo steterunt. Sequenti vero die, orto iam sole, comes in facies filiorum aspexit et vidit ipsos pre debilitate nimia pallidos et consumptos. Tunc comes, dolore commotus, ambas manus sibi ipsi momordit. Et illo die atque sequenti sine loquela, tanquam muti, steterunt. Et ecce quod iam tribus diebus sine cibo steterunt. Quarto autem die obiit comes Gaddus. Iste Gaddus fuit filius ipsius comitis Ugolini. Mortuo vero primo, alii tres unum post alium obiverunt, videlicet Uguicio, qui erat etiam filius comitis, Brigata, qui erat filius comitis Guelfi, et Anselmuccius, qui erat filius comitis Lotti, filiorum ipsius comitis Ugolini. Mortuis vero filiis et nepotibus, ipse comes duobus diebus supervixit; tamen, pre debilitate iam cecus effectus. Et ne alicui hoc impossibile videatur, quod sex diebus vivere potuerit sine cibo, audiant Macrobium *Super Somnio Scipionis*. Dicit enim quod vita hominis ultra VII dies sine cibo durare non potest. Patet ergo quod usque ad diem potest septimum protelari. Dicit etiam ibi quod homo sine haustu spiritus ultra VII horas vivere iam non valet.

vv. 79-81

Sequitur:
Hay Pisa, vituperio de le genti, del bel paese là dove sì sona, poi che ' vicini a te punir son lenti,

82-84

Hic invehit autor contra ytalicas civitates, dicens quod ex quo ipse non vindicant, seu puniunt, talem mortem, quod ipsa civitas Pisana est vituperium ipsarum:
muovasi la Capraia et la Gorgona,
et faccian siepe ad Arno in su la foce,
sì ch'elli annieghi in te ogni persona!

Iste sunt due insule propinquiores litoribus Pisanorum. Hic invehit autor contra Pisanos, optans divinam vindictam ut submergat in ipsam civitatem Pisanam aquis diluvii omnem carnem. Sed hic oritur una questio, que talis est. Ipse autor condemnat Pisanos, qui filios et nepotes comitis Ugolini, qui erant innocentes, pro peccato patris condemnaverunt ad tam crudelem mortem. Et hic optat submersionem omnium Pisanorum, cum non omnes consenserint in hanc mortem. Respondeo: Iuste et rationabiliter optat autor destructionem et mortem omnium Pisanorum, et hoc quia omnes peccaverunt in comites memoratos. Nam principes et maiores peccaverunt quia ipsos occiderunt; populus etiam peccavit quia ipsos non defendit. Si vero dicis quomodo desiderat sive optat submersionem parvulorum, qui omnino erant innocentes, cum ipse damnet peccatum commissum in filios dicti comitis innocentes, respondeo: hoc optat in confusionem et maiorem penam patrum; ut sicut ipse comes Ugolinus fuit plus cruciatus in morte filiorum atque nepotum, quos fame suis oculis vidit mori, quam in morte sua, ita optat quod ipsi Pisani in suis filiis crucientur morte, scilicet temporali non eterna. Et nota quod hoc optat ordine divino, qui aliquando punit filios pro peccatis patrum et e converso – pena scilicet temporali, non autem eterna. Unde ipse ait: Ego sum Deus zelotes, qui iudico peccata patrum in filios usque in tertiam generationem et quartam. Hoc dicit quia patres multotiens tantum vivunt quod vident tertiam et quartam generationem. Maximam namque penam debemus credere quod habuit iste comes quando vidit, propter peccatum suum, filios fame mori. Quod autem alibi dicit Deus: Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii, hoc dicit quia nullus pro peccato alieno eterna pena damnatur.

vv. 88-90

Innocenti facea l'età novella,
novella Thebe, Uguiccione e 'l Brigata,
etc.

Verba sunt autoris contra civitatem Pisanam, quam vocat novas Thebas. Nam sicut civitas Thebana, propter civiles discordias, de libertate et statu regio devenit in servitutem, et de servitute postea ad nichilum est redacta, ita Pisana civitas a magno et quasi regio statu, propter discordias civium, in statum infimum iam devenit. Regnum enim Sardinee, quod de manibus Sarracenorum potenter abstulerat, et quod multis temporibus in manu valida rexerat, propter discordias civium suorum viliter prodidit et dannose. Dominium maris, in quo regnare et triumphare solebat, non solum amisit, sed per illud sua vexilla transire non possunt. Nobilitatem illam egregiam qua in

nobilibus civibus suis ubique pollebat ac etiam resplendebat, et propter quam nobilis predicabatur in orbe, cum sui destructione perdidit et amisit. Et, ut manifeste videmus, in manus devenit novorum civium a ducarum, qui ipsam omni suo antiquo honore et alto statu privarunt, ita quod de ipsa possumus dicere quod dixit Christus in Evangelio de illo qui descendebat a Ierusalem in Ierico, quod incidit in latrones qui eum expoliaverunt, vulneraverunt, et semivivum reliquerunt. Simili modo Pisana civitas incidit in latrones, videlicet novos cives, qui eam omni suo honore, statu, divitiis, et gloria expoliaverunt; cives suos nobiles et antiquos, tam Guelfos quam Gibellinos, aut fame peremerunt aut in carceribus mori permiserunt, aut in exilium miserunt, aut diversis mortis generibus occiderunt. Et sic a capite usque ad pedes undique vulnerata heu nunc iacet, quasi semiviva relicta. Cuius statum tam miserum et confusum nec sacerdos respicit nec levita. Sed placeat nostro pio Samaritano ipsam oculo sue pietatis respicere, sibi per compassionem appropinquare, sua vulnera opportunis remediis alligare, vinum correctionis et oleum miserationis infundere, in iumentum sue longanimitatis ipsam imponere, et ad stabulum pristinum temporum antiquorum ad laudem et gloriam nominis Christiani cito deducere; ut ego, qui sum oriundus ex ipsa, ante tempora mee mortis possim ex reformatione sui status, tanquam civilis filius, gratulari.

vv. 91-93

Noi passam'oltre, là 've la gelata
ruvidamente un'altra gente fascia,
non volta in giù, ma tutta riversata.

Hic incipit tertia pars Cociti, que dicitur Tholomea, in qua puniuntur proditores amicorum et novorum parentum. Et dicitur Tholomea vel a Tholomeo, duce Iericho, vel a duobus Tholomeis, patre et filio, qui fuerunt reges Egypti, quorum duo suos amicos et novos parentes dolose occiderunt, et tertius amicum suum beneficum decapitari mandavit. Quarum proditionum nefandas istorias per ordinem videamus. Fuit enim in populo Iudeorum, sicut legitur in primo libro Machabeorum, ultimo capitulo, quidam nomine Tolomeus, filius Abobi, qui fuit constitutus dux in campo Iericho, et habebat argentum et aurum multum. Erat enim gener Symonis, summi sacerdotis. Et exaltatum est cor eius, et volebat obtinere regionem, et cogitabat dolum adversus Symonem socerum suum, et filios eius ut tolleret eos. Simon autem, perambulans civitates que erant in regione Iudee, et solicitudinem gerens earum, descendit in Ierico ipse et duo filii eius, Mathias et Iudas. Et suscepit eos Tholomeus filius Abobi cum dolo, et fecit eis convivium magnum, et abscondit illic viros. Et cum inebriatus esset Symon et filii eius, surrexit Tholomeus cum suis et sumpserunt arma sua, et intraverunt in convivium, et occiderunt eum et duos filios eius, et quosdam pueros eius. Et fecit deceptionem magnam in Israel, et reddidit mala pro bonis.

Fuit et alius Tholomeus, rex Egypti, de quo habetur in eodem libro Machabeorum, XI capitulo, quod ipse dedit filiam suam Cleopatram in uxorem Alexandro regi Syrie; qua parentela peracta, congregavit Tholomeus exercitum sicut arenam maris et naves multas. Et querebat obtinere regnum Alexandri dolo, et addere illud regno suo. Et intravit Syriam verbis pacificis, et aperiebant ei civitates, et occurrebant ei, quia mandaverat rex Alexander exire obviam ei, eo quod socer suus esset. Cum autem intraret Tholomeus in civitates, ponebat custodias militum in civitatibus singulis. Postquam vero multas civitates Asye tali dolo obtinuisset, cogitabat in generum consilia mala. Sed et Cleopatram abstulit sibi, et dedit eam in uxorem Demetrio, et intravit Anthiochiam civitatem Alexandri. Quod audiens Alexander, venit contra eum in bello; sed Tholomeus fugavit eum. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur. Rex autem Arabie abstulit caput Alexandri et misit illud Tholomeo. Tunc exaltatus est Tholomeus, et imposuit duo diademata capiti suo, ut regnaret super duo regna, scilicet Egypti et Asie. Et mortuus est die tertia.

Ab istis itaque duobus Tholomeis nefandis tertia pars Cociti merito appellatur, quia isti duo dolosis ingeniis amicitias contraxerunt, et insuper parentele copulas addiderunt; et hoc ut melius possent, primus in socerum, secundus in generum, dolosas et fraudulentas nequitias operari. Potest etiam ista pars Cociti a quodam alio Tholomeo, filio suprascripti secundi Tholomei et fratre Cleopatre, nominari. Nam iste tertius Tholomeus, dum esset obses Rome, magna fuit a Pompeio tutela nutritus; et dum esset adultus, corona sui paterni regni fuit ab ipso egiptiaca coronatus, et sic in regnum transmissus. Ad quem Tholomeum, tanquam ad filium et amicum, post bellum Pharsalicum confugit ipse Pompeius. Quem ut Tholomeus Nilum intrasse cognovit, statim baronum suorum consilium convocavit, petens ab eis utrum Pompe[i]um fugatum et debellatum a Cesare deberet expellere vel tenere. Tunc unus miles Egypti, nomine Fotinus, dedit consilium Tholomeo ut non haberet respectum nec ad virtutes Pompei, nec ad humanitates ab ipso receptas, et neque ius et fas, seu fidem, erga eum audeat observare. Unde Lucanus in VIII de isto nefando consilio inquit:
Ausus est Pompeium leto damnare Fotinus
«Ius et fas multos faciunt, Tholomee, nocentes».

Quasi dicat: O Tholomee, si secundum ius divinum et fas humanum humaniter receperis istum, eris nocens Cesari. Et sequitur:

«Dat penas laudata fides cum sustinet», inquit.

«Quos fortuna premit, fatis accede deisque,

Et cole felices, miseros fuge».

Quasi dicat: O Tholomee, si fidem Pompe[i]o quam sibi teneris servare volueris, laudaberis inde, sed Cesar veniet et dabit tibi penam. Et ideo quos fortuna premit, sustinere noli. Sed accede ad fata, et quos fata deique exaltant, cole; quos vero deprimunt, fuge, quia nulla fides unquam miseros elegit amicos. Tunc omnes Fotini consilio assenserunt, et deliberato consilio, ab ipso fuit rege nefario ordinatum atque sancitum, ut statim quod Pompeius applicaret ad terram, capite privaretur. Hic exclamat Lucanus contra Tholomeum, libro ut supra:

Nescis, puer improbe, nescis

Quo tua sit fortuna loco: iam iure sine ullo

Nili sceptra tenes; cecidit civilibus armis

Qui tibi regna dedit.

Quasi dicat: Non fuit ab hostibus debellatus, quia semper et ubique vincebat in mundo, sed pietate et dulcedine patrie sue ductus, se ipsum debellare permisit.

De nequitia istius Tholomei habes supra, secundo circulo, cantu V. Pompeius vero, intrans Nilum, invenit satellites Tholomei ad scelus nefarium perpetrandum. Ipse autem, ut vidit cominus enses nudos, sicut ait Lucanus:
Involvit vultus atque, indignatus apertum
Fortune prebere, caput; tunc lumina pressit
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Vellet, et eternam fletu corrumpere famam.

Tunc unus ex satellitibus qui vocabatur Achillas, funesto mucrone primo Pompei latere perforavit, et postea illud venerabile caput, quod tribus fuerat coronis triumphalibus coronatum, crudeli cede mactatum a Tholomeo cum anulo ipsius Pompei portavit. Quidam autem miles Pompei, nomine Codrus, corpus sine capite in ripa Nili paupere rogo cremavit, et cineres sepeliens locum modico saxo signavit, dicens: *«Hic situs est Magnus». Placet hoc, Fortuna, sepulcrum.*

Tholomeus vero Pompei caput, ne putresceret, aromatibus condi mandavit et illud Cesari reservavit. Cesar autem, ut Emathia satiatus cede recessit, cetera pondera curarum proiecit ad terram, intentus solummodo insequi vestigia Pompeiana. Et cum intraret Egyptum, nesciens aliquid de morte Pompei, venit sibi obviam, a rege transmissus, crudelis satelles, gestans in manibus dira dona, caput scilicet Magni Pompei, egyptiaco velamine coopertum, et anulum quem solitus erat in manu gestare, et ait ad Cesarem, iuxta Lucanum, libro VIIII:
«Terrarum domitor, romane maxime gentis,
Rex tibi pelleus terre pelagique labores

Donat».

Et hoc dicto, caput discooperuit. Quod cum Cesar illud vidisset, licet letitiam haberet in corde, tristitiam tamen ostendit in vultu. Lucanus, libro ut supra:

Lacrimas non sponte cadentes

Effudit gemitusque expressit pectore leto.

Et ait ad milites Tholomei: «Vos autem condite busto tanti caput ducis, cineresque in litore fusos colligite, atque sparsis date manibus urnam. Sentiat adventum soceri, vocesque mei audiat lacrimantis». Cato vero, audita morte Pompei, ait ut scribit Lucanus, ut supra:

O felix cui summa dies fuit obvia victo,

Et cui querendos Pharium scelus obtulit enses.

Forsitan in soceri potuisset vivere regno.

Glosa: sed non sine pudore. Sequitur:

Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi.

Et michi, si fatis aliena in rura venimus,

Fac talem, fortuna, Iubam; non deprecor hosti

Servari, dum me servet cervice recisa.

Ab istis itaque Tholomeis, qui amicitias et novas parentelas dolosis proditionibus violarunt, tertia pars Cociti, in qua eorum similes puniuntur, iuste et merito appellatur. In qua quidem parte et loco ponit autor tres maximos proditores: unum Romandiolum et duos Ianuenses, quorum duo vivebant quando autor istam condidit comediam. De primo poetice sic pertractat: Dicit enim quod dum appropinquaret ad centrum, ambulans per Tholomeam, sentiit aliquantulum venti, et ait ad Virgilium: «Istum ventum quis movet? non est huc inferius omnis vapor extinctus?» Sentiens enim autor ventum in centro terre, miratus est; et hoc quia, per suam soliditatem et compactam naturam, ventum creare non potest. In cavernis autem ipsius terre bene generatur ventus, scilicet in hunc modum, secundum Bedam: Aer enim labilis est nature, et ideo subintrat cavernas terre et exit. Cum autem una pars nititur exire et alia subintrare, fit conflictus inter aerem intrantem et aerem exeuntem; et ex tali conflictu ventus taliter generatur. Et ideo insule Eolie dicuntur regiones esse ventorum, quia sunt totaliter cavernose. Centrum vero terre, quia ibi est terra solida et compacta et ab aere multum distans, ventum, nisi fictione poetica, habere non potest. Fingit autem hic autor

Luciferum in centro terre infixum, oculis lacrimantem, tres peccatores dentibus corrodentem, et motu suarum alarum ad penam proditorum Cociti glaciem congelantem. Ex tali igitur motu alarum ventus ibidem sentitur.

vv. 106-108

Unde poeta ait ad poetam:
«Avaccio sarai dove
di ciò ti farà l'occhio la risposta,
vegendo la cagion che 'l fiato piove».

Et hoc dicto unus ex proditoribus ibi fixis clamavit ad eos ea que habentur in textu. Iste itaque fuit quidam miles de fratribus Gaudentibus de provincia Romandiole, frater scilicet Alberigus, qui quandam parentelam cum quibusdam suis civibus dolose contraxit. Qua parentela contracta, post longum tempus omnes de illa prosapia ad convivium invitavit; quos omnes, tam parvos quam magnos, postquam fuerunt cibo vinoque repleti, occidi per suos satellites taliter ordinavit. Postquam enim cuncta essent fercula iam comesta, frater Alberigus servitoribus ait: «Veniant fructus». Ad quam vocem satellites armati, nudis ensibus, in convivium intraverunt et omnes, sicut ille proditor per longum ante tempus premeditaverat, occiderunt.

vv. 118-120

Ideo ipse proditor ait autori, ut habetur in textu:
«I' son frat'Alberigo;
i' son quelli de' frutti del mal orto,
che qui riprendo dattero per figo».
Hoc dicit ad insinuandum maximam penam quam sustinet in inferno, quia pro ficu recipit dactilum. Quasi dicat: Ego dedi amicis et novis consanguineis meis, quos occidi mandavi, dulces ficus respectu pene qua in hac glacie iuste meritoque tormentor. Quia, quantum dactilus excedit ficum, tantum pena mea excedit illam quam proditorie intuli in illos quos occidi mandavi. Audiens autem Dantes quod iste qui sibi loquebatur erat frater Alberigus, quem vivum esse sciebat, ait admirative ad eum: «Es tunc adhuc mortuus?» Et ille: «Qualiter», inquit, «corpus meum stet in mundo superius, nullam scientiam porto. Tamen unum tibi dico, quod statim quod anima talem proditionem ordinat qualem ordinavi ego, contrahere scilicet amicitias ac etiam parentelas ut sic in confidentes posset inferre mortem, corpus suum ab uno demone aufertur, qui illud tanto tempore gubernat et regit quanto illa misera anima cum suo corpore habitare debebat.

vv. 124-126

Ideo ait in textu:
Cotal vantagio ha questa Tolomea,
che spesse volte l'anima ci cade
innanzi c'Antropos mossa le dea.

Antropos est unum ex tribus Fatis, que pagani cursui et statui humane vite a diis esse data dicebant. Nam statum et cursum humanum a tribus Fatis ordinatum esse credebant. Et dicitur primum Fatum Cloto, secundum Lachesis, tertium vero Antropos. Cloto ponebatur ab ipsis super generationem humanam; Lachesis super vitam; Antropos vero super mortem. Unde ad modum trium dominarum antiquitus pingebantur. Prima colum portabat; secunda nebat; sed tertia occabat. Unde versus: Cloto colum baiulat, Lachesis attrahit, Antropos occat. Prima habet producere de non esse ad esse. Ideo Cloto interpretatur <evocatio>, quia habet evocare id quod non erat, sicut in generatione apparet, in qua fetus producitur, qui non erat. Secunda habet protrahere de tempore ad tempus, sicut de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, de adolescentia ad iuventutem, et de iuventute ad senectutem. Ideo Lachesis interpretatur <protractio>, quia vitam protrahit et extendit. Tertia habet vitam per mortem finire; ideo Antropos interpretatur <sine conversione>, quia post mortem homo non redit ad prima.

Facta mentione de fratre Alberigo, autor ad Brancam de Auria et suum consortem pariter se extendit, ponens ipsius animam pro peccato proditionis in Cocito puniri et suum corpus in mundo ab uno demone gubernari. Cuius proditionis ystoria ista est: Branca enim de Auria, natione Ianuensis, per XIIII annos quandam proditionem mente concepit antequam illam operibus propalaret. In regno nempe Sardinee erat unus prepotens homo qui dicebatur Micheri Zancari, de quo habetur supra cantu XXII, malabulgia Va. Cum isto itaque Sardo Branca de Auria et unus suus consors dolose amicitiam contraxerunt, et insuper ei sororem dicti Branche in uxorem ipsi dederunt. Qua amicitia

et parentela contracta, isti duo de Auria dictum Sardum, ut suum possiderent dominium, in quodam convivio occiderunt.

Sed circa istam partem, ista poetica narratio seu fictio, quam de descensu animarum in hanc partem Tholomee ante mortem corporum poetice ista fingit autor, videtur inconveniens et absurda, quod homo scilicet damnatus quam diu vivit esse dicatur, cum beatus Augustinus in libro De Verbis Domini dicat quod de nullo desperandum est quam diu patientia Dei ad penitentiam ipsum expectat. Sed Deus expectat hominem usque ad mortem. Et glosa super illud Psalmi, qui sanat omnes infirmitates tuas, dicit quod omnipotenti medico nullus insanabilis langor occurrit. Sed beatus Thomas de Aquino, in secunda serie, questione XIIIIa, verbis Agostini respondet dicens quod de nemine disperandum est in hac vita, considerata omnipotentia et misericordia Dei. Sed considerata conditione peccati, dicuntur aliqui filii diffidentie, ut habetur Ad Ephesios, secundo. Boetius autem in libro De Consolatione, glose super Psalmum, respondere videtur: «Si opera», inquit, «medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas». Sed quia obstinati nec Dei misericordiam attendunt, nec medico vulnus ostendunt, ideo ante mortem iam damnati non immerito esse dicuntur. Unde peccatum obstinationis est una sex speciarum peccati in Spiritum Sanctum, sicut ponit Magister, XL distinctione secundi libri Sententiarum. Species autem peccati in Spiritum Sanctum sunt iste: Desperatio, Presumptio, Impenitentia, Obstinatio, Impugnatio agnite veritatis, et Invidentia superne gratie. Cum itaque isti proditores ex eorum operibus obstinati in malo esse videantur, merito statim quod tales proditiones ordinant, damnati finguntur. Nam sicut homo sanctus et bonus, cum ad summum culmen perfecte vite pervenerit, a terrenis dicitur elevatus et in Deum totaliter transformatus, unde licet sit in terra, tamen in celum dicitur habitare; ut Apostolus, qui dicebat nostra conversatio in celis est; ita homo malus et nequam, dum in profundum malorum venerit et Dei misericordiam contemnit, potest dici, licet sit in mundo, in inferno dannatus et in dyabolum quodammodo transformatus. Et sicut opera boni viri non humana sed divina esse censentur, sicut exemplum ponit beatus Bernardus de ferro ignito, quod totum transit de ferro in ignem, ita opera malorum hominum, et maxime proditorum, possunt dici opera non virorum, immo demonum. Unde, sicut Apostolus dicebat: Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus; ita homo obstinatus in malo potest dicere: «Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me demon». Isto itaque modo ponit Dantes quod anime talium proditorum in dyabolum transformate, ante mortem suorum corporum, sint damnate. Nam mala conscientia, dum in malo est totaliter obstinata, est quasi sepulcrum anime iam damnate; et quia eius opera sunt omnino diabolica, ideo tale corpus a demone dicitur gubernari; quia licet ibi sit anima, tamen per obstinationem in penis dicitur cruciari, et per desperationem quicquid suggererit dyabolus non desinit operari. Et hoc manifeste apparet in morte talium qui de peccatis suis conpungi et ad Deum converti non possunt, sicut patet in isto Branca de Auria, qui in obstinatione et desperatione ultimum clausit diem. Nam cum sui nepotes et alia sua familia sibi dicerent: «Domine, ecce tu moreris; que iura possumus nos ostendere de castris, terris, et villis, quas tu usque hodie possidisti et nobis post tuam mortem possidenda relinquis?» Quibus ille: «Videte», inquit, «cartas et instrumenta in quibus sunt iura mea, cum quibus possedo et tenui ea que vobis possidenda relinquo». Et elevata manu, ostendit eis ensem, qui ad caput lecti in camera dependebat. Et subiunxit: «Vos autem, exemplo mei, utamini iure isto. Si quis autem petierit vobis cartas, ostendite eis ensem, et sic tenebitis que vobis tenenda dimitto».

Cetera vero que sunt in textu sunt satis clara et aperta. Et sic finitur tertia pars Cociti, que dicitur Tholomea.

In isto cantu continentur unum vaticinium, due comparationes, et duo notabilia.

[Vaticinium]

vv. 22-24

VATICINIUM.

Breve pertugio dentro da la Muda,
la qual per me à il titol de la fame,
et che convien ancor c'altrui si chiuda,

Hic vaticinatur comes Ugolinus autori dicens quod illa turris, que causa sue mortis titulum habet famis, quia vocata est postea <turris famis>, oportet quod adhuc alteri recludatur. Et re vera istud vaticinium iam videmus ex parte impletum. Nam reclusi fuerunt ibi omnes nobiles et magnates qui capti fuerunt in bello Montis Catini, ex quibus multi in ea turri mortui sunt; et specialiter Bolgaruccius, comes de Marciana. Postea, tempore Henrici Septimi serenissimi, Romanorum imperatoris, ex sententia dicti principis fuit in ea reclusus unus ex ducibus Austrie, qui scilicet predecessorum suum Rodulfum, videlicet regem Romanorum, gladio interfecerat; et in ea ultimum clausit diem. Utrum autem ex vindicta illius famis quam passus est ipse comes cum suis, in ea turri

debeat aliquis recludi et fame similiter cruciari, nescimus. Cum autem illud tempus venerit, si venerit, videbitur vaticinium clarius adimpletum.

[Comparationes]

vv. 97-99

PRIMA COMPARATIO.

chè le lagrime prime fanno groppo,
et sì come visiere di cristallo,
rompen sotto 'l cillio tutto coppo.
Lictera plana est.

vv. 100-102

SECUNDA COMPARATIO.

Et avvegna che, sì come d'un callo,
per la freddura ciascun sentimento
cessat'avesse del mi' viso stallo,
Lictera plana est.

[Notabilia]

vv. 40-42

PRIMUM NOTABILE.

Ben se' crudel, se tu già non ti duoli
pensando quel che 'l mi' cor s'annuntiava;
et se non piangi, di che pianger soli?
Quia homo est naturaliter compassibilis, ideo compati debet miseriis iniuste et inique inflictis. Et si ipsius non compatitur, non habet animum bene ordinatum. Nam secundum Tullium, proprium est animi bene dispositi gaudere bonis rebus et dolere contrariis.

vv. 148-150

SECUNDUM NOTABILE.

et cortesia fu lui esser villano.

In hoc notabili admonemur quod curialitas et humanitas omnibus exhibenda non est. Nam, quia frater Alberigus fuit crudelis erga suos consanguineos et amicos, ideo autor sibi humanitatem quam petebat noluit exhibere. Crudelibus enim et obstinatis in malo, compati de eorum miseriis non debemus, nec in eis in aliquo subvenire, imo facere eis contrarium, curialitas est et virtus. Ideo ait: *cortesia fu lui esser villano*. Et vulgare proverbium ait: «Chi fa honore al villano fa onta a Dio».

Et sic patet XXXIII cantus prime cantice Comedie.

XXXIV

INCIPIT XXXIIII CANTUS ET ULTIMUS PRIME CANTICE COMEDIE.

In isto XXXIIII cantu autor tractat de quarta parte Cociti, que dicitur Iudeca, in qua ponit Luciferum, in cuius circuitu ponit illos proditores qui suos beneficos dominos prodiderunt. Et in tribus oribus ipsius Luciferi ponit tres summos istius nequitie patratores, videlicet Iudam Scarioth, qui prodidit Christum, Filium Dei summi, Brutum et Cassium, qui prodiderunt Iulium Cesarem, primum et summum monarcham romanum. Incipit autem ista quarta pars Cociti ibi:

Già era, et con paura 'l metto in metro,
là dove l'ombre tutte eran coverte,
et trasparèn come festuca in vetro;

et finit ibi:

qual'è quel punto ch'i' avea passato.

Et sic finitur nonus et ultimus circulus inferni.

DEDUCTIO TEXTUS DE VULGARI IN LATINUM.

vv. 1-69

«Vexilla regis inferni prodeunt», ait Virgilius ad autorem. Ideo ante te respice si tu illum regem sive vexilla discernere potes. Et facit hic autor quandam comparationem nubis vespertine, dicens quod quemadmodum cum una nebula grossa spirat, illo tempore scilicet, seu hora, qua emisperium nostrum nocturnis tenebris incipit denigrari, videtur a longe unum molendinum quod a vento giratur, tale sibi fuit visum edificium tunc videre. Sed propter ventum quod ab illo tali edificio tunc spirabat, restrinxit se post ducem suum, quia nequaquam ibi alius murus erat. Facta comparatione, ad narrandum conditionem animarum ibi existentium sic procedit: Iam enim eram in loco, et cum timore id quod vidi pono in metro, ubi omnes umbre, idest anime, erant in glacie cooperte, et transparebant velut festuca in vitro. Quedam autem ex ipsis animabus iacent, quedam stant erecte, alie cum capite sursum, et alie cum capite deorsum; quedam vero capita ad pedes velut arcus inclinata convertunt. Quando autem tantum per illam glaciem ambulavimus quod meo magistro placuit michi ostendere creaturam que habuit pulcerrimam similitudinem, ad me se convertit et ait: «Ecce Ditis, et ecce locus ubi convenit quod fortitudine munias te metipsum». Quomodo autem ego devenerim gelidus tunc et raucus, noli petere, lector, quia illud non scribo, quia omnis loquela ad hoc deficeret enarrandum. Ego enim non obii, neque remansi vivus. Cogita admodo per te ipsum, si aliquantulum ingenii habes, qualis ego deveni, uno et alio sic privatus. Imperator autem dolorosi regni a medietate pectoris exibat extra glaciem, et plus quam unus gigas, ego tibi promitto, quia gygantes non movent brachia sicut iste. Vide admodo quantum debet esse totum id quod sic facte conveniat faciei. Si ipse fuit ita pulcer sicut modo est deformis, bene debet ab eo procedere omnis luctus. O quantum fuit michi visum mirabile, quando vidi in eo tres facies: unam ante, et illa erat rubea; alie erant due que coniungebantur cum ista, super medium cuiuslibet spatule, et in unum conveniebant ad sinciput. Dextra autem facies erat inter albam et croceam; sinistra vero erat illius coloris quales sunt illi qui veniunt de montibus de quibus Nilus ad yma descendit. Et sub qualibet istarum facierum stabant due magne ale, quantum convenit tante avi. Vela maris nunquam vidi ego talia. Non autem habebant pennas, dicte ale, sed admodum vespertilionis erant facte, quas movendo tres venti movebantur ab ipso, a quibus ventis congelatur Cocitus. Cum sex oculis plangebat, et per tria menta descendebat ad pectus sanguinolenta saliva. In quolibet autem ore unum peccatorem frangebat cum dentibus, ad modum maciulle, ita quod tres insimul faciebat esse dolentes. Illi autem peccatori qui est in ore anteriori, mordere erat nichil respectu lacerationis, quia aliquando dorsum remanebat pelle privata. «Illa anima que habebat maiorem penam», dixit magister, «est Iudas Scarioth, qui caput habet interius et extra crura movet. Aliorum autem duorum, qui habent caput extra, ille qui pendet a nigro ore est Brutus. Vide quomodo male torquetur et non facit verbum. Alius autem est Cassius, qui videtur ita membrutus. Sed nox surgit et admodo est recedendum, quia omnia vidimus.

vv. 70-93

Visa quarta parte Cociti, dicit autor hic modum quem tenuit suus dux exeundo de inferno. Quomodo, inquit, sibi placuit, collum brachiis sibi vinxi et ipse loco et tempore quo ale Luciferi erant aperte, satis pilosis lateribus se adhesit. Postea de vellere in vellus descendit ad anchas. Quando vero fuit ibi, cum labore et anxietate revolvit caput ad illam partem in qua habebat plantas, et sic revolutus, cepit per coxas et tybias arripiendo pilos ascendere, ita quod in infernum adhuc reverti credebam. Et ait michi magister, anelando velut homo lassus: «Tene te bene, quia per tales scalas convenit a tanto discedere malo». Postea exivit per unum foramen unius saxi, et posuit me ad sedendum super oram illius saxi. Ego elevavi oculos et credidi videre Luciferum sicut ipsum dimiseram, et vidi ipsum crura tenere superius. Et si ego attonitus tunc deveni, gens grossa cogitet, que non videt qualis est

ille punctus quem ego dimiseram. Et hic finitur quarta et ultima pars Cociti, et per consequens nonus et ultimus circulus inferni.

vv. 94-139

Post hec ait Virgilius ad autorem: «Erige te in pedes. Via est longa et iter iniquum, et iam sol ad mediam tertiam redit». Non enim erat, ait autor, caminata palatii locus ubi eramus, sed naturalis burella, que habebat malum solum et luminis indigentiam. Et hic movet autor triplicem questionem. Prima est ista: «Magister mi, antequam de abyssu me evellam, ad extrahendum me de uno errore loquere michi queso. Ubi est glacies?» Secunda est ista: «Et iste – subaudi Lucifer – quomodo est contrario ita fixus?» Tertia vero est ista: «Et quomodo in tam modica hora a sero ad mane fecit sol tam velociter cursum suum?» Cui Virgilius: «Tu ymaginaris esse adhuc ultra centrum, ubi ego me applicui ad pilum vermis rei qui perforat mundum. Ultra centrum nempe fuisti tantum quantum ego descendi. Quando vero ego me volvi, tu transisti punctum ad quem ex omni parte pondera cuncta fluunt. Et es modo sub illo emisperio quod est oppositum illi quod mundi operit partem siccam, et sub cuius culmine fuit consumptus ille homo qui natus fuit et vixit sine crimine. Tu habes pedes super modicam speram que facit aliam faciem de Iudeca». Et sic est ad primam questionem facta responsio: hic est mane quando ibi est sero. Et sic patet responsio ad secundam: et iste qui fecit nobis scalas cum pilo infixus est adhuc sicut primitus ipse erat. Ex ista enim parte cecidit de celo. Et terra, que prius ex ista parte se ostendit, timore sui de mari velamen sibi fecit, et venit ad emisperium vestrum, et forte, ut fugeret eum, dimisit hic locum vacuum illa que apparet hac, et superius recurrit. Locus est ibi inferius, a Belzebub remotus tantum quantum tumba descenditur, qui non visu sed sono est notus, unius, scilicet, aqueole que ibi descendit per foramen unius saxi, quod corrosit cum cursu quem ipsa volvit postquam pendet. Dux itaque et ego per illud iter absconsum intravimus ad revertendum in clarum mundum, et sine cura aliqua habendi aliquam requiem ascendimus, ipse primus et ego secundus, tantum quod ego vidi de pulcris rebus quas portat celum per unum rotundum foramen. Et inde exivimus ad revidendum stellas. Ideo ait in textu: *Et quindi uscimmo a riveder le stelle.*

EXPOSITIO LICTERE.

vv. 1-3

«Vexilla regis prodeunt inferni
verso di noi; però dinanzi mira»,
disse 'l maestro mi', «se tu 'l discerni».

Istorum trium richtimorum, primus extractus est de hymno dominice passionis, qui sic incipit: «Vexilla regis prodeunt, fulget crucis misterium, etc.». Si queratur vero quare Dantes tale initium dedit isti ultimo cantui infernali? Est sciendum quod hoc fecit ad terrendum Luciferum. Lucifer enim, ut dicunt sancti, stetit in brachio crucis Christi, quando ipse Christus, pro salute nostra, pendebat in cruce. Et dum credidit capere Christum, captus est a Christo. Fuit enim Christus, in capiendo Luciferum, magna prudentia usus. Lucifer enim in arbore pomi vetiti posuit musipulam cum qua cepit totum genus humanum; quia illa hora qua Adam et Eva de pomo vetito manducarunt, totum genus humanum fuit diabolo subiugatum. Filius autem Dei, volens istum lupum infernalem capere, in ligno crucis, ut ait Augustinus, carnem et sanguinem suum posuit; sub qua carne et sanguine divinitatem abscondit. Dyabolus autem, volens escam carnis et sanguinis capere, ab hamo divinitatis fuit captus et perpetuo religatus. Itaque sicut ipse per pomum arboris vetiti cepit hominem, ita per pomum arboris crucis captus est ab homine deo. Unde cantat Ecclesia in officio dominice passionis: De parentis prothoplaustri fraude facta condolens, quando pomi noxialis morte morsu corruit, ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. Hoc opus nostre salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, et medelam ferret inde hostis unde leserat. Virgilius igitur, ad terrendum dyabolum statim quod appropinquavit, ad eum ait: «Vexilla regis prodeunt inferni», ex hoc improperans ipsi diabolo, et sibi reducens ad memoriam illa gloriosa vexilla crucis a quibus ipse fuit a Christo triumphaliter debellatus, et in profundo inferni usque ad diem iudicii religatus. Nam, ut dicunt sancti, semper quando diabolus videt crucem, vel quando ipsam audit nominari, mirabili terrore terretur, recolens qualiter Christus ipsum cum illo vexillo prostravit. Ideo Virgilius, videns diabolum, ait ad Dantem: «Vexilla regis inferni prodeunt», quasi dicat: Vide vexilla regis inferni, in quo loco posita sunt, ex quo a vexillis crucis Christi debellata atque prostrata fuerunt.

vv. 4-9

Come quand'una grossa nebia spira,
e quando l'emisperio nostro annotta,
par da lungi un molin che 'l vento gira,

veder mi parve un tal dificio allotta;

Hic inducit autor unam comparationem, ad designandum modum per quem in illis tenebris vidit Luciferum. Comparatio autem talis est: Aliquando accidit quod ex vapore terrestri surgit nebula iuxta crepusculum, cum nostrum, scilicet, emisperium incipit obscurari; que cum agitatur vel movetur, videtur a longe molendinum quod a vento giratur. Tale nanque edificium Lucifer videbatur, et propter magnitudinem et propter multas et magnas alas quas habet. Quid autem est emisperium, et quot sint emisperia, iam superius est expressum.

vv. 10-12

Già era, et con paura 'l metto in metro,
là dove l'ombre tutte eran coverte,
et trasparèn come festuca in vetro.

In ista parte tractat autor de ultima parte Cociti, in qua puniuntur illi proditores qui contra suos beneficos dominos et amicos dolose aliquid machinantur. Que quidem pars Iudeca vocatur, denominata quidem ab illo Iuda Scarioth, qui in suum Deum Dominum et amicum omnia proditionum fuit genera operatus. Nam primo, operatus est in eum primam proditionem, que punitur in Cayna, quia tradidit carnem et sanguinem suum, inquantum ipse Iudeus tradidit Christum, qui secundum carnem erat de tribu Iuda. Secundo, operatus est in eum proditionem que punitur in Anthenora, quia dispersit societatem et collegium apostolicum, de quo ipse erat, dum caput tanti collegii in manus prodidit Iudeorum. Tertio, operatus est in eum proditionem que punitur in Tholomea, dum amicum suum osculo tradidit. Unde Christus dixit ei: «Osculo tradis filium hominis». Quarto, operatus est in eum proditionem que punitur in infimo loco inferni; illorum, scilicet, proditorum qui tradunt suos dominos reverendos: et ipse tradidit Magistrum suum, Dominum suum, et Deum suum. Iudas re vera fuit receptaculum et habitatio diaboli; unde beatus Iohannes in Evangelio suo dicit quod diabolus intravit in cor Iude, ibi: Et cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas, Symonis Scariothis. Peccavit autem Iudas tradendo Christum tripliciter: primo, quia peccavit in se ipsum, quia se totum dedit diabolo, in quantum proditionem corde concepit, ut patet in autoritate premissa; quia recepit dyabolum in corde, ut traderat Christum. Ore ordinavit, Mathei XXVI: Quid vultis michi dare, et ego eum vobis tradam? Psalmista: Os peccatoris et dolosi super me apertum est. Hec autoritas proprie fuit prophetata de Iuda. Opere complevit: Mathei XXVII: Quemcunque osculatus fuero, ipse est; tenete eum. Et sicut dixit, osculatus est eum. Et sic patet quod Iudas, dum dedit se totum dyabolo, corde, ore, et opere peccavit in se ipsum.

Secundo peccavit in Deum, quia fuit proditor Domini sui. Unde dicit evangelista quod tradidit eum. Sed quem eu[m]? Eum scilicet a quo fuerat electus: Iohannis VI: Ego elegi vos de mundo. Item eum a quo fuerat multum dilectus; unde vocat eum amicum. Mathei vigesimo septimo: Amice, ad quid venisti? Iob XVI: Quem maxime diligebam, adversatus est me. Item a quo fuerat spiritualiter et temporaliter nutritus; Psalmista: Homo pacis mee, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Iohannis XIII: Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum suum. Et sic patet quomodo peccavit in Deum.

Tertio peccavit in proximum, quia dissipavit collegium apostolicum. Dissipavit enim illud tripliciter: primo per cupiditatem, quia fur erat et loculos habens, ea que mittebantur portabat, ut habetur Iohannis XII; secundo per persecutionem, quia mortem apostolorum moliebatur: Mathei XXI: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis; tertio per desperationem, quia laqueo se suspendit, ut habetur Mathei XXVII. Et sic sua morte diminutus est numerus duodenarius. De nequitia istius potest intelligi illud verbum Amos prophete: Super tribus sceleribus Iuda et super quartum non convertam eum. Tria fuerunt scelera Iude: quia diabolo se dedit, Dominum suum prodidit, et apostolos dissipavit. Et quartum, quia de his tribus desperans, laqueo se suspendit. Ab ipso itaque ultima et profundior pars inferni denominatur. Unde superius, nono cantu, ait Virgilius ad autorem, ubi loquitur de Erictone:
Di poco era di me la carne nuda,
ch'ella mi fec'entrar dentr'a quel muro,
per trarn'un spirto del cerchio di Giuda.
Quell'è 'l più basso loco e 'l più oscuro,
e 'l più lontan dal ciel che tutto gira,
etc.

Ponuntur ita que ab autore proditores dominorum in infimiori et bassiori loco totius inferni, in circuitu scilicet ipsius Luciferi, qui est infixus in centro terre; quia quanto magis peccaverunt, tanto magis a celo elongantur, et in infimis retruduntur, in glacie scilicet congelata. Ideo ait autor in textu:
Già era, et con paura 'l metto in metro,
là dove l'ombre tutte eran coverte,
et trasparean come festuca in vetro.

Ubi nota quod licet omnes proditores in Cociti glacie puniantur, tamen in ea diversimode stant infixi. Nam illi qui habitant in Cayna stant in superficie glaciei: vultibus, pectoribus, et ventribus

congelati. Illi vero qui in Anthenora sunt, usque ad caput in illa glacie stant infixi. Illi autem qui sunt in Tholomea, stant resupini iacentes. Isti vero ultimi, qui in circuitu Luciferi puniuntur, alii iacent a glacie undique cooperti; alii stant cum capite inferius infixi; alii capitibus elevati, alii vero habent ad pedes capita revoluta.

vv. 13-15

Unde sequitur in textu:
Altre stanno a giacer; altre stann'erte,
quella col capo et quella co' le piante;
altra, com'arco, il volto a' piedi inverte.

Et sic patet quomodo isti, elongati a celo, frigore intolerabili cruciantur. Et circa istam particulam, nota quod omnes pene que in isto inferno poetice designantur, aut procedunt a frigore, aut a calore, aut ab utroque; et in hoc autor a Divina Pagina non recedit. Nam Christus in Evangelio, ubi loquitur de penis inferni, ait: Ibi erit fletus et stridor dentium. Glosa: Fletus causatur ex fumo qui ab igne procedit; stridor vero dentium causatur a frigore. Et beatus Iob, ubi loquitur de animabus damnatis ait: Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Istis itaque duabus penis autor cruciari dicit animas damnatorum; quod sic patet: nam in secundo circulo, cantu quinto, ubi puniuntur luxuriosi, ponit buffaram que animas movet, agitat, et impellit. Sed quia talis ventus est frigidus, ideo habent frigus; et quia ex motu generatur calor, ideo a frigore transeunt ad calorem. In tertio circulo, cantu sexto, ubi puniuntur gulosi, ponit pluviam, grandinem, atque nivem; sed ista pena tota est frigida. In quarto circulo, cantu septimo, ubi puniuntur prodigi et avari, ponit quomodo magna continue contra se movent saxa; sed talis pugna habet generare calorem. In quinto circulo, cantu octavo, ubi puniuntur quatuor genera peccatorum, ponit paludem fetidam et obscuram, in qua ille anime stant submerse: sed talis pena frigida est credenda. In sexto circulo, cantu nono et decimo, ubi puniuntur heretici, ponit civitatem ignitam et sepulcra ignita: sed ista pena calidissima iudicatur. Veniam ad girones qui in septimo circulo continentur. Nam in primo girone, cantu XII, ubi puniuntur tyranni, homicide, et predones, ponit fluvium sanguinis calidum; et ista pena calida est. In secundo girone, cantu tertiodecimo, ubi puniuntur desperati et lusores, ponit arpias, que pascendo lacerant animas arbores factas; et ponit etiam ibi canes, que insequuntur animas fugientes: sed ista pena calida et frigida est censenda. In tertio girone, in quo puniuntur blasphemi, cantu XIIII, sodomite cantu quintodecimo et sextodecimo, et usurarii cantu decimo septimo, ponit igneam pluviam super illum gironem ab alto cadentem; et ista pena calida est.

Visis gironibus, ad bulgias, que sunt in octavo circulo, accedamus. In prima bulgia, cantu decimo octavo, in qua puniuntur lenones et deceptores, ponit demones cornutos, animas verberantes; sed ex talibus ictibus calorem oriri credendum est. In secunda bulgia, cantu ut supra, ubi puniuntur adulatores, ponit fossatum stercorum; sed ex tali materia anime habent frigus, ex fetore autem et anxietate, calorem. In tertia bulgia, cantu nonodecimo, ubi puniuntur symoniaci, ponit quod ille anime habent plantas accensas, et sic patiuntur calorem. In quarta bulgia, cantu XX, ubi puniuntur magi, augures, et divini, ponit quod habent facies retroversas et quod cum magna anxietate incedunt. Sed talis pena partim frigida, partim calida est censenda: frigida propter locum, et calida propter modum. In quinta bulgia, cantu vigesimoprimo et vigesimosecundo, ubi puniuntur barattatores, ponit pegolam calidam in qua anime dequoquuntur; sed talis pena calidissima iudicatur. In sexta bulgia, cantu XXIII, ubi puniuntur ypocrite, ponit quod habent capas plumbeas exterius inauratas, ex quo pondere calor maximus procreatur. In septima bulgia, cantu vigesimoquarto et vigesimoquinto, ubi puniuntur latrones, ponit conversionem animarum in serpentes et e converso; sed talis conversio habet generare, ex magna anxietate, calorem, et ex magno timore habet generare rigorem; et sic isti calorem patiuntur et frigus. In octava bulgia, cantu vigesimosexto et vigesimoseptimo, ubi puniuntur dolosi oratores et fraudulenti consiliarii, ponit animas eorum in flammis ardentibus concremari. In nona bulgia, cantu vigesimooctavo, ubi puniuntur scismatici, ponit quod tales ab uno demone diversis vulneribus vulnerantur; sed talis pena calorem generat atque frigus. In decima vero et ultima bulgia, cantu vigesimonono et trigesimo, ubi puniuntur falsatores, ponit omnes infirmitates febrium et leprarum; sed talis pena est omnino calida et frigida iudicanda. In isto vero nono et ultimo circulo, qui magis distat ab orbe, est frigus intolerabile, sicut iam dictum est. Et sic patet quod omnes pene inferni aut procedunt a frigore, aut a calore, aut mixtim ab utroque.

vv. 16-21

Sequitur:
Quando noi fumo fatti tanto avante,
c'al mi' maestro piaque di mostrarmi
la creatura ch'ebe il bel sembiante,

dinanzi mi si tolse et fè ristarmi,
«Ecco Dite», dicendo, «et ecco il loco
ove convien che di fortezza t'armi».

In hoc loco Virgilius ostendit autori primum angelum, qui habuit tantam pulcritudinem quod fuit signaculum similitudinis Altissimi, vestitus omni lapide pretioso. Qui quidem, propter suam ingratitudinem et appetitum perverse excellentie, quia suo Domino voluit, ultra quod non erat, indebite similari, factus est dyabolus; idest, deorsum ruens et cadens de celo, retrusus est in inferno. Qui diversa sortitur vocabula: nam dicitur theologice <Lucifer> in sua prima creatione, quasi <lucem ferens>; poetice vero dicitur <Ditis>, qui secundum paganos erat maior demon inferni, scilicet Pluto. Autor autem istud nomen <Ditis> et imponit Lucifero, quia imperator inferni, et imponit civitati ignee, quia continet regna sua. Omnium autem malorum angelorum caput et dux Lucifer est, qui secundum Gregorium sic est dictus pro eo quod angelis clarior est creatus. Unde item Gregorius: Primus angelus ideo lapide pretioso ornatus extitit, quia dum cunctis angelorum agminibus prefuit, ex eorum comparatione clarior fuit; sed contra conditorem suum superbiens, lucem et claritatem perdidit et formam deformem et obscuram apostasie sue merito acquisivit. Damascenus autem, libro primo, capitulo 18: «Ex his», inquit, «angelicis virtutibus ille qui aliis preerat et cui terre custodia a Deo commissa erat, non natura malus factus, sed bonus existens, nequaquam ab ipso conditore semitam malitie in se habens, non ferens illuminationem et honorem quem sibi ipse conditor largitus fuerat, elatione liberi arbitrii sui versus est, ex eo quod est secundum naturam in id quod est preter naturam. Unde Deo rebellare volens, primo a bono deficiens in malum venit». Et infra: «Lumen igitur creatus a conditore, propria voluntate tenebra factus est. Simul autem cum eo evulsa est et consecuta angelorum qui subordinati erant sub ipso infinita multitudo; et voluntarie facti sunt mali, ex bono ad malum declinantes». Item dicit idem Damascenus, quod non habent potestatem neque virtutem contra aliquem, nisi a Deo permissive et dispensative concedatur; sed divina permissione transfigurant se in quamcunque voluerint imaginem sive figuram. Omnis etiam malitia et immunde passiones ex ipsis cogitate sunt; quas quidem mittere, idest suggerere possunt, sed violentiam inferre non prevalent. Item idem: «Quod hominibus est mors, hoc angelis est lapsus; post casum enim, non est eis penitentia, quem admodum post mortem hominibus non est vita». Item Gregorius dicit: «Dyabolus a gratia desertus obstinatus in malitia permansit, ita quod nichil boni velit bona voluntate. Liberum siquidem arbitrium habet, sed depressum et ad malum incessanter inclinatum; ita quod semper bonum refugit, malum vero eligere non desistit. Et ideo accidit sibi ut a summo bono caderet in summum malum». Cassiodorus: Cupiebat rapere divinitatem et amisit felicitatem. Item quia altitudinem sibi inconvenientem et indebite appetiit, ideo iusto ordine ad yma ruit; ut qui se iuste non tenuit in summo, secundum iustitie ordinem se teneat nunc in ymo. Propter quod et diabolus, idest deorsum ruens, a sanctis nuncupatus est. Circa quod nota quod propter diversas naturas quas habet, vel diversa tentamenta que facit, diversis nominibus nominatur. Quando enim tentat de superbia, dicitur <dyabolus>, idest <deorsum ruens>, idest ruere faciens. Quando de invidia, dicitur <Sathan>, idest <adversarius plasmationi>, quia invidet nobis, eo quod ad illam felicitatem ascendimus, de qua ipse extitit fulminatus. Quando de ira, dicitur <exterminator>, quia ira ponit hominem extra terminos suos. Quando de accidia, dicitur <demonium>, idest <sufficiens iniquitas>, quia ipsa accidia sufficit ad damnationem hominis. Quando de avaritia, dicitur <leviathan>, idest <additamentum>, quia, ut dicit Gregorius: Malum malo addit, et penam pena addere non desistit. Quando de gula, dicitur <vehemoth>, idest animal, quia gula reddit hominem bestialem. Quando vero de luxuria, dicitur <Asmodeus>, idest <facture iudicium>, quia propter luxuriam iam Deus iudicavit mundum. Plato autem in Thimeo vocat ipsum <cachodemonem>; cachodemon autem interpretatur <mala sciens>, a *cacho*, quod est <malum>, et *demon*, quod est <sciens>. Dicitur itaque <cachodemon> propter scientie qua viget naturaliter perspicacitatem. Viget enim sensu nature, experientia temporis, et intelligentia scripture, sicut dicit Beda et Damascenus. Beatus etiam Ysidorus dicit quod Greci vocant demones peritos et scientes: presciunt enim multa futura, unde solent dare aliqua responsa. In ipsis enim est cognitio rerum plus quam in hominibus, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissime vite, partim Dei iussu et angelica revelatione. Hii corporum aereorum natura vigent. Ante transgressionem vero celestia corpora gerebant; lapsi vero in aeream qualitatem conversi sunt, et ista aeris caliginosi spatia tenere permissi sunt, qui eis carcer est usque ad iudicium. Item preter ista nomina multipliciter demonis malitia in Sacra Pagina denotatur. Dicitur enim <serpens>, vel <draco>, propter ipsius virulentam astutiam, Apocalipsis XII; <leo>, propter eius apertam violentiam; prima Petri, ultimo; <vectis>, propter eius obstinatam duritiam, Ysaias 79; <coluber tortuosus>, propter ipsius in isto aere caliginoso latentiam. Ideo ab Augustino recitatur opinio Platonis de cachodemonibus Super Genesim ad Licteram, libro tertio: «Demones», inquit, «aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura vigent; nec per mortem dissolvuntur, quia prevalet in eis elementum aptum ad patiendum potius quam ad agendum». Item dicit idem Augustinus, tertio libro De Civitate Dei, quod demones sunt «animalia omnino passiva; mente rationalia; tempore, idest duratione, eterna; corpore aerea». Hec quidem ab Augustino opinative et recitative dicta sunt, insinuare volens qualiter demon de loco summe luminoso, scilicet celo empireo, sit expulsus, et in hoc aere caliginoso reclusus, ut ibi patiatur. Mali igitur angeli, consentientes voluntati Luciferi cadentis, irrecuperabiliter in hoc aere caliginoso, velut in carcere, sunt reclusi. Ceciderunt autem de luce in tenebram, de scientia in ignorantiam, de dilectione in odium et invidiam, de summa felicitate

in summam miseriam, ut dicit Gregorius. Item demones presunt demonibus secundum maiorem scientiam, et secundum minorem aliis subsunt, ut dicit beatus Ambrosius *Super Lucam*. Quamvis enim obstinati sint in malo, a vivaci tamen sensu non sunt penitus spoliati. Nam, ut dicit Ysidorus, demones vigent triplici acumine: nam quedam sciunt subtilitate nature, quedam experientia temporum vel diuturnitate, quedam sanctorum spirituum revelatione. Item demones, ut dicit Augustinus in Enchiridion, vivacitate ingenii cognoscunt seminales rerum virtutes nobis occultas, quas per congruas et temperatas elementorum commixtiones spargunt, et sic diversas rerum speties producunt. Quod enim per se posset facere natura successive, hoc potest diabolus facere subito per accelerationem operum nature. Unde per artem demonum magi Pharaonis serpentes et ranas subito produxerunt, sicut super Exodum dicit glosa. Item demonum intentio tota est ad malum et fatigationem bonorum; et ideo elementa sepe perturbant, tempestates in mari et in aere concitant, fructus terre corrumpunt et devastant; item peiora facerent, si boni angeli eorum malitiam non cohiberent. Et ideo continue peccant, et quocunque vadunt, penam suam continue secum portant, ut dicit Gregorius. Item Gregorius, in libro XIIII Moralium: Secundum diversas diversorum complexiones varias, diversis parant tentationum deceptiones; nam letos tentant de luxuria, tristes de discordia, timidos de desperatione, superbos de presumptione. Item in libro XVII: Primo antiquus hostis tentans quasi consulendo blanda et illicita animo suggerit, post ad delectationem pertrahit, ad extremum consensum possidens violenta consuetudine premit. Item in libro 33: Apparente iudicio, cuncto assistente celestis curie ministerio, ille hostis dyabolus bellua crudelis et fortis in medio captus adducetur; et cum suo toto corpore eternis gehenne incendiis mancipabitur. Ubi utique inauditum erit spectaculum, quando hec immanissima bellua electorum oculis ostendetur. Pena autem ipsorum est quod divinam gratiam et beatam patriam perdiderunt, quod mala semper appetunt et quantum possunt illa perficiunt, et quod in isto aere caliginoso incarcerati existunt. In fine autem mundi omnes in inferni carcere cum Lucifero retrudentur.

Ex premissis igitur patet quare Dantes ita modicum locutus est de demonibus in inferno, quia sunt pro maiori parte in isto aere obscuro locati. Creditur tamen quod Lucifer sit in profundo terre reclusus, et quod multi demones, ut damnatos crucient, sint similiter in inferno. Si vero queritur utrum de ordine angelorum quolibet quidam ceciderint et quot fuerint qui ceciderunt, audi quid de istis duabus opinionibus sentiat beatus Ugo de Sancto Victore. Et primo de prima: «Novem», inquit, «ordines angelorum ab initio conditi sunt, et ex singulis ordinibus aliqui ceciderunt». Unde Apostolus, cum de malignorum spirituum tyrannide faceret mentionem, principatus et potestates tenebrarum nominavit, ut videlicet ostenderet, quia idem nunc quisque in malo ministerium ex perversitate exerceret, quod ad bonum perficiendum ex conditione accepit. «Nusquam tamen Scripturarum nequam spiritus seraphin appellatos invenio, quia licet cetera dona post ruinam adhuc in malo possideant, caritatem tamen in dilectione dei nequaquam habere potuerunt». Secundo de secunda: «De numero autem lapsorum certa autoritas nulla invenitur; omnino autem probabile videtur plures remansisse quam cecidisse». Propheta enim, cum demonstraret currus igneos, consolans ait: Plures sunt qui sunt nobiscum quam qui cum illis sunt. Hinc conicimus plures esse electos angelos quam reprobos. Sunt qui dicunt tot electos ex hominibus ad angelorum numerum ascensuros quot constat electos ibi angelos remansisse; propter Scripturam que ait: «Statuit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei. Quod si verum est, cum multo plures sint in hominibus reprobi quam boni, plures erunt reprobi quam electi angeli. Si autem homines reprobi plures sunt quam electi angeli, cum electi angeli plures sint quam reprobi, plures erunt homines reprobi quam reprobi angeli. Quomodo ergo verum est quod dicitur unusquisque hominum duos angelos habere deputatos sibi, unum malum, ad impugnationem, et unum bonum, ad defensionem? cum numerus hominum transcendat numerum angelorum? Ista autem inter occulta melius deputantur, et ubi ignorantia non culpatur, presumptio arguitur». Hucusque Ugo de Sancto Victore. Et ista de Lucifero et angelis eius sufficiant quoad presens.

vv. 37-39

O quanto parv'a me gran maravillia,
quando vidi tre facce a la sua testa!

Tres facies dicitur primus angelus habere, quia per appetitum perverse excellentie appetiit excellentiam trinitatis. Deus enim, licet sit unus in substantia, est tamen trinus in persona; qui quidem maxime habet tria, scilicet: summam et infinitam potentiam, qua mediante cuncta ex nichilo produxit in esse, et qua universa et singula que vult facere potest; et ista potentia attribuitur Patri. Secundo, habet Deus summam et infinitam sapientiam, qua mediante omnia creata ordinate distinxit, et qua cuncta suis locis debitis collocavit; et ista sapientia attribuitur Filio. Tertio, habet Deus summam et infinitam clementiam, qua mediante omnia creata a potentia et ordinata a sapientia sua ineffabili pietate et bonitate regulat et gubernat; et ista clementia attribuitur Spiritui Sancto. Lucifer autem, dum in superbiam est elatus, divinam excellentiam affectavit, et ideo de potentia cecidit in impotentiam; quia, iuxta Gregorium, ita debilis factus est, quod non potest vincere nisi volentem. De sapientia cecidit in malitiam et ignorantiam, quia licet habeat scientiam, non utitur ea nisi in malo. De clementia vero et bonitate cecidit in odium et invidiam, quia omne bonum odit et omni

bono invidet. Et hiis tribus sententiis seu penis, quibus subiacet ipse demon, correspondent facies sue trine. Nam facies rubea correspondet impotentie et fragilitati sue; quia homo, dum de suo defectu verecundatur, rubicundus efficitur. Facies vero nigra correspondet obscuritati ignorantie. Facies autem pallida odio et invidie correspondet.

vv. 43-45

Ideo dicitur in textu:
L'una dinanzi, et quell'era vermiglia;

et la destra parea tra bianca et gialla;
la sinistra a veder era tal, quali
vegnon di là onde 'l Nilo s'avalla.

Nilus est unus ex quatuor fluviis pa[finis] [Cha]radisi qui de Arabia, ubi nimio estu solis Ethiopes oriuntur, per Egyptum descendit in mare, dividens Asiam a Libia, ut superius dictum est.

vv. 46-48

Sequitur:
Sotto ciascuna stava due grand'ali,
quanto si convenia a tanto uccello:

Lucifer enim dicitur habere sex alas; quia, iuxta Prophetam, fuit de numero cherubin, qui sex alas habere dicuntur propter perfectionem scientie, que in numero senario continetur. Nam nullus numerus ita perfectus sicut senarius a philosophis esse censetur.

vv. 49-51

Quales autem pennas habeant sue ale, subiungendo declarat dicens:
Non avèn penne, ma di vulpistrello
era lor modo; et quelle svolazzava,
sì che tre venti si movèn da ello:

Isti tres venti, qui ab alis Luciferi procedunt, sunt tria vitia principalia a quibus omnia oriuntur, scilicet superbia, avaritia, et luxuria. De quibus ait Iohannes in canonica sua: Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vite. De isto vero triplice vento, cum quo diabolus accendit omne nefas, ait Deus per Prophetam: Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.

vv. 61-63

«Quell'anima là sù, c'à maggior pena»,
disse 'l maestro, «è Giuda Scariotto»,
etc.

In hac parte agit autor de tribus summis proditoribus, qui suos reverendos dominos prodiderunt: videlicet de Iuda, qui prodidit Christum, filium Dei vivi, de quo actum est supra, et de duobus principibus romanis, Bruto scilicet et Cassio, qui Iulium Cesarem prodiderunt. Iulius enim Cesar dolo istorum duorum, quos intime diligebat, fuit occisus. De qua morte habes supra, circulo primo, cantu vero quarto. Cetera vero, que sequuntur in textu, satis sunt aperta.

In isto cantu continentur tres comparationes et unum notabile.

[Comparationes]

vv. 4-6

PRIMA COMPARATIO.

Come quand'una nebbia grossa spissa,

o quando l'emisperio nostro annotta,
Lictera plana est.

vv. 10-12

SECUNDA COMPARATIO.

Già era, et con paura 'l metto in metro,
là dove l'ombre tutt'eran coverte,
et trasparean come festuca in vetro.
Lictera plana est.

vv. 55-57

TERTIA COMPARATIO.

Da ogni bocca dirompea co' denti
un peccator, a guisa di maciulla,
Maciulla, que alio nomine dicitur *gramula*, est instrumentum ligneum, quo frangitur linum.

[Notabile]

vv. 34-36

NOTABILE.

S'ei fu sì bel, com'elli è ora brutto,
vv. et contra 'l su' fattor alzò le ciglia,
ben dee da lui proceder ogni lutto.

In hoc notabili moraliter declaratur, quod cum aliquis sua culpa ab alto statu descendit ad ymum, quod bene stat sibi omne malum quod habet.
Et sic patet ultimus cantus prime cantice Comedie. *Expliciunt expositiones et glose super primam canticam Comedie Dantis Alagherii Amen.*

CAJETANI DALLA PIAZZA

VITA.

SOURCE: BOOKSGOOGLE

CAJETANI DALLA PIAZZA

VITA.

Ubi Alpes Rhaetiae a Veneto mari plurimum recedunt, situm est Schium, locuples et industrium Galliae Transpadanae oppidum. Ibi saeculi praeterlapsi anno sexagesimo octavo, ultimo mensis Julii die, honestis parentibus natus est Cajetanus dalla Piazza. Primas didicit literas institutore Damiano dalla Piazza, docto pariter ac sancto sacerdote, cujus disciplina puerulum feliciorum studiorum cupiditate incendit. Deinde, divitis cujusdam municipis beneficio adjutus, inter Patavini, per totam Europam celeberrimi, Seminarii alumnos receptus, ducibus Costa, Chitesottio aliisque clarioribus ejus aevi magistris, insignem literis tam Graecis quam Latinis navavit operam. Auxit studii ardorem intima cum lectissimis aliquot condiscipulis consuetudo. Erant horum ex numero Savorinus, Clodianus postea episcopus, doctissimusque Melanus, jam Canonicus Patavinus studiique theologici in nobili illa Musarum sede director meritissimus, et Antonius Diedus, eques generosus: cum quibus omnibus amicitiae foedus mature contractum usque ad cineres sancte servavit Piazza. Hisce praesidiis in bonis artibus probe erudito Zagurius, venerandus Vicentinae dioeceseos praesul, literatae antiquitatis studium seminarii episcopalis auditores docendi provinciam felici delectu mandavit. Aliquanto enim post, jubente ferventissimo soli natalis amore, in patriam reversum gratus discipulorum animus obsequiumque perenne sunt prosequuti. Latius vero patuerunt inque dies prosperius cesserunt curae, quas Schii per longam annorum seriem, solis patriae utilitatibus inserviens, in juventutem instituendam bonisque moribus imbuendam toto

contulit animo. Tanto enim ardore, tanta dexteritate elegantes literas altioresque doctrinas tradidit alumnis, ab omni lucri cupiditate tam se exhibuit alienum, ut, quotquot habuerit, auditorum sibi conciliaret amorem: quorum grata memoria ne hodie quidem excidit insignis ejus in docendo evidentia, qua et abstrusiores disputationes ad omnium intellectum enodabat. Exquisitum ejus in literis judicium conformavit assidua lectio scriptorum apud Graecos et Romanos classicorum, in quorum societatem priscos etiam Italicarum literarum parentes vocandos esse censebat. A recentiorum auctorum studio semper fuit alienus, discipulosque ab eorum illecebris diligentissime prohibuit.

Interim vero adversi, qui familiam PIAZZAE afflixerunt, casus novum ingratumque curarum domesticarum ei imposuerunt onus, a quo fessum animum ut aliquatenus recrearet, arduum opus Pindarica carmina Italico metro reddendi jam fere quinquagenarius suscepit susceptumque intra duorum lustrorum spatia feliciter absolvit. In Olympicis, quae solae hactenus (typis Seminarii Patavini) lucem viderunt, gravitatem Pindaricam sublimemque vatis Thebani simplicitatem optime redditam esse, Italicosque versus non solum auctoris sententiam fideliter exhibere, sed et stropharum Graecarum majestatem proxime sequi, harum rerum periti unanimi judicaverunt consensu.

Jam senescens et post propinquorum obitum fere unus ex tota familia superstes, reluctante animo patria discessit, Vicentiamque contulit larem. Discedentem communi dolore et desiderio prosequuti sunt Schiani; Vicentini novum civem parato primorum optimorumque hospitio honorificentissime exceperunt.

Sexagenario major juvenili fervore Dantis divinum carmen in Latinos transferre versus molitus est, indefessus perseveravit in operoso labore, neque destitit inceptis, nisi operis vitaeque metam iisdem fere diebus consequutus. Hoc unum erat solamen incommodae senectutis, hi conatus praebebant materiam confabulationibus cum doctis amicis, in his praecipue versabantur ejus epistolae, si quas dabat. Unum quod supererat optatum, absolutum opus usui judicioque omnium committi, vivens non impetravit. Quum enim, particula aliqua operis typis Seminarii Patavini descripta eique per discipulos congratulandi caussa oblata, jam esset in eo, ut spe sua potiretur, gravi morbo oppressus consolationibusque fidei Christianae sustentatus anno hujus saeculi quadragesimo quarto aequo paratoque animo diem obiit supremum. Ut vero Divina Comoedia Latine facta (quam Leonardo comiti Tris-

sino, viro tam generis nobilitate quam eruditione et urbanitate clarissimo, sed jam praemortuo, sacram esse voluerat) in vulgus ederetur, cura commissa est fidei nepotis.

Fuit PIAZZA statura procerus, oculis vegetis acerrimisque, gravis omnibusque spectatus, facilis quidem ad conversationem atque facundus, sed ad vitam ab hominum commercio remotam proclivior. Propriae utilitatis immemor id unum agebat, ut amicis serviret, suaque opera alios juvaret. Summa vero integritas viri, rectum judicium et eloquentia ad persuadendum accommodatissima raro passa sunt, ut alienis negotiis suam frustra interponeret auctoritatem. Assiduus, quo literas dilexit, amor, operosorum, quae composuit, operum praestantia, sanctitas evangelica, quam, quum concionari interdum ei contingeret, e sacro suggestu auditoribus eloquenter commendabat, illibata vitae simplicitate probavit, viventi bonorum omnium conciliaverunt affectum et observantiam, defuncto memoriam et desiderium.

APUD

DANTIS ALLIGHERII

DIVINA COMOEDIA

HEXAMETRIS LATINIS REDDITA

AB

ABBATE DALLA PIAZZA

VICENTINO

SOURCE: GOOGLE BOOKS

PROF. DR. DARCY CARVALHO, FEAUSP. SÃO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN, LATINITAS ITALICAE MEDII AEVI. ANNO 2016.